M 6
22-d
80

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
10 A
2

6. 22. d. 80

XXXIII. 10. 13.

FACES AVGVSTÆ,

ſive

POEMATIA,

Quibus Illuſtriores NVPTIÆ, à Nobili & Illuſtri viro, D. JACOBO CATSIO, Eq. & Præpot. Holl. ac Friſiæ Occidentalis ORD. Syndico, antehac Belgicis verſibus conſcriptæ,

Jam à CASPARE BARLÆO & CORNELIO BOYO Latino Carmine celebrantur.

AD

SERENISSIMAM PRINCIPEM ELIZABETHAM, FRED. REGIS BOHEMIÆ & ELECTORIS PALATINI FILIAM.



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

DORDRACI,
Sumptibus *Matthiæ Havii*, & typis *Henrici Eſsæi*.

Anno CIↃ IↃ C XLIII.

Cum Privilegio xv. annorum.



FORTVNÆ DOMITRIX, AVGVSTI MAXIMA REGIS
FILIA, PALLADII GRANDIS ALVMNA CHORI,
NATVRÆ LABOR, HOC VVLTV SPECTATVR ELIZA.
ET FACIEM FATI VIM SVPERANTIS HABET.
EXVLAT ET TERRAS, QVAS NVNC SIBI VENDICAT ISTER,
IVRE, PATROCINIO, SPE PVTAT ESSE SVAS.
SI PATRIIS CÆSAR TITVLIS SVCCENSVIT, ILLVD
FRANGERE DEBEBAT CÆSARIS ARMA CAPVT.

Crispiaen Qeebooren Sculp. Caspar Barlæus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ad
Serenissimam Principem,
ELIZABETHAM,
Frederici Bohemiæ Regis, Comitis Palatini, S.R. Imperii Electoris Filiam, natu maximam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

REGIA progenies, tua quæ cunabula terris
Dividis & Superis; ſeu te de matre Minerva
Rex genuit, ſeu Rege ſatum formavit Apollo,
Et totus labor Aonidûm; clariſſima Princeps,
Vera Palatinis majeſtas debita regnis,
In Batavûm peregrina ſolo; ſi vatibus olim
Fas fuit affari Superos, ſceptriſque potentum
Et, formidatis quamvis, placuere tiaris
Carmina: ſume, Tibi quod conſecramus, Eliza,
Femineæ virtutis Opus; thalamiq́ labores,
Fortunaſq́ thori & memoranda exempla procantû,

* *Et*

Et conculcatas in amantum corpore leges,
Perlege, & in priſcis agnoſce noviſsima ſeclis.
Hîc partes agit unus Amor, vireſq; Dione
Explicat ingenioſa ſuas. hîc tela faceſque
Exacuit quaſſatque Puer. patet omne ſagittis
Pectus & æterno ſociantur fœdere nullâ
Sorte pares. nubunt ſpretis diademata raſtris;
Purpura contemptæ fit ruſticitatis amatrix,
Æſtuat in gibbo Regum generoſa propago,
Ipſaque nobilitas fœdis amplexibus ardet,
Et Phlegethontææ promittit baſia nuptæ.
Neſcit jura Venus. primi ſine veſte parentes
Conveniunt, nubunt geminæ ſine lege ſorores,
Innocuas rapuiſſe nurus exceptio pravi eſt.
Bis ſtupro malè Graius ovat; raptique pudoris
Supplicio præfert thalamos, ſine bile Iocaſta,
Quemque capit Tryphoſa mori, vult altera vivum.
Rara thori facies. lecto miſcentur in uno
Diſsimiles. non ſemper amat prudentia. crebrò
Conjugium Fortuna facit, nec gnara futuri
Mens hominum cœcuſq; furor. non viſus amator
Sæpius ignotis dominæ circundatur ulnis,
Et vaſti quamvis ſecretos finibus orbis
Momento vis blanda ligat. mirabile lecti
Ingenium caſuſque ſtupe. veſania nuptas
Inconſulta rapit. nuptis ſuccedimus eheu,

At

At ſimili ratione mares. inſania tedas,
Sed communis habet. quid enim? ſi filia turpem
Deperiit formoſa Craten Cynicoque paratu
Inceſſere pares; etiam perverſus amator
Perſa fuit, cum regales confunderet ignes
Ignibus Aſpaſiæ, & ſolio conſedit eburno
Phyllis & illuſtri dixit ſuffragia Medo.
Sic laſcivit Hymen & tot variabile formis
Numen habet. ſolis, PRINCEPS, *miracula ſaxit*
Baſiolis. portenta poteſt cum matre Cupido.
Nil intentatum ſceleriſque dolique relinquit
Abdita vis gremio. ſolùm ſine crimine nupſit
Prima parens, & juncta ſacris Eccleſia vinclis,
Sponſa Creatoris magni, Chriſtique voluptas,
Et reſtauratæ facies auguſta ſalutis.
Hæc canimus, Regum ſoboles. ſunt illa furoris
Vatibus argumenta tuis. ſic eſſe videmur,
Quæ loquimur, grandeſq; canens mens libera nuptas,
Has ipſas, velut amplexu, complectitur omnes.
Iam Rhodopen, nunc Aſpaſiam, nunç tangere ſagam
Credimur, aut tenerã gerimus cervicibus Emmam,
Aut noſtris Precioſa libens ſua commodat ora
Baſiolis, lætique iſtis applaudimus umbris.
Felix turba poëtarum, quæ Regibus adſtas,
Cum ſceptris, ſine labe, cubas; das oſcula centum
Verſibus, ingenium thalamis intrudis & aulis,

In Medos peregrina ruis, ſis accola Iudæ,
Hoſpes ad Euphratem graderis ſedeſq; beatas
Fortunatorum nemorum. Te regia Cyri,
Nunc Aſſur, mox Gallus habet. per longa vagaris
Terrarum ſpatia, & patriis procul exul ab oris,
Fingis cuncta domi. Tibi ſi, regalis ELISA,
Hæc volupe eſt legere, atq; oculos per ſingula volves,
En noſtris, PRINCEPS, *alio tranſvecta Camœnis,*
Ad Perſas nobiſcum ibis, Thebaſque potentes,
Et Magni limen Caroli, celebriſque Tholoſæ
Roſtra ſalutabis. pariter ſpectabis amantem
Primævum per rura Patrem, ſub frondibus Evam.
Mox ſiluiſſe Leam tam longa nocte ſtupebis,
Atque ementitæ partes obiiſſe ſororis.
At tunc ſubridere tibi, auguſtiſſima Virgo,
Fas erit, impoſtor cum dentem dente Güerra
Totque refert maculas maculis. cum ſutor aberrat,
Calceus, & quotquot pueris vixere magiſtri,
Cum ſartore toga, atque ipſa cum conjuge nutrix.
Tunc præſaga tui, forſan ventura notabis,
Quoſque parent tibi fata thoros, & digna tiaris
Fœdera, cum pandæ Manto ſignacula palmæ
Inſpiciet, Regemque tuo ſub pollice cernet.
At tunc ſe plenis Majeſtas veſtra cachinnis
Effundet, cum femineos natura labores
Invertit, factuſque ſuæ vir ſarcina Sponſæ eſt,

Et

Et totum Regis ſoboles fert tergore Scribam.
Cum Rhodopen, Veneranda leges, ne ſperne puellam,
Quæ Regi laudata ſuo eſt. dum cauſa procantum
Excutitur, decîde ſagax. Tu dilue judex
Tot juvenum ſtudia, aut litem compone ſuavem.
Diſcutient lepidos cœleſtia vincula caſus,
Et procul in Pharios, Virgo, ſubvecta penates,
Cantabis Salomonis epos, formamque genuſque,
Et nuptæ ſublimis opes & gaudia diſces.
Tunc demiſſa, licet terrenis fulgida ſceptris,
Numen adorandum populis, Dominumque ſalutis
Autoremque tuæ, nomen venerabile cælo,
Deſcriptumque coles ſacrâ ſub nube Tonantem.
Proles vera Ducum, cunctas tibi callidus artes
Pandet Amor, Tua quas licet ignorare recuſet
Majeſtas, ſpreviſſe valet. quæ ſcripta placere
Fortè queant, imitanda fugis. ſunt Regibus illa
Infames ſcopuli, non ſunt exempla ſequenti.
Quamvis rara tuam decoret Sapientia mentem,
Virtutumque chori illuſtri ſe pectore condant,
Linquis docta Craten. regum ſapuiſſe maritas,
Sit ſatis Imperio. careant Doctore marito.
Cum mediis Sponſam Cyrus raptaret in agris,
Viſa nimis petulans eſt purpura. blanda poteſtas
Nil rapit, officiis cives & rura tuetur,
Nec cuiquam volet eſſe gravis. cum Filia Regis

 Baiu-

Bajulat Emma virum, tantæ deliria taxas
Principis & fatuum thalamis proſcribis amorem.
Tot vitiis infracta ſapis, Batavoſque Poëtas
Et CATSI *præcepta gravis voceſque ſalubres*
Vertis in obſequium recti. cum Pallade jungis
Æthereum pietatis opus. moderantibus orbem
Das exempla pudicitiæ. conſpectius omne
Credis in hoc ſexu vitium. tunc perplacet oſtrum,
Cum Superûm mandata facit, vitaſque potentum
Iuſtitiæ vis eſſe Pharon normamque decori.
Fortunam prudenter habes cum prodiga læti eſt.
Compeſcis, cum ſæva furit, cum regna novercans
Subruit, hos conſtans tonitrus, hæc fulmina calcas.
Quot latè fulges titulis, quot ſtemmata longè
Sceptriferis arceſſis avis, tot dotibus anteis,
Totque faces inter morum Cynoſura coruſcas.
Da veniam faſſis, PRINCEPS, *ſi buccina laudis*
Non ſumus apta tuæ. tantis ſubſidimus aſtris.
Non patimur regale jubar, nec lumina, Virgo,
Intuitus veneranda tui. perſtringimur illis,
Et jam viſus hebet pavidis. Te nubibus abde,
More Deûm. forſan ſic te perferre loquentem
Poſſumus & tres per nebulam Tibi tradere Vates.

SERENISSIMÆ TUÆ
Celſitudinis
Cultores obſervantiſſimi

POËMATVM AVTORES.

Præfatio ad Lectorem.

INter ea, quæ in terris homines admiramur, nulla res æquè admirabilis, ac Amor: nulla caſibus oportuna magis, ac conjugalis amor. Quæ enim ſingula in aliis admirationem ſui pariunt, ea in amore inſunt omnia. Et quia plurium intereſt, matrimonio duos jungi; fit, ut ex diverſa multorum voluntate & inſtituto per incertos ac inopinatos homini eventus interdum rapiantur conjugia. Cœleſtia corpora magnitudine, velocitate, ſoliditate ſtupenda ſunt. In ele-

mentis abripit mentes concors qualitatum diſcordia & mutuis conflictibus tuta naturæ pax. In magnetis tractione, & directione hæret ſapientiſſimus quiſque & occultam corporum amicitiam ſuſpicit attonitus. Sunt, quæ ſola novitate afficiunt. ideoq; barbarorum veſtes, arma, ſupellectilem, aves adhæc Indicas & ex alio orbe petitas opes impotenter expetimus, æſtimamus prodigè, poſſidemus ambitioſè. Quibuſdam rebus robur precium conciliat, ut leoni; vel inſidiæ, ut vulpi; vel prudentia, ut angui; vel fidelitas, ut cani; vel obſequium, ut cani ac elephanti. Calidiſſimus ignis eſt, humidiſſimus aër, frigidiſſima aqua, ſicciſſima terra. Vivit in ignibus ad miraculum ſalamandra & pyrauſtes, aëre paſcitur chamæleon, ferro ſtruthius, aquis balenæ & phocæ. Unus thalami amor omnia po-

teſt,

teſt, omnia facit, omnia fit. Magnitudinem ejus & amplitudinem vultis? ubique eſt. Didicit jam pridem Oriens & Occidens, quid ſit amare, nec ad Auſtrum ſolum, ſed & ſub ipſis ſeptentrionibus ardent conjugales flammulæ. Vultis velocitatem? occupat inopinatos, invadit abſentes, ſoloque oculorum jactu vel nutu ingerit ſe præcordiis. ut non immeritò Cupidinem aligerum teliſque inſtructum finxerint primi Sapientum poëtæ. Soliditatem vero conſtantiamque ejus probant plurima veteris ac recentioris ævi robuſta exempla, & fidei conjugalis, indivulſæ prorſus, documenta in illuſtri loco poſita. Concordiam amat unicè, & quanquam intercurſet diſcordię genus non unum, ſuſpiciones, querimoniæ, iræ; tamen hanc ipſam diſcordiam in lucro deputat, & ſalutaribus amantium iris ſeipſum

ſum redintegrat. Occultè quoque trahimur ad conjugia vel trahimus. miramur nos amare ardentius, quos oderamus ante, & amari ab iis, qui nos oderant. ut non minus tacito Dei conſilio regi amores credibile ſit, quàm regna imperiaque. Quod ſi novitatem deſideres, quin ferventior ſit recentibus nuptiis amoris vis, experti ſcimus. Fervet, dum fervet ſanguis, amoris foculus. illo tepeſcente, fatiſcunt & languent cōjugum blandiciæ & honeſtarum voluptatum illecebræ ac fomenta, vigente nihilominus & perſeverante initi federis fide & reverentia. Eſt idem leniter ferox, quia quicquid cupit, ad Bruti morem, vehementer cupit. Eſt fortis, quia fortiſſimis ac invictiſſimis pectoribus bellæ uxoris deſiderium extorquet. Callidus, quia cum rivales habet, modos comminiſcitur potiundi ea,

quam

quam amat. fidelis adhæc, quia fidem jurat: officioſus, quia impetrare vult & frui. Nunc fervidus eſſe dicitur & faces ventilare: nunc frigidus, exſtincta face. Nec enim ſemper gliſcit inter conjuges quoſvis; ſed interveniens malo facto frigus divortiis odiiſq; pertinacibus cauſas præbet, & antè conjunctiſſimos divellit diſtrahitque. Aër, quo veſcitur, promiſſa ſunt, & blandimenta & mutua officia amantium. Flamma, qua vivit, deſiderium eſt primò, inde fruitio ejus, quam unicam exoſculatur unicè. Ferrum, (ut pergamus interpretari ἀλληγορȣ́μενα) quod forti animo concoquit, antè nuptias ſunt procantium incommoda: poſt nuptias, conjugum labores & moleſtiæ. quibus veluti guttarum adſpergine caſtigat immoderatos ſuos & luxuriantes nõ rarò rebus ſecundis, ignes. Et quod miramur maximè,

mè, cum aliæ res omnes à contradictione abhorreant, aut contrarietate pereant, Amor conjugalis ſolus de ſe diverſiſſima & pugnantia pronunciari ſinit. Deſipit & ſapit: ſævus eſt ac blandus: ſollicitus & curarum expers: occultus & apertus: laſcivus & miſer: mollis & ferreus: fallax & candidus: imbellis ac ſagittifer: pulcher, fœdus: facilis, difficilis. quæ omnia vatum verſibus ſunt celebratiſſima. *Ecaſtor*, inquit ille apud Plautum, *amor & melle & felle eſt fecundiſſimus, Guſtu qui dat dulce, amarum ad ſatietatem uſque oggerit*. Quid, quod illi ipſi vates, quoties ingenii ſui vim omnem explicant, totam Univerſi machinam, & quicquid ejus ambitu continetur, conjugum amoribus non inconcinnè aptent. Nihil tam excellens ac ſublime, nihil humile adeò protritumque in natura, quod non venuſtæ

allu-

alluſionis argumentum ipſis ſubmini-ſtret. Iam arboribus, plantis, floribus; modo armentis, tauris, leonibus, equis; modo piſcibus, conchis, inſectis; modo avium nulli non generi, paſſerculis, columbis, turturi, oloribus, perdicibus aſſimilatur conjugum amor. Fiet aper, modo avis, modo ſaxum & (cum volet poëta) arbor. Quot paſſim exercentur artes mechanicę, callet eas omnes conjugalis amor. quot ſe luſibus delectat inſipiens pueritia, tot ſe idem ille delectat. textor eſt, pictor eſt, tonſor, pugil, agricola. militat, vendit, emit, promittit, fidejubet, deponit, commodat. pilæ, trochi, tali, funes, conjugia ſunt. Neſcit Rhetor numerum modoſq; metaphorarum omnes, quas in amorem transfert poëtarum licentia. Nec deſtituit hos unquam materies de nuptiis ac Sponſis commentandi, quam nullibi

non

non novam aliamque inveniunt. Sunt diſtincta regum ſubditorumq; munia. non eadē ſors divitis, quæ inopis, docti indoctique, nobilis ignobiliſque. Multis multi diſcernimur. At quærendi & amandi thori ſociam neceſſitate, cupiditate, voluptate omnes tenemur. Quidam populi, quia à divitiis deſtituuntur, magnificentiam non noverunt. alios, qui ſervilis ſunt ingenii, neſcit magnanimitas. Quibus agreſtis eſt & inculta vita, præſcriptos poſſeſſionum terminos ignorant. qui rura agroſq; inhabitant, urbibus familiarē ſuperbiam effugere. nonnulli paucis contenti nec ſpes magnas alunt, nec metuunt multum. At nulla gens, nullus populus eſt, quem non accendat conjugalis ſocietatis cupiditas. Omnium hæc affectibus domina imperat. quia ubiq; intereſt homines ex hominibus naſci, &

mor-

mortis diſpendia thalami fecunditate reſarciri. Nec abhorret ab eo quiſquã, niſi qui iratum habet Iovem, & cui dulciſſimum vitæ fructum invidit benevola natura.

Verum uti in Conjugiis admiranda plurima ſunt & miraculis affinia, ita periculorum & diſcriminũ plena ſunt omnia. Etenim quæ proſunt maximè, nocent inſigniter, ſi abutare. ipſum mel, ſi copioſius ſumas, pro felle erit, & cibi quantumvis exquiſiti, ſi abſit modus regulaque, cedunt in exitium & valetudinis noxam. Amoris, quo ſolo matrimonia vigent valentque, vis eſt ſumma, indoles erecta, ingenium nunc verſatile, nunc propoſiti tenax. ideoq; caſus illum manent varii & ancipites & grandes. Nec ſine cauſa ſapientes ab hoc præcipue affectu ſibi timuerunt, tanquam omnium maximè, cum ra-

tionem

tionem adſpernatur, indomitum rabidumque. Miſericordiæ, clementiæ, timori, triſtitiæ, ſpei, placidi aliquid & quieti ineſt. Amor, melioris conſilî expers, etiam inter conjugatos, impetus eſt & furor. Cum ſanguine ebullit & efferveſcit, prudentiæque monitiſq; ſalutaribus viam præcludit, ſe ſolum audit, à ſe votoq; ſuo diſſentientes contemnit fugitque. audax eſt & minax. flagrat, rubet, tremit, pallet, palpitat, iraſcitur, gaudet, ſperat, deſperat, vult, non vult, ſuſpirat, flet, ridet, hiſtrionis inſtar & pantomimi. Vultu, geſtu, ardore, colore, voce ſe prodit, quantoque eſt major, damnis ſuis aliorumque eſt vicinior. Sed cum amore & benè uti poſſimus & malé, ita ſtatuimus, nihil honeſto, qualis conjugum eſſe debet, magis eſſe ſecundum naturam; nihil inhoneſto, qualis ſcortantium eſt

& va-

& vagas libidines amantiũ magis naturæ contrarium. Etenim ille in adjutorium mutuum & ſolatium cedit, hic in utriuſque amantis infamiam & perniciem. ille animos ſociat & corpora, hic corpora ſolum. ille conjugem conjugi, ſimulq; virtutes virtutibus alligat, hic à virtutibus primùm, inde à conjugibus, qui hîc nulli ſunt, divortium facit. ille divinis auſpiciis thalamũ ſcandit; hic non niſi humana temeritate audaciaque. ille cœleſti favore lætus felixque agit, hic averſo numine ſenſim languet & flacceſcit. Ille prole, liberiſque beatur, quorum educationi ſollicitè intentus eſt. hic & prolis ſpe ob impuros concubitus excidit, & educationem liberorum, magna impietate negligit. Profectò vix ulla peſtis humano generi pluris ſtetit, ſtulto amore. Ab illo videbis totarum gentium excidia,

civitatum clades, regum principumq́; cædes profectas eſſe. Per illum cecidit ſuperbum Ilium & omnis humo fumat Neptunia Troia. Ille Lapithas Centauroſque commiſit, Sabinos Romanoſq́; mutuis præliis attrivit, Tarquinios urbe expulit. Adſpice confoſſos in cubili maritos, filiũ paricidam amoris juſſu, matrem inceſtu pollutam, uxores mariti ſanguine adſperſas. adſpice philtra, venena, amori male famulantia. Nonne Cæſarem, Galliarum, Germaniæ, Britanniæ domitorem, in Hiſpaniis, Italia, Theſſalia, Ægypto victorẽ, amor regius apud Alexandriam vicit? Nonne Annibalem, poſt reportatas tot apud Ticinum, Trebiam, Thraſymenũ & Cannas de Romanis victorias, fregit & ſubegit? Et ſi poëtis fides, Leandrum fluctibus, Biblida lachrymis, Procrin viri telis, Pyramum ſuo enſe, Phædram la-

laqueo interemit. Aut ſi magis domeſtica & recentia adſpicere libeat, vide raptas & ereptas afflictiſſimis parentibus filias: aut, illis obloquentibus fruſtrâ, malè nuptas, filios ſcortorum amoribus implicatos: liberos patrum matrumque inſana libidine infelices, familiarum dedecora, vomicas, & carcinomata. Quod vadimonia fiant, verſuras faciant plurimi, perdita zona foro cedant, ac inopiæ litent, ab eadem non rarò cauſa eſt. Conjugum improbos mores reſpice, faſtum, luxum, garrulitatem, libidinem, in educandis liberis neglig ẽtiam, zelotypiam, odia mutua, lites, pugnas, repudia, divortia. Omnia hæc ab amore fiunt, ſed recti neſcio, Concidunt avitæ domus, degenerant cives, pereunt urbes, poſteros nequiores gignimus, quia ſtolidè & imprudenter amavimus. Nam cum iniquus

ſit adverſuſque rectæ rationi amor, & ingenium induat non unius feræ, peccat gravius, & nil ſceleris dolique intentatum relinquit.

Hanc ob cauſam, optimum quidam putant, non amare. qui, utpote μισόγαμοι, conjugii laudibus detrahunt, eaq; exaggerant ſtudioſiſſimè, ob quæ malè vulgò audiunt nuptiæ. Diſplicet uxor formoſa, ut quam cuſtodire difficillimum ſit. Diſplicet deformis, ut quæ facillimè ſpernitur. Illa ne κοινὴ ſit, hæc ne ποινὴ, metuunt. Damnant nobilem, ne marito ignobili exprobret. & rurſus ignobilem, ne inferiorem ſtemmate faſtidiat maritus nobilis. Nolunt indoctam duci, ne turbas det rerum imperitia. nec doctam, ne ſe inſolentius efferat. fugiunt opulentam, ne imperium dote vendant. fugiunt pauperem & egenam, ne familiæ gravis ſit indo-

ta-

tata. Conjugium ſervitutis ſpeciem vocant & carcerem, è quo non niſi per mortem evadere licet: in cœlibatu pacem eſſe: matrimonium alternorum jurgiorum eſſe palæſtram: Cum uxore ſimultates naſci inter privignos & ſocrus; creſcere familiæ neceſſitates, culinæ fumum decreſcere: liberos ſuſcipi in ſpem eſuritionis, vel parentum opprobrium & dolorem. At improbum fuerit, damnare rem laudatiſſimam, quia ea abutuntur plures. Potius frenandus amantium impetus, & flectenda præceptis monitiſq; hominum cupiditas. Corrigere illam ſapientis eſt, deſtruere tyrannorum. Qui hominem amare vetant, vetant vivere, & parum occidenti diſtant. integrum nobis ſit, quod mortalium animis inſevit divina ſapientia & bonitas. at quicquid improbi aut diſtorti noſtro accedit vitio,

virtute reſecandum. Fecit Deus naturam ancipitem inter boni malique ſtudia, ut ſuperveniens doctrina illam perficeret. nullus affectus per ſe malus, ſed aſſuetudine. non eradicandus amor conjugum, ſed adactis cuneis firmandus. non exſtinguenda vitalis illa flammula, ſed flabello ſalubriũ præceptionum ventilanda. non elidendus naturę motus & incurſus, ſed caſtigandus & coërcendus. facilius eſt errantem & inconſultum amorem regere, quàm tollere. nec ideò tollendus, quia in vitioſos uſus rapitur. alioqui & ſanitas tollenda, quâ quis abutitur; interdicendum homini Cerere & Baccho, quia luxui; veſtibus, quia ſuperbiæ alimentum præbent: valedicendum amicis, quorum opera & ſtudio multi aliis infeſti moleſtique ſumus. Peſſimum remedii genus eſt, ut tollas vitia, auferre-

re bona & generi humano neceſſaria. Huic πανολεθρίαν minantur, qui nuptias tollunt. nec poteſt per ſe malum eſſe, quod divinæ benedictionis vocem meruit, & hoc magni Apoſtoli eloquium: Honorabile eſt conjugium inter quoſvis.

Sed cum primum ſit, non amare; ſecundum, amorem coërcere ne vagetur & aberret; tertium, alieno amori mederi: nihil dicemus ultrà contra primū; nihil de ſecūdo; ſed hærebimus in tertio, & futuris conjugibus præibimus, ne ament incautè, inhoneſtè, inutiliter. Quicunq; conjuges formant, aut ἁπλῶς id faciunt, aut μὴ ἁπλῶς: Hoc modo Oratores, comici, tragici, epici, ſatyrici, aliique de conjugum amoribus diſſerunt ſcriptiſque ſuis admiſcent τὸ ἠθικὸν & τὸ πολιτικόν. illo philoſophi utuntur, qui directa via de virtute & vi-

tio diſceptant, & non aliunde doctrinam iſtam mutuantur, ſed ut domi natam & propriam muneris ſui partem ſibi vendicant. Neq; verò uniuſmodi eſt amores formantium ratio. alii enim per Paræneſes id faciunt, alii per Characteres, alii per dogmata. Ex quo triplex de amore Conjugali philoſophãdi ratio exiſtit: Parænetica, Characteriſtica, & Dogmatica. Parænetica conſtat ſententiis & admonitionibus, quæ vivendi præcepta interdum brevibus verſiculis, interdum prolixiore oratione inculcat. Talis eſt Plutarchi eruditus ſermo de præceptis Connubialibus ad Pollianum & Eurydicen. Characteriſtica conſtat deſcriptionibus amantiũ per ſigna, emblemata, exempla, hominumque ipſorum conjugii virtutibus aut vitiis præditorum graphica velut imagine, & εἰκονισμῷ. Hæc alio nomine

πα-

παραδειγματικὴ vocatur. Atque hoc genus Characteriſticum etiam Apologi referri poſſunt & ſimilitudines, quibus conjugũ officia per μιμητικὰς ὑποτυπώσεις rerum animatarum atque inanimatarum deſcribuntur. Dogmatica conſtat accurata amoris & officii conjugalis deſcriptione per definitiones, diviſiones, ac potius cauſas rationeſque ſcrutatur, quàm præceptis aut admonitionibus indulget. Propterea alio nomine ἀποδεικτικὴ appellatur. Et hoc modo tum in Phyſicis, tum in Oeconomicis de amoris natura ac conjugum virtutibus diſſerit Ariſtoteles. Placuit aliquando Nobiliſs^{mo} & clariſs^{mo} D. CATSIO modus Paræneticus, cum ſub perſonis Annæ & Phyllidis, de conjugio verba fecit. Etiam Characteriſticus per Emblemata ſubinde illi arriſit. Et huic quidem ſcribendi generi

pergit in ANNVLO PRONVBO inſiſtere, & Exemplis memorabilibus ob oculos ponere, quod intendit; ita tamen, ut nec prorſus à Paræneſi abſtineat, nec occaſiones negligat, Amoris conjugalis indolem, ſtudia, cauſas, effectus admirabiles deſcribendi. De hoc amore, & qui ad illum, ut ſcopum, dirigitur, omnis quoq; noſtra erit commentatio. Inquirenda & excutienda Antiquitas, tum ſacra tum profana. Petenda ex ſcriptoribus omnis ævi exempla conjugum memoratu digna, quos vel forma inſolita conjugii, vel inſignior fraus, vel occaſio minus quæſita, vel amoris impotentia, vel conjugum diſſimilitudo, vel amantium effrenis audacia toti orbi mirabiles & celebres fecit. Nec tamē omnia complecti animus eſt. Quis enim conjugum caſus omnes & eventa tot retrò ſeculis tranſ-

acta

acta modico volumine comprehenderit? Verum ſelecta dabimus & ex illuſtribus autoribus petita. quorum fidem, cum ſacri erunt, convellere, impium fuerit: cum profani, ſine cauſa convellere, temerarium.

Ac primò quidem loquimur poëtarum voce, orationemque numeris, pedibus metriſque adſtringimus. Factum hoc à D. CATSIO nuper in Opere Belgico, quod Annuli pronubi inſcriptionem præ ſe fert. & fit nunc quoque partim ab ipſo, partim ab aliis Batavorum & Walachrorum vatibus Latinis, hoc ipſo libro. Ita enim ſtatuimus, caſus hoſce matrimoniorum illuſtres, dignos eſſe, in quibus ſe poëtices ſtudioſi exerceant, & rapta per commenta ſua & diſcurſus mens feratur. Debere etiam illa tractari liberiore animorum motu, ut retento argumento pro lubitu

va-

vagarentur inventis ſuis, non impediti aut aſtricti Belgicis verſibus Muſarum myſtæ. Alicuius caſus paraphraſin ſibi imperavit Vir Nobiliſs. ut ſopitas aliquandiu Muſas Latinas ſuſcitaret: quorundam autor eſt CORNELIVS BOYVS, Iuriſconſultus & coram Hollandię Curia Advocatus, quorundam CASPAR BARLÆVS, philoſophiæ apud Amſtelodamenſes Profeſſor, qui omnes ſymbolam contulere, citrà invidiam, ad hoc Poëmatum epulum.

Deinde liberiore ſtylo & Dialogis Controverſiæ matrimoniales expenduntur, non quævis, ſed ex ipſa hiſtoria ultrò effloreſcentes. Loquuntur in Opere CATSII Belgico Sophroniſcus & Philogamus, quorum hic diſcentis, ille docentis partes ſuſtinet. hic amantium officia ſcire ſatagit, ille exponit. alter concitatior & ardentior, alter cautior:

tior: alter nullum non conjugii modum probat; alter non niſi legibus circumſcriptum: hic juvenili ardore & fiducia promit, quicquid dictat amoris affectus, ille ſenili gravitate regit dictis animos & pectora mulcet. hic, ut vivant, aut ut vivere optent amantes, ille ut vivere oporteat, oſtendit. Horum exemplo Dialogos quoſdam ejuſdem argumenti ſcripſit C. Barlæus, in quibus cũ viris maximis amiciſſimiſque loquitur, ſeriò, jocoſè, miſcens Stoico Cynicum, theologum philoſopho, ut & recreare poſſit eorundem lectio non moroſum lectorem, & docere non omnino ſciolum.

Finis auté operis noſtri primus præcipuuſque eſt, ut Exemplorum illuſtrium relatione, & exaggeratione, ad virtutum ſtudia excitemus, quotquot aut conjuges ſe profitentur, aut fieri non

recu-

recuſant. Eſt ſua rationibus vis, quibus ad honeſtatem viri feminæq; inflammantur. Verum uti illæ plus roboris habent ad probandum, ita plus valent exempla ad perſuadendum. Hoc illud eſt (ut ad Livianam periodũ alludam) in cognitione rerum matrimonialium ſalubre & frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: inde tibi tuæq; familiæ & thalamo, quod imitere, capias; inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. *Adami* & *Evæ* conjugium legentibus, non poteſt non ſubire thori conjugalis reverentia, majeſtas, ſanctitas, ſimplicitas. Nuptiarum ſiquidem autor fuit idem, qui totius mundi; locus, Paradiſus: teſtes, creaturæ, inſontes adhuc: idem Sponſi qui Sponſæ pater: innocentia pudoris neſcia, proprius conjugum character: lex, indiſſo-

lubilis

lubilis copula: felicitas, divinæ benedictionis vox,

Et nati natorum & qui naſcentur ab illis.
Iacobus Bigamus docet, quantum ſit amoris ſinceri robur, quæ efficacia, ut qui ſpreta ſoceri fraude, novi ſeptennii famulitio Rachelem redemerit. Siloitarum virginum raptus monet ſceleratos & nefandos amores ſuum manere ſupplicium, nec perfidia & dolo malo quærendos eſſe amicis thalamos. *Calebi* filia ſpecimen præbet eximium & ſuæ erga parentem obedientiæ, & abſoluti parentum juris in elocandis filiabus. *Crates* & *Hipparchia* diſſimillimos vita, ſorte, ſtudiis jungi oſtendunt, & rectè facere virgines, quantumvis opulentas ſplendidaſque, ſi in mariti delectu ſapientiæ virtutiſq; potius, quam ſanguinis, vel opum rationé habeant. *Menandri* duarum virginum raptoris hiſto-

hiſtoria, clementiæ muliebris & ſeveræ pudicitiæ certamen exhibet, duaſque Sponſas committit, quarum una comica lenitate amabilem ſe, altera tragica aſperitate formidabilem præbet. *Eginardus* & *Cheiromantis* fidem faciunt, leviſſimis ſæpè occaſionibus nuptias contrahi. Verus *Guerra* lites jurgiaque recente matrimonio cavendas monet, arcana thori revelari prohibet, ementitus verò, ſtupendæ audaciæ ac verſutiæ exemplum, amantes admonet, & magna teſtatur voce per umbras:

Diſcite juſtitiam moniti & non temnere Divos.

Aſpaſia teſtis eſt, non deeſſe piæ ac caſtæ conjugi adverſus calumniam invidiamque vindicias divinas. Nuptiæ Chriſti & Eccleſię cum ſpirituales ſint, ac planè alterius ordinis à prioribus, nos fide per charitatem efficace Chri-

ſto

ſto Servatori ac per hunc Deo Patri jungi & uniri docent~, ſimulq; officii noſtri nos commonefaciunt~, ut dignos nos tali conjugio, tanto conjuge, tanta felicitate præſtemus.

Efficiunt~ id hiſtoriæ præſentes in conjugum generoſis animis, ut rectè factis aliorum incitentur ad honeſtatem, malefactis deterreantur. Nec minus in rebus arduis ac difficilibus thalami caſibus, conſilium ſuppeditabunt & cautiores nos reddent periculis alienis, dum videmus, quantas in calamitates inciderint ſtulti amatores, quantis emerſerint prudenter & religioſè amantes. Nec enim facilè quis deſperabit, ea ſe conſequi poſſe, quæ alios novit præſtitiſſe. Et ſi fabulas vel myth iſtorias legimus avidè, ut exemplis fictis vel meliores vel prudētiores reddamur, quanto magis veræ narrationes

quas damus, ad movendos animos vim habebunt majorem.

Alter operis finis eſt τὸ τερπνὸν, hoc eſt, voluptas & delectatio. Eam tribus modis adferet hiſtoriarum præſentium lectio. Primò narrationum perſpicuitate, quæ cum ſingularibus inſiſtant, & conjugum celebratiſſimorũ exemplis, facilè intelligi poſſunt. Afficiunt majore voluptate animum, quæ ſenſibus magis ſunt affinia, quàm univerſales de rebus practicis ſermones. Deinde caſuum varietas maxima eſt, quæ lectorem non minus reficit, quàm ſtomachum ferculorum cibique novitas. Denique aliena pericula temeritatemque amantium videmus extra teli jactum, ſalvi atque incolumes, quæ res jucunda hominibus eſſe ſolet.

Suave mari in magno turbantibus æquora ventis

E ter-

E terra magnum alterius ſpectare laborem.
Non quia vexari quenquam eſt jucunda voluptas.
Sed quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave eſt.

Habet præteriti doloris ſecura recordatio voluptatem; ceteris verò nulla perfunctis propria moleſtia, caſus alienos ſine ullo dolore intuentibus, etiam ipſa miſericordia jucunda eſt. Quem enim noſtrûm exemta periculo & Regi ſuo ac marito probata Aſpaſia, non cum quadam miſeratione delectet? Cujus ſtudium in legendo non erectum attentumque, magni impoſtoris Guerræ contumacia pœnaque, retineatur. Matronarum & puellarum excellentium ancipites eventus habent ſuam admirationem, exſpectationem, lætitiam, moleſtiam, ſpem, timorem. ſi vero

exitu notabili concluduntur, expletur animus fructu jucundiſſimæ lectionis.

Accedite & advertite lectores, ſive de conjuge ſolliciti eſtis ipſi, ſive eam liberis veſtris quæritis. Inter parabiles res uxor eſt. Sed hæc ipſa longum vel bonorum vel malorum ſyrma trahit. Delectu ergò opus eſt ſapientibus, ne pereant; & judicio, ut bonam à mala diſcernant. Hoc fine exempla in medium adducimus vitæ conjugalis, in qua per adverſa & ſecunda, triſtia & læta, dolores & gaudia, ſpem & metum thalamis potimur, fruimur, defungimur. Pro Lydio lapide hæc erunt Fidei annulique nuptialis ac pronubi, quo veros amores & probatos à falſis improbiſque diſcernatis. Qui amaverint ſeriò, circumſpectè, & ſanctè grandibus documentis videtis. Qui amaverint malis ac ſiniſtris artibus, in aperto

eſt.

eſt. Quid ſit pulchrum in conjugio, quid turpe, quid utile, quid non, palam facimus. Frigidum amatorem alicubi deprehendes magnis auſis excidiſſe, animoſum perfeciſſe: majus ſemper virtutis & modeſtiæ fuiſſe precium apud bonos, quam verſutiæ & calliditatis: impetraſſe amores probos, quod non potuerunt improbi. Iungi corporibus, etiam belluinum eſt; cum ratione jungi, humanum; religioſè divinum.

Te igitur huic cœpto, penes quem conjugum eſt imperium, potentiſſime lecti vindex, Deus, invocamus, cujus cœleſti providentia amores liciti benigniſſimè foventur, illiciti ſeveriſſimè vindicantur. Nam ſi priſci oratores ac poëtæ à Iove ſuo exorſi ſunt, par erit Chriſtianos ſcriptores ad favorem tuum decurrere, cujus primæva voce

conjugio ſua claritas firmitaſq; acceſſit. Et quoniam à ſacris initium facere in animo eſt, à primis & illuſtriſſimis primorum parentum ADAMI & EVÆ nuptiis dicere auſpicabimur.

IN LIBROS POËMATUM MORALIUM, Nobiliſſimi, clariſſimi, ampliſſimique viri D. IACOBI CATSII Equitis, & Reipub. Dordracenæ Syndici, Poëmation.

SVmme Virûm, cujus tetricos facundia Belgas
Mulcet, & attonitos locuples doctrina penates
Detinet & pulchro populos informat honeſto:
Inſere Virtutem titulis, totque inter honores
Fulgeat una tuis Probitas aſſerta Camœnis,
Et Regum ingenuo deſpectet munera vultu.
Nos tibi debemus patres. tibi fauſta precatur
Femina, & in docili recitat tua dogmata lecto
Officioſa parens, & leges diſcit amandi
Impatiens rectoris amor. tibi filia mores
Devovet, & cuivis nequit arridere marito
Imperiis attenta tuis. Tu Protea nobis
Reddis & in varias verſans Emblemata formas,
Nunc alias voces, alias in carmine partes
Induis, & noſtræ raperis per devia vitæ,
Peccandique modos. Te præceptore ſuperbit
Scena pudicitiæ, & maturæ zona puellæ,
Flammeaque & cupido rutilantes limine tedæ.
Creditur immitem mellitis vocibus Hæmum

Thrëicius flexiſſe pater, rigidamq́; ſuävi
Barbariem domuiſſe lyra. tunc horrida cultus
Imbibit & poïuit facili miteſcere cantu
Improbitas, Thraceſq́; ſuos emolliit Orpheus.
Nos Rhodope Thraceſq́; ſumus. quorum effera, Catzi,
Corda domas, quibus admiſſus præcordia circum
Ludis & effrenes animi compeſcis habenas
Iuſſibus & calidæ moderaris vota juventæ.
Tu, velut Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa moves modulis placidæ teſtudinis, & nos
Eloquii torrente rapis. Tu monſtra malorum
Impiger Alcides ſubigis; certuſque Deorum
Interpres Stygiis animas arceſſis ab undis
Afflatus propiore Deo. te vindice recti
Iam Batavos peccare pudet, Cypriſque fatetur
Se ſapere, & levibus volitans Puer improbus alis
Corrugat geniale caput, quaſſatque pharetram
Segnius. ac quicquid quondam Cornelia mater
Gracchorum potuitq́; loqui Sempronia grandis,
Aut quæ magnanimo reſpondit verba Catoni
Porcia, vel Lælî genitrix, ediſſerit orbi.
Quàm ſtupui, cum bella ſibi ſecreta pararet
Iſacides, totumque ſuis circumdaret armis
Relligio cataphracta virum. ſe diſſidet ipſo,
Obloquiturque ſibi. tollunt hinc ſigna voluptas,
Hinc ratio. recitantq́; uni diverſa cupido

Et

Et metus. innocuæ ſuadet contraria menti
Luxuries, prædulce malum. duo numina diſtant
Partibus, & geminis pugnant ſenſuſq; Deuſque
Imperiis dupliciſque Boni oſtentatur imago.
At quia ſancta probat, nocituraq; gaudia damnat,
Eligit iſta pius; nec ſolùm pallia litem,
Sed pietas dirimit. quid turpe, quid utile, quid non,
Expedit, & valido mille argumenta pudori
Sufficit. intereà tanti Dux femina facti
Spreta jacet tacitiſque odiis alimenta miniſtrat,
Et dolet elapſam virtutem amplexibus eſſe.
Vates magne, furens mulier ſi temnere Divos
Iuratamque fidem thalamo Memphitica conjunx
Auſa fuit, proprioque illuſit mœcha marito:
Stat juvenis crimenque fugit, dominamq; ſceluſque
Arguit, & monitis aulas prudentibus implet.
Pythagoræ voces Samiique edicta magiſtri,
Et promulgatas taciturno judice leges
Audiit indocti pubes ſtudioſa Tarenti,
Informeſq; ſcholæ Calabrûm, Samniſque Crotonq;
Aureaque Italicis ſonuerunt carmina portis.
Nec minus incultas ſapiens inſtruxit Athenas
Exemplo dictiſque ſenex, & nectar Hymetti
Miſcuit officio civis. cum tecta domoſque
Privatoſque lares Sapientia ſera ſubiret,
Æthereis ſubducta plagis. veneranda Theognis

Trinacriis præcepta dedit, Siculamque recoxit
Formavitque rudem. placuit generoſa monentis
Suada Syri Mimique lepor. Nos omnia per te
Diſcimus & poſt tot credit ſe ſecla renaſci
Simplicitas, tangenſq; animos reverentia Divûm,
Et vitæ melioris honos moreſque ſeveri.
Dic age, Toxandrûm ſoboles, quo numine ſoli
Conceſſum tibi tanta loqui? qua Pallade pectus
Grande tumet? neſcitque furor ceſſare canendi
Quæ terris prodeſſe queant? non ſidera demens
Metiris Phœbique jubar, nec inutilis hæres
Arcturumque Hyadaſque inter Lunæque labores,
Erranteſque Deos. non vanis linea chartis
Pingitur, aut ſectis circumvallata figuris.
Picta placet potius virtus & ſculpta decori
Effigies. quin ipſa patens ad dogmata laxos
Expandit natura ſinus. nos ſimia, taurus,
Nos arbor piſciſque docent. nos vitis amare,
Atque aliquid fugiſſe cupit. nunc garrula nobis
Servit avis. nunc rana ſuis facunda ſub undis
Vitæ monſtrat iter. nunc nobis vacca magiſtra eſt,
Dux canis. hortantur lapides, objurgat amantem
Concha tuum. fœdo quæ pendet aranea tecto,
Et lenes alibi præbent documenta columbæ.
Imperitat ventri Phariæ regnator arenæ,
Mus gremio, cupidos Libycus leo velat ocellos,

Cha-

Chaoniæque tibi dictant oracula quercus.
Dum ludit puer, incauti veſania mundi
Dètegitur, quantiſque rotet ſe paſſibus orbis
Tot ſcelerum fraudumque pater, te vate, pateſcit.
Sic oculis coram fulgens ſpectatur honeſtum,
Sic manibus palpatur idem. Sic perſonat aures
Egregium recti murmur. diſtincta tabellis
Regula vivendi legitur, normaſque decori
Sedulitas numerat. ſemperque induſtria ſenſus
Invenit & quovis ſtruitur ſententia caſu.
Neve foret Batavûm populis incultior Auſon,
Romanas ſociat verborum opulentia voces,
Atque tuo recreant animos modulamine Celtæ,
Quique Ararim Ligerimque bibunt, Rhodanumque
loquendo
Anticipant, longiſque trahunt idiomata braccis.
Ipſe tuum patria miratur currere lingua
Thuſcus epos; captuſque tuæ dulcedine Muſæ
Crudelis manſueſcit Iber, nativaque verba
Diligit & tumidæ gnomas impertit amicæ.
Adſpicit & titulos Tameſis veloxque Tueda,
Et triplici donat ſuccincta poëmata ſceptro,
Regali jam tacta manu. Tuus illa, Britanne,
Scribit eques, Phœbique magis quæ ſplendet amictu
Nobilitas, noſtrique decus ſublime Senatus.
Ex alio rurſum ſurgit labor. altera laudi

Ma-

Materies campuſque patet. ſua fata recenſet
Priſcus Hymen, thalamiq́ juvat memorare labores
Mnemoſynen, ſoccoque gravem miſcere cothurnum.
Qualis in adverſam frendens Tryphoſa Iocaſtam
Detonet, & rapto quærat crudele pudori
Supplicium, mox Belga leget. quam ſplendida poſcat
Virgo Cratem, poſſitque etiam vel gibbus amari
Et laceri ſapientis honos & fibula ſimplex
Et ſeries neglecta togæ, caperataque triſti
Forma ſupercilio & Cynicæ ſors horrida barbæ.
Nec te, prime pater, tacitum aut primæva ſilebit
Fœdera & inſolitis claram natalibus Evam;
Non ſacroſancti connubia myſtica Sponſi,
Æthereaſque faces, atque ipſi nubile cœlo
Chriſtiadum præluſtre genus. narrantur amores
Abramidûm, clarique thoris regalibus ignes,
Et ſpretæ fortuna Leæ, tedæque ſororis,
Et mox virginibus vacuæ Siloenſibus urbes.
Tempora cuncta patent vati. diſtinguitur ævo
Res ac cura ſuo & nobis imitabile paſſim
Invenit, & grandes majorum ponderat auſus.
Nobile Durdrechtum, ſi quid tibi conflua laudis
Flumina ferre putas. celſis ſi maſcula portis
Præſidet & faſces oſtentat virgo vetuſtos;
Si Mervæ jactas Dominos: ſi prima ſorores
Inter verba facis: ſi vectigalibus angis

Et

Et Rhenum Moſamque Deos : ſi fluctibus uſque
Emergis melior : plus, hoc monitore, ſuperbi,
Huic aſſurge viro. qui jam tibi conſulit uni,
Iam Batavis, patriæque ſuis ſuffragia fulcit
Conſiliis forteſque animos opponit Ibero.
Format lege domos, & ſævos exigit hoſtes
Invidiam faſtumque & fœdi gaudia luxus,
Otia laſcivamque gulam, & maleſana Lyæi
Orgia; & immenſis rimantem faucibus aurum
Pellit Avaritiam. ſic condis, maxime CATSI,
Oppida, ſic meliora facis; ſtabulumque repurgas
Sordibus, Antæoſque necas, Hydraſque, boveſque,
Quin ipſum Phlegethonta domas, Cacumq́; rapacem,
Et crudi Diomedis equos. Stymphalidas arte
Dejicis & rabidos proſternis carmine Neſſos.
Virtutum venerande pater, ſanctiſſime legum
Arbiter, hæc audi facilis: qui corrigis orbem,
Orbis vota cape; & monitorum præmia credas
Optima, nos parere tibi: concedere juſſis
Crimina; tot paſſim ſcelerum palleſcere vultus:
Peccari minus: inſanas reſipiſcere matres,
Audaceſque nurus: melius ſentire puellas,
Perſuadere patres: percuſſaque fulmine linguæ
Secla verecundas Belgis promittere nuptas.

Scribebam ad Amſtelam virtutum
tuarum ſummus cultor

CASPAR BARLÆVS.

IN
Primum Matrimonium primorum Parentum, Ad Nobiliſs. Ampliſſimumque Virum JACOBUM CATSIUM, Equitem, &c.

PRimæva proles fabricatoris Dei,
Aulæque, quam Sol ambit, alludit mare,
Fontes pererrant, omne perrepit pecus,
Iam fabricatæ diſtinatus incola,
Totius & poſſeſſor & pars fabricæ,
Et ipſe totum; pars adhuc ibat ſui,
Nec totus ipſe. Deerat hoc unum viro;
Vt & vir eſſet: ne periret illico
In uno, ab uno debitum humanum genus.
Poſt nata cuncta, nata vox eſt conjugis,
Vitæ levamen, dulce ſolamen thori,
Divine Catſi: qualis autori aſtitit
Tot poſterorum cum maritali excitus
Sopore, matrem diſtinatam cæteris,
Et portionem lætus agnovit ſui;
Caſtus pudicam, qualis aut quondam tibi,
Aut Ermegardis nuper elapſa eſt mihi;
Vrbanitatis mater, artifex joci,
Muſis amica, non fori, non ambitus
Ardore tactum tacta perfundens virum:
Sed immodeſtæ mentis atque exercitæ

Suf-

Sufflaminatrix, utque cælitus data
Feſtivitati dulcis appendix mea:
Quam blandientis apta fortunæ comes,
Tam ſævientem nil morata pellicem,
Quæ dura lætis, læta mutat aſperis;
Nunc lachrymarum naufrago infelix mare,
Vulnuſque, nullis expiandum luctibus.
Hæc è parente nata tum primum viro,
Pars ante, quam marita, conjugis ſui,
Viro creata, ſed creata de viro,
Perfecit, abſoluitque, cui nata eſt, virum.
Concors amanti pronubus ſtabat polus,
Et Terra mater; prima naſcenti parens,
Vt mox noverca. Fæderi præſtes Deus,
Aſteſque, toto cum Quiritium choro,
Quos inquilinos aula cæleſtis videt.
Dos orbis: haud dum exhauſtus, ac preſſus gravi,
Vt nunc ſenecta, ſed recens atque integræ
Adhuc juventæ. nec minus tædæ memor,
Et nuptiali conſecratus fædere.
Quippe ipſe, circumfuſus amplexu ſuo
Immenſus aer dædalum Terræ ſinum,
Rore & maritis inrigabat imbribus;
Tot germinum florumque fæcundus parens.
Thetis nec ipſa deerat in partes ſuas,
Terræ ſororis æmulatrix, ſedula

Au-

Digitized by Google

Augere , eâdem lege diffuſum genus.
Monſtris amica nunc , parens adultera ;
Suæque gentis , nec ſua puerpera .
Sic nata cuncta : ſic propagatrix ſui
Natura rerum tota , ſic orbis manet ,
Sed cum parente gentis humanæ viro.
Primus parentum , conſecratus nuptiis ,
Iam conſecratis , poſteros terris dedit ,
Et conſecratas dedicavit poſteris .

DANIEL HEINSIVS.

Digitized by Google

IN

Natalem vitæ diem Nobiliſſimi Ampliſſimique Viri

D.D. IACOBI CATSII

Equitis, magni Hollandiæ Weſt-Friſiæque Conſiliarii, Syndicique, &c.

Qui eſt Novembris decimus.

AD

SOLEM.

SOL, qui ſidereum ſtellis rutilantibus axem
Condecoras, mundoque ſuas ab origine cauſas
Sufficis, aſpectumque vagos diffundis in orbes,
Et rerum dominum terris expandis Olympum,
Iam radio meliore redi, Batavoque coruſcum
Tolle caput populoque mica; nec triſte pruinis
Sidus, at optatum, reliquis comitantibus aſtris,
In gentes emitte jubar. Sua Falciger abdat
Tela furens, nec in his facies Saturnia feſtis
Funereo ſtet dira loco, cælumque ſerenum
Conſpuat, aut quæcunque feros crudelia vultus
Aſtra levant, hominiq; nocent. Det lumen amicum
Vatibus, & ſoli Clario, Clariique nepoti
Catſiadæ micuiſſe polus feſtinet, & omnes
In flammas animaſſe Deos, ſtellaſque minores

**** *Majo-*

Majori junxiſſe faci, juſtumque frequenti
Det nebulæ nimboque modum, nec prata ſolumque
Plus riget, inſolitoſque ultrà ne proroget imbres,
Et flenti accedat Batavo, cui fractus Iberus
Hactenus; infeſtas ſtitit imperterritus haſtas,
Victricemque gradum oppoſitis compeſcuit armis.
Si lacrymas hæc damna, ſuos ſi crimina fletus,
Et triſtes meruêre vices. Si flebilis æſtas
Flere meam voluit Patriam. jam lumine puro
Phœbus, & abſterſis fax illuſtriſſima nimbis
Lætitiæ monumenta ſuæ, Vatique poëtam
Concitet Æquoreo Æquoreum; dum ſumma dierum
Reſplendet radiatque dies, & nobile tempus
Mattiaco natale redit. Quod jure notandum
Inſcribit patriis Genitrix Zelandia faſtis
Shaldiaque in ſeros multum venerabitur annos
Naſcendi ſignanda loco. Se jactet Homero
Græcia, & incertos Colophon, Chios, Argos ad ortus
Mendacem ſe priſca neget. Celebrentur Athenæ
Tot genitis doctorum animis. Nec Mantua vatem
Ignoret grandæva ſuum, cedatque ſuperbis
Majeſtas Tarpeia ſonis. Tollantur aquoſi
Peligni Naſone ſato. Reliquuſque poëtis
Orbis ovet ſibi progenitis. Seu priſca pererres
Sæcula, cum Graium domus & Pandionis arces
Solæ altam tetigêre chelyn. Seu Roma feroces

In-

Intulit in terras aquilas, ſceptriſque Camœnas
Pieriaſque adjecit opes, templumque Minervæ
Struxit & Auſonias Helicon tranſfudit in urbes.
Seu, poſt turbatum Latium, Muſaſque fugatas,
Barbariemque, patrum, redivivas Cynthius artes
Reddidit, Europamque ſuis, queis merſa, tenebris
Tunc fuit, eripuit. Certè non clarius ulli,
Non par nomen erit, quam tu, Zelandia, cunis
Cepiſti gaviſa tuis; cùm Conſule natus
Extulit os, matrique gravis ſolatia partus
Attulit. Hanc multum variis inſomnia ſpectris
Compulerant, ſperaſſe aliquem, qui ſorte parentes
Tolleret, & claris quamvis, virtute miniſtrâ,
Præluceret avis. Viridi jam tempora lauro
Cingier & pulchras ſoboli componier herbas
Nocte videt, Batavumque illi ſaliiſſe Leonem.
Se regi ducibuſque loqui, mundique per omnes
Se conferre plagas, Patrio ſe cedere ponto,
Et terris majora ſequi. Non gnara futuri
Ominis, aſpecto cepit præludia nato
Et didicit quid fata velint. Circumſtetit illum
Nereidum chorus, & noſtri regina profundi
Excepit gremio puerum, Clariæque corollis
Implicuêre caput. Tuque, ô divina propago,
Lux patriæ, dixêre, tuæ, generiſque perenne
Nomen eris. Te magnanimus Toxander alumno

 Emer-

Emerſis aſſurget aquis, & fluctibus iſtis
Primus Apollineos dabit hîc aſſurgere fontes.
Te ſolium, te ſceptra colent, patriæque potenti
Præficière pater, dum te cæleſtia rurſum
Iuſſa ſalutiferis claudent, poſt funera, regnis.
His dictis, facit orſa parens, ſtudiiſque tenellum
Inſtruit ingenuis animum, cunctaſque per artes
Evehit, & patrios formandum tradit in uſus.
Tu mihi, tu primæ referas, Zirizæa, juventæ
Præmia, ſucceſſuſque ſcholæ: quo percitus æſtu
Se ſemper tranſgreſſus iit, nullique ſecundus
Submiſit quemcunque parem. Non ille laboris
Laudator ſpretorve ſui; ſed totus agendi
Raptus & audendi genio, quam concipit artem
Ipſe capit. vix Suada ſuas Romana loquelas
Contulerat, cum magnanimos inquirit in actus
Æneadum, diſcitque potens queis Roma triumphis
Surrexit Mundo caput, & quo ſubruta caſu
Conciderit, ploretque ſuas collapſa ruinas.
Iam Tullî miratur opus, facundaque volvens
Verba ſuis aptat labiis. imitabilis illi
Iam fervet Catilina furens, medioque ſenatu
Ejicit authorem ſcelerum. Iam fulmine Verrem
Sternit, & inverſi damnat de jure peculî.
At mox mite ſonat, Vatemque orator amicum
Liberat, & charum ſtudet abſolviſſe Milonem.
Aoni-

Aonios exinde lacus & dulcia libat
Pocula, ſeu Græcis animum tribuiſſe Camœnis
Par fuit, aut Latias ſtudio cognoſcere Muſas.
Omnes haurit amans; Patriæ ſed amantior, hauſit
Delicias linguæque melos, quod primus amœnum
Fecit & in dulces fudit numeroſior hymnos.
Hæc puero laus prima fuit. Mox celſior altùm
Spirat, & Hollandas tranſit ſtudioſus Athenas.
Hîc celeri mens acta gradu gravioribus omnes
Admovit curis animos, & jecit honori
Fundamenta ſuo. Dominûm reſponſa Quiritum
Conſulit, & ſcriptas Romano principe leges.
Has legit, has ſervat. Non illum Tracicus œſtro
Afflavit furor, aut verſis in crimina traxit
Moribus Eumenidum rabies. Qui terminus ævi
Hîc virtutis erat. Donec, ſurgentibus annis,
Ire foras, Druidum celebres addiſcere voces,
Et peregrè doctam ſubiit duxiſſe Iuventam.
Tu mihi Batavicæ formatrix Gallia pubis
Dic greſſus moreſque viri, quos contulit illuc,
Quos fert inde pios: non tu quid ponderis illi
Ipſa levis tribuiſſe vales; te linquere notam
Et Scillas vitaſſe tuas juvenumque Charybdes
Conſtituit, patriæque gradus infigere terræ.
Extemplò promptam rapit in ſubſellia mentem
Et cauſſis orator adeſt, Haganaque calcat

 Atria,

Atria, & auguſtas quatiens facundior aulas
Dat ſacra momenta togæ. Quem crimine ſontem
Iuſtus agit, peragit; ſolvit, quem ſolvere par eſt.
At mox terra parens vocat, & privata diſertis
Roſtra patrociniis. Valachram ſe ducit in urbem,
Iudiciumque adſiſtit agens; ſeu jurgia miſcet
Flander, & indomitis Morini altercantur arenis,
Et noſtræ parent Themidi; ſeu principe cœtu,
Conſeſſuque patrum medio, dominiſque Mitellis
Fatur ovans. Mirata virum Ziriʒæa, Dione,
Optat huic, famulante, dari, Nataque lacertis
In patriæ ſumpſiſſe patrem. Sed riſit iniquam
Amſtela & Hollandos juveni ſuggeſſit amores,
Et diti involvit thalamo. Quo clarius uſquam
Fœdus, & infractæ melior conſtantia dextræ
Non alibi, par rara fuit. Quot vertice Nymphas
Pindus habet, charos tot Valckenburgia fœtus
Edidit. At mors lethiferam funeſta ſecurim
Strinxit in hos, binaſque dedit ſupereſſe puellas.
Has colit, has format Genitrix, dũ ſcandit Olympum;
Phœbæaſque Pater Divas fovet, & ſua curis
Dura canens mollit, præſtantibus otia Muſis,
Tempora. Virgineos divino carmine ritus,
Ardentemque notat Sephyram, Dominæq; rebellem
Iſacidem, & pulſam ſolii de culmine Vaſtin.
Poſt toti dat jura thoro, ſponſamque maritamque

Et

Et viduam comitatur anum, thalamique pudicum
Format opus, nuptaſq́ regit. Non mollius unquam
Argolicæ ſonuêre lyræ, nec vena Quiritum
Dulcius ætherea fluxit ſcaturigine lymphæ.
Iam durum Naſonis opus. Nec mollis acutam
Mulcet amans Flaccus Lalagen. Iam ſuave Propertî
Deſiit eſſe melos. Facilem ſcripſiſſe Tibullum
Catſiadæ lector negat. Et ſua gratia Gallo
Deficit. Artificemque fugit jam Belga procantem,
Quem Sulmo, quem Roma ſtupet. Præcellit amator
Catſius, Idaliiſque comas redimitur in hortis.
Sed plus Vate valet. Tu dic, Mitella, regentis
Conſilium preciumque viri, quô ducta quietem
Civibus & toti peperiſti commoda genti.
Quæ meus invidit Batavus, cum quaſſa procellis
Contremeret dubiiſque fluens Reſpublica ſtaret
Caſibus. E Valacris Vahalis pellexit arenis,
Et motu ambivit proprio. Tam nobile tellus
Depoſitum vix paſſa rapi. Doluêre paratum
Nereides & ſacra meo tot nomina ponto.
Præfertur dis Merva Salo, plus Moſa Profundo
Allicit, Æquoreæque minor reverentia terræ.
Stamus ab Hollandis Belgæ. Septemplicis audit
Imperii gens una caput. Nos principe cuncti
Vivimus hoc populi populo; primaria cujus
Oſtia Catſiadæ foribus panduntur apertis.

Tu, mea nunc, thalamiſq; Parens vicina paratis,
Dic civem, Dordrechta, tuum. Queis mœnia curis
Fulciit, & ſummæ præſtans illuxerit urbi.
Certè, ſi qua fides claræ per compita famæ,
Nec toti vox falſa ſolo: Tranquillius unquam
Ingenium patrioſque parem non vidit in uſus
Vrbs primæva Patrem. Preſſis ſeu civibus omnem
Circumferret opem. Medio ſeu vota ſenatu
Iunxit, & in ſanam traxit ſubſellia mentem.
Perſuaſit, quod ſuaſit opus. Quod ſpernere niſus,
Sprevit ovans. Lis nulla viro, pax ſemper eundem
Exhibuit vultu genium. Iam flectere geſtu,
Iam plus voce putes. Batavas ſeu primus in urbes
Intonuit; ſeu blandus erat. ſeu tempora belli
Poſceret, aut ſacram voluit laudaſſe quietem.
Hoc nullo minor ore fuit. Quid templa colenti
Vis dicam ſuffulta viro? Molimine cujus
Promovit regnum Pietas, potuitque caleſcens
Relligio virtuſque coli. Quid trans mare fantem
Inſequar; & Carolo laudatas principe voces?
Si gratos unquam monitus, tulit Anglia jam tum
Angelicis convicta ſonis. Quid ſcripta, quid artes,
Queis, Dordrechta, viges, ſerumq; fereris in ævum
Nec poteris defuncta mori? (ſi fortè ruinæ
Te debes, ut cuncta, tuæ) Non culmina, non te
Tam celſam tua tecta levant; quam clara poëſi

Tol-

Tolleris, & fluidis, queis fluxit Catſius, hymnis.
Se tardum jam Merva tuus, Vahaliſq; morantem,
Nec celerem ſe Moſa putat, dum flumine tali
Aonidum properant latices, faciliſque loquelæ
Fluxus inæquales veterum prævertit honores.
His domuit curas ſtudiis, mentique vigorem
Attulit antiſtes Patriæ; cui pectore toto
Incubuit. Clarias laſſus deflectit ad undas
Reſtauratque canens animum. Sic durus Achilles,
Prælia poſt, citharam coluit. Movitque canendo
Bella triumphator Macedo. Calamoſque lyraſque
Auguſtæ tetigêre manus, Muſaſque ſuperbus
Contrectavit apex. Carolum ſic Sequana Magnum
Vidit Apollineis ſceptrum ſubmittere pennis,
Nec regno ſupereſſe minus, ſed pondus adepti
Imperii portaſſe magis. Non diſpare motu
Catſius, Hollandi poſt tot, poſt tanta Gradivi
Pondera, feſſus agit requiem, ceditque labori.
Hoc culpat, qui neſcit iners. Cui clauſus, Olympum
Non ſcandit. Spernit Muſas, qui ſpernitur illis.
At jam ſumma vocant; quò te præſtantia, quò te
Non favor, at virtus tulit, & mens mentibus una
Tot potior. Siluêre lyræ, fugêre Camœnæ,
Dum totum ligat aula virum, vaſtumq; trémentûm
Fulcit onus Batavûm, Patrique ſecunda Batavo
Iam loca, jam curas habet, &, queis convenit, adſtat

Conſiliis. Non Haga ſuas me ſcribere poſcit
Majeſtatis opes; quas tu, Vir maxime, forti
Conculcas reprimiſque gradu. Partiſque modeſtè
Incumbis frueriſque bonis. Non gloria luxu
Immodico vaniſque decus captatur ab umbris.
Stas quâ ſorte cades nunquam; licèt irruat Orbi,
Quod fudit ſemel omne, chaos. Tibi conſcia cæli
Faſtidit terras pietas. Et quò tua currit
Vita fugax, animo ruis, atque æterna tueris
Sidera, Magnatum patriam ſedemque Batavûm.
Huc te fata vehant, Pater, & poſt longa dierum
Tempora, quæ colimus, repetitaq; feſta, ſupremum
E ſummo conſcende locum. Sed, dum regit artus
Spiritus, aſpirare tuo ne deſine Vati.
Sed Boyum, quem ducis, agas, quò Muſa Themiſq;
Quò dignum Fortuna vehat. Sic optima de Te
Poſteritas, me Vate, leget. Si prandia Flaccus
Et Maro Mecænatis amant; ego nulla requiro;
Eſt quod edam potemque domi. Te judice, Catſi,
Carmina ſi meruêre aliquid mea, quæ Tibi ſacra
Fecimus, hoc decori impende, & quod grande parabas,
Perfice, nec noſtros differ, ſi quæris, honores.

CORN: BOYVS. J. Ctus.

Sum-

Summa Privilegii.

ILluſtrium & Præpotentum DD. Ordinum Hollandiæ & VVeſt-Friſiæ diplomate cautum eſt, Ne quis, præter voluntatem Matthiæ Havii, *Faces Auguſtas D. Caſparis Barlæi, in Illuſtri Gymnaſio Amſtelodamenſi Profeſſoris, & D. Cornelii Boyi, coram Curia Hollandiæ Advocati*, item *Sermones Convivales D. Iacobi Lydii, apud Dordracenos V.D.M.* iiſdem, ob argumenti ſimilitudinem, adjunctos, intrà XV. annos imprimat, vel imprimi curet, vel alibi impreſſos in ipſorum ditiones importet aut vendat, quacunque forma aut lingua, ſive in totum ſive ex parte; Qui verò ſecus fecerit, libris ejuſmodi impreſſis, importatis aut venditis, nec non ſexcentis inſuper florenis, ut mulctetur, uti latiùs patet in eodem diplomate, dato Hagæ VII. Decemb. CIↃ IↃ C XLIII.

Signatum,

vt.

J. D. Waſſenaer.

& inferiùs,

Herbert Beaumont.

CASPARIS BARLÆI PARADISVS, ſive Nuptiæ primorum parentum, ADAMI, & EVÆ.

Humanum genus ex uno, populumque potenti
Prognatum genitore canã, thalamoſque faceſque
Quæ ſummo placuere Jovi, jurataque cœlo
Fœdera, & æthereis accenſos ſedibus ignes,
Autoremq; Deum, & magni ſponſalia mundi.
Hic Venerẽ pręvertit amor, Cyprumq; Gnidumq;,
Et curas, levis Ida, tuas, altamque Cytheren,
Lucinæque graves voces, metuendaque matri
Pignora, difficileſque thoros. Cum fabula nondum
Facta fuit Samos, & teneræ laſciva Diones
Regia, & ardentes geniali in limine tedæ,
Et facibus præluſtris Hymen, & pronuba Juno,
Idaliuſque puer. cum nondum gnara pudoris
Virginitas primo occurrit ſecura marito,
Et nulla cupidum fregit formidine votum.
Dulces conjugii tabulæ, grandævaque patrum

Vincula, & humanæ ſancta incunabula gentis,
Scribite me ſocium priſcis rectoribus orbis,
Et nexu vincite pari; me involvite totum
Ignibus; &, ſero licet, adſpirate nepoti
Patritios animos, vetereſque arceſſite flammas;
Dum Superûm decreta loquor, fœcundaque pando
Gaudia, & ex uno naſcentes ſanguine ſponſos.
Huic thalamo, quodcunque ſumus, debemus amantes;



Vrimur exemplo ſoboles, cupimuſque procantum
Officio, ceu lege, frui. quæ baſia cuncti
Figimus, hi docuere patres. amplexibus iſtis
Hæſimus; &, quamvis tantarum neſcia rerum,
In cauſis ventura ſuis ſtetit omnis & arſit
Poſteritas, voluitque viro conſueſcere virgo
Poſthuma, nec ſupereſſe ſibi. mens altior ambos
Vniit, & dominos grandi ſub Numine iungi

Adſpexit natura ſuos. inſania non eſt,
Sed titulus ſapientis amor. ſublimius illi
Principium, celſiſque furor defluxit ab aſtris.
Quin genitrix hominum rabies & amica voluptas
Nos agitant, agitante Deo. ſub Præſide tali
Nubitur, auſpiciiſque haurit cœleſtibus ignes
Quiſquis amat, multumque gravis reverentia lecti eſt.
Tu motus, ADAME, tuos, primique furoris
Molle rudimentum & caſtæ præludia ſponſæ,
Et thalami ſecreta aperi, cum nullus adulter
Inceſtare thorum potuit, nec pellicis aſtu
Peccavere viri, nec luxurioſa procorum
In te turba ruit: cum, ſolùm tuta duobus
Coniugibus, primæva fides tot nomina pravi
Neſciit, atque una vultum defixit in EVA.
Et tu patre Deo felix, ſine matre virago,
Nullius, ſine fratre, ſoror; pars altera mundi,
Pars eadem ſurrepta viro, pars reddita rurſum,
Dirige me, veneranda parens, & femina rerum
Damnatumque Chaos, fœdiſque erepta tenebris
Tempora, gaviſumque tuis natalibus orbem,
Coniugiique expone modum. Tibi clarius arſit
Luciferi tum ſtella recens, fulſere ſerenæ
Pleiades, Arctophylaxque tuo conſenſit amori.
Quæque Ariadnęæ meruerunt aſtra coronæ
Proſpera in illuſtrem vibrarunt lumina ſponſam,
Et luſus fovere tuos. Tuque ætheris alti
Terrarumque potens opifex & conditor ævi
Summe Deus, ſacro præcordia concute motu,
Et tua quas noſtris leges ſapientia flammis
Præſcripſit, Pater alme, doce; quo concitus œſtro
Prima maritali concuſſa cubilia greſſu
Preſſerit, & validæ quondam libaverit Heros
Oſcula conſorti: quo percita nubilis uxor

Numine, magnanimo ſeſe ſubmiſit amanti,
Robuſtumque latus tetigit. mihi, Cyrrha, profanas
Claude domos. nec enim me ſacroſancta moventem
Sollicitare Deos, Pataraque avertere Phœbum
Fas erit; ite Deæ Libethrides, ite Camœnæ,
Et toties nobis faciles Heliconis alumnæ.
Nunc vobis ignota loquar, tripodumque miniſtris
Non audita prius. non iam levis ungula colles
Percutiat, Pimplamque mihi & Parnaſſia fundat
Flumina, non ſolitis me proluat Hippocrene,
Non Pallas, non Phocis aquis. mea largius, Heden,
Labra riga, fonteſque tuis extrude diſertos
Collibus, & medio demerge in Tigride vatem,
Aſſyrioſque mihi latices, valleſque reclude
Fortunatorum nemorum, lætiſque repone
Sedibus. ad viles dudum demiſſa labores,
Tota ſalutares mens imbibit enthea curas;
Cultoreſque tuos biniſque habitata colonis
Rura canit, lectique decus venerabile cœlo
Imputat, & dulcem terris impertit amorem.
Diſpulerat deforme Nihil, merſamque tenebris
Congeriem, formaſque rudes diſtinxerat autor,
Et facies nova rebus erat. flammantia mundi
Mœnia, ſidereaſque domos, expanſaque vaſtis
Atria fornicibus, distinctoſque orbibus orbes
Volvebat proprios vis indefeſſa per axes.
Ibat, & inſolitos lampas Phœbeïa currus
Raptabat per ſigna; diemque opponere nocti
Cœperat, & gratas populis promittere luces.
Cui comes inſtabiles velox Dictynna quadrigas
Nocturnis flectebat equis; ſed lumine nondum
Orba ſuo, nec paſſa vagi diſcrimina vultus,
Intrepidum ſulcabat iter. radiantibus aſtris
Hic madidas Hyades, illic ſicci ora Leonis,

Hic

Hic Cancri chelas & tardi plauſtra Bootæ
Addiderat, propiuſque polo ſuſpenderat Arcton
Maieſtas auguſta Dei. Depreſſior illis
Ignea ſecuram radebat machina Phœben.
Quam ſubter gremio immani circumfluus aër
Ampla procelloſi lambebat tergora ponti,
Inque cavis paſſim captivum anfractibus æquor.
Vltima concreto ſubſidens pondere tellus
Stabat mole ſua, &, nullo tibicine fulta,
Librabat vaſtos ſolidis compagibus artus.
Cernere erat tumidos ſinuoſis flexibus amnes
Faſtidire ſinus magni Tritonis, & ipſa
Terrarum per operta rapi, rurſuſque vagantes
Reddere & immenſis effundere faucibus undas.
Tunc viſæ patulo volucres erumpere cœlo,
Squamigerumque genus pelago: per inhoſpita ſaxa
Et ſaltus errare feræ: atque ignara laborum
Agmina quadrupedum laxis diſcurrere campis,
Et nullo ductore regi. De pulvere vili
Factus Homo, colophon operis, grandiſque theatri
Arbiter, & mundi melior naſcentis origo,
Mirandum luſtrabat opus, cauſaſque Deumque
Mente ſequebatur tacitus. Quæ maxima poſtquam
Fecerat excellens Genitor, ſolumque deeſſet
Sponſa viro & tantis decoranda penatibus uxor,
Ingentes illis præclari Orientis honores
Deſtinat, & latos Aſiæ prædivitis hortos,
Quoſque colit nunc Aſſur agros. Hîc area mundi
Pulchra patet, Superûm labor, & ſecreta voluptas,
Deliciæ humani generis, domus hoſpita patrum,
Orbis amor. qualem non unquam Theſſala Tempe,
Non Baiæ videre locum, non florida tellus
Phæacum, aut Afris exculta ſororibus arva
Heſperidum: vel quæ ſuſpendit in aëre fruges

Alta ſuas Babylon, rariſque Semiramis auſis.
Hic Ver purpureum caput inviolabile nimbis
Exerit, & flores ultrò protrudit apricos.
Improba nubiferæ procul inconſtantia Brumæ
Et peccans Autumnus abeſt. ſe longius Æſtas
Explicat & culmis turgens Cerealibus uſque
Luxuriat, totuſque fluit ſub meſſibus annus.
Non rigidis armenta iugis, non taurus aratro
Ingemit, aut ſulco attritus ſplendeſcere vomer
Suevit & iratæ dentem defigere terræ.
Non invita gravi purgatur vinea raſtro,
Convellitque labor glebam. ſe ſponte relaxat
Vis geniuſque loci; &, duros exoſa labores,
Veſta ſinus faciles aperit. non incubat herbis
Tempeſtas Boreæque furor, ſed amœnior aura
Per nova laſcivo diſcurrit prata volatu,
Cunctaque mulcenti fœcundat gramina flatu.
Omne ſolo lolium ſteriliſque abſcedit avena,
Nec vitium natura facit, ſed provida caſus
Prævenit, & nullo fœtum deformat abortu.
Non glaciem, gelidaſque nives, friguſque minatur
Sarmaticum trux Urſa ſatis, teneramque pruinæ
Exurunt acres Cererem: non diluit illam
Imber, & infeſto truculentior afflat Orion
Sidere, vel rabido pertorret Sirius aſtro.
Inconcuſſa ſalus habitat, nec lurida morbi
Corpora, & occultæ vexant animalia flammæ,
Et lethi genus omne, & fracta ætate ſenectus.
Purior inviſis purgatur ſordibus aër,
Et propria bonitate nitet. non ſquallidus humor
Pallenti liveſcit aqua, nec fulmina ſparſo
Igne nocent, tonitruque boant convexa ſevero,
Aut trepidans vibratur humus. tumet omnis in herbam,
Et ſibimet blanditur ager, nec triſte venenum

Parturit & pravis ſtillantia toxica ramis.
Non viroſa truces lambunt aconita dracones,
Non clam puniceis uſquam permixta vireſcit
Dira cicuta roſis. ſpinis paliurus acutis
Exulat & pungens tribulus. non vipera morſu
Enecat, & ſævo metuendus ſcorpius ictu,
Aut medica gaudens æger plantagine bufo.
Nulla ſibi cœci fodere cubilia talpæ,
Nulla trahunt lento cochleæ veſtigia greſſu,
Nulla ruinoſos intexit aranea poſtes,
Aut malus horrificis immugit bubo tenebris.
Cymbia lacte fluunt. ſudant opobalſama frondes,
Thuraque, tunc nondum ſacris accenſa Deorum.
Spumant mella favis. criſpantia vellera & armos
Lanigeræ mirantur oves. ros iugiter hortum
Irrigat, & nulla premitur caligine pulcher.
Fertilis Euphrates ſinuoſo labitur amne,
Et ripis non vile decus vernantibus adfert.
Nec minus Armenii fontes & flumina currunt
Tigridis, & ſparſis recreant viridaria rivis.
At qui ſe ſeptem diffundit in oſtia Ganges,
Extremas lambit ſpatiis ingentibus oras,
Quà Titan ſe tollit aquis. quà labitur idem
Adſpicias pleno ſurgentem gurgite Nilum
Occiduis pingues partiri finibus undas.
Forma loci duplicat laudes. hic edita clivo
Surgit, & in tumulos modico curvata tumore
Tollitur, in valles illic diffunditur amplas.
Planities alibi eſt. ramorum frigore ſilvæ
Caſtigant alto flagrantem vertice Solem.
Is decor arbuſtis, ea paſſim gratia florum,
Sic pubent virgulta, color ſic diſcolor illis,
Vt ſe, pulchra licet, vinci non abnuat Iris,
Nec quæ candidulis onerantur Parthica gemmis

Cingula, vel regum collis diademata fulgent.
Viſcera parturiunt aurum, locupleſque metallum
Vena vomit. multa durantur iaſpide glebæ,
Et candens concurrit onyx, & bdellia manant.
Vos quoque flexibiles hederæ creviſtis & ulmi,
Et lauri virides & amantes littora myrti,
Palmaque nunc cedro, nunc celſis iuncta cupreſſis.
Arboreos inter fœtus, frondoſaque teſqua,
Surgebat duplex arcani nominis arbor,
Secretos agitans ſenſus, & numine quæque
Plena ſuo, forma, genio, molimine diſpar.
Prima ſeneſcentes poterat depellere vultus,
Nec tremulo paſſa eſt incedere corpora greſſu,
Rugarum impatiens langueſcentiſque juventæ.
Vis olli vitalis erat, conferre labanti
Robur, & afflictis ſolatia reddere membris,
Nativos reparare focos, arceſſere letho
Semianimes, querulis hominum ſuccurrere morbis,
Exhauſtoſque fovere ſinus; contraria morti,
Atque obitus ignara ſui, ſine fine vireſcens,
Umbroſiſque erecta comis, nec frondibus unquam
Denudata ſuis, non læſo cernua trunco,
Aut curvata latus, nuſquam non integra ſtabat,
Et patrio foliorum apices aptabat Olympo.
Poſterior vires animo roburque ſciendi
Sufficit, ingenio recti pravique magiſtra.
Hæc fructu nos ſcire facit, quà devius error
Pectus agat, vel certa premant veſtigia callem.
Nec minus innocuas inter formoſa ſorores
Emicat, & nitido pendentia palmite poma
Oſtentat, magnoque ſui ſuccendit amore
Proclives oculos, vetitoſque invitat ad uſus.
Ne mihi Phocæos colles, Heliconaque ſacrum,
Aut Aganippæas obiectet Græcia ripas.

Hîc nemus Elyſium eſt, ſtatio gratiſſima vitæ,
Plena voluptatum domus, opportuna bonorum
Regia, tuta quies, nullus pavor, optima rerum
Et mundi facies, & pleno copia cornu.
Non livor, non ira ferox, non turpis egeſtas
Quà graſſetur, habet. favor & clementia cœli,
Et voti ſtat ſumma Deus. Pomœria noſter
Iſta pater coluit, tali ſpatiatus in horto
Ibat, & imperio terraſque undaſque tenebat
Solus & ignotum flectebat faſcibus orbem.
Agnovere feræ Dominum, rabiemque leones
Submiſere viro. maculatus tergora panther
Paruit, & longè iaculantes lumina lynces,
Et rapidæ tigres & raucis vocibus urſi,
Et lupus & torvis elephas barritibus horrens.
Quadrupedum quodcunque fuit, quodcunque vel æther
Edidit, aut patulum ſquamis armaverat æquor,
Unius mandata ferunt. non abnuit illa,
Qui Peluſiacis vivit crocodilus in oris,
Qui fluctus delphines arant, ſerrataq; roſtra
Protendunt pelago. non phyſeteres anheli,
Non aquila altivolans, quamvis Jovis armiger ales
Et Latiis victrix ſervanda inſignibus eſſet.
Viderat ex alto rerum Pater omnia nutu
Ire ſuo, formaſq. ſibi cauſaſq; probari,
Et plauſum meruiſſe Boni; cum talia fatur
Providus & dictis regalibus ora reſolvit:
Condidimus cœlum & terras, & proxima terris
Æquora, quiq; illis ſublimior imminet aër,
Athereas fluxis diſtinguens ſedibus arces.
Cuncta vigent, gaudetq; ferax natura vocari,
Atq; aliud genuiſſe ſibi. dum plurima fatum
Exſpectant peritura ſuum, ſenioq; fatiſcunt,
Damna novis reparant ſtudiis, mortiq; priorum

Vita ſubit, ſervantq; ſuas in ſemine cauſas.
At mea, cui prono famulantur ſidera vultu,
Progenies, ſpecieſq; Dei, quæ ſubdita nobis
Mundi ſceptra tenet, mentemq; erectior aſtris
Et ſuperis inferre poteſt; ac conſpicit in ſe,
Quæ ſpectat diffuſa foris: ſine compare ſola
Ambulat, & nullo ſolatur pignore vitam.
Unus homo eſt, uno noſtrum ſub corpore ſpirat
Deſpoſitum; ſimilemq; ſui quem voce ſalutet,
Non habet. occurſat cœlo ſociabile cœlum,
Et ſtellis it ſtella comes. cum Sole vagatur
Luna ſoror, iunguntque ſuum cum lumine lumen.
Cur homini ſepoſta quies? cur coniugis exors
Vita fluit? qua terra patet, cum coniuge coniux
Quiſq; ſua eſt, fundunt q; alios viventia fœtus
Omnia, & in plures abeunt primordia partus,
Et conſors ſua cuiq; vacat; genitumq; vocatur
Quodlibet, aut gignens animal; proleſq; parenti
Succedit non una ſuo; mas, femina partes
Coniugii blandas faciunt. cum turture turtur
Ludit, in admiſſo laſcivit paſſere paſſer,
Et gallo gallina coit, cum vulture vultur,
Accipitre accipiter. ſocia veniente maritus
Clangit olor, penniſque ſuos teſtatur amores.
Capra marem ſequitur, generoſa leæna leoni
Accubat, adſueſcitq; cani formoſa catella.
Hic ululant ferventq; lupi. tot matribus illic
Dux aries permixtus abit, multaque nepotum
Spe tumet. egregios taurus bibit oſſibus ignes,
Et pater eſt. etiam furor eſt inſignis equarum,
Eſt inſignis equis, cum gramina læta pererrant
Et rapidos tranant amnes, rabiemque medullis
Altius admittunt. ſteriles uruntur arenæ,
Et cervi leporeſque calent, damæque fugaces,

Et

Et fortes bubali. ſunt & ſua gaudia ſtagnis,
Illecebræque mari. miſcent ſe grandia cete,
Et molles phocæ ſobolem per ſecla propagant.
Omnibus accendi tacitam ſub pectore flammam.
Hinc per me ruit in Venerem genus omne animantum,
Cum verni ſpecies patefacta eſt prima diei.
Naſcuntur violæ violis, ex arbore ſurgit
Arbor, & è platano platanus, de palmite palmes.
Eſt hederæ connatus amor; cum flexilis ulmo
Nubit, in accenſis ſpumant ipſa oſcula conchis.
Quin ubi temperies calidis humentia miſcet,
Concipit, & patri naſcuntur corpora limo.
Cur meus ignarus blandi dictator amoris
Semper eat, longoſq; terat ſecretior annos?
Non ſoli fas eſſe homini, nec nobile patris
Ignoraſſe decus, nec pondus amabile lecti.
De thalamo iam cura mihi eſt, de coniuge, natis,
Et, qui pręclara veniant de ſtirpe nopotes.
Hic vir hic eſt, cuius memorabunt nomina gentes,
Quæ medium adſpicient Solem, quæ ſigna Trionum,
Quas oriens Titan, & quas declivis adibit.
Ille per Europæ tractus Aſiamque patentem
Et calidas multum Libyæ ſitientis arenas,
Quemque procul reliquis ſecrevi partibus orbem,
Extra anni Soliſque vias Lunæque meatus
Differet imperium. cunctos à Gadibus uſque
Auroram populos iſto de ſanguine naſci
Præſcia fata volunt. & iam deſcendere cerno,
Nubila qui rumpet curru, celereſque beatus
Flectet in aſtra rotas. ſequitur ſine patre ſacerdos
Et typicus ſine matre ſenex. cui deinde ſubibunt,
Juſtitiæ rectique tenax, trabibuſque ſuperſtes
Et tumidis elapſus aquis, infractaque geſtans
Pectora Thariades; gradienſque per æquora vates

Le-

Legifer, & totas acies & caſtra ruenti
Subducens ductor pelago. nec ſtemmate tanto
Degener auguſtis deſpecta mapalia ſceptris
Mutabit Jeſſæ ſoboles, clarusq; triumphis
Regali victor iuvenis ſpectabitur oſtro.
Quin patri ſeſe comitem felicior addet
Filius, & quo non regum ſapientior alter
Jura dabit populis & belli neſciet iras.
Ille piis nobis delubra ingentia cœptis,
Templaq; conſtituet cunctis celeberrima terris,
Et famæ devota meæ. quin claſſibus ibit,
Dives ubi aſſiduis torrebitur ignibus Afer, *
Et timidum quæret cæcis in rupibus aurum.
Hoc Ninos genitore ſuos deducet avoſque
Aſſur, inoffenſo manantes ordine Cyros
Perſa ſagax, Cecropas Graius, Romana Quirinos
Gloria, regnanteſq; meo moderamine Jülos.
Qui Jovis inſanis turges natalibus amens,
Hunc patrem dic, Pella, tuum. qui ſtulte Deorum,
Cæſar magne, tumes titulis, hinc prima repoſce
Semina naſcendi & clari cunabula Flavî.
Eſſe quoq; in fatis reminiſcimur, affore tempus,
Quo mala peccantem damnabunt crimina mundum,
Et faciet ſe quiſq; reum. tunc altera terris
Progenies iſtaq; potens ab origine Princeps
Surget, & errantes animas merſaſq; tenebris
Reddet perpetuæ, poſt diruta tartara, vitæ.
 Dixerat Omnipotens; cum membra rubentia ſolvi,
Et vigor attentis cœpit decedere nervis,
Et vires languere Homini, nebulæque vaporque
Erectum inclinare caput, collapſaque claudi
Lumina. ſopitis ſubrepſit inertia mollis
Senſibus. ignaruſque ſibi quid fata pararent,

* Puto Salomonem in Africam profectum. Ophyr & Afer unum eſſe videntur.

Lan-

Languidulos artus viridi projecit in herba.
Jamque illos tollens, iterumque iterumque relabens,
Sæpius & prono feriens ſua pectora mento,
Defecit ſibimet; donec demiſſus ab alto
Somnus adeſt, tinxitq; ſuis cava tempora ſuccis,
Et gelido adſperſit medicata papavera rore.
Dormit, marcentiq; animæ ſopor altius infert
Otia, componitq; virum. non flamine frondes,
Non motæ ventis ſegetes. ſiluitque ſonorum
Quicquid erat, quicquid lenem turbare quietem
Obſtreperum poterat. iuſſis cœleſtibus ales
Conticuit, ſueta argutis prævertere lucem
Cantibus. obticuere canes, & garrulus anſer,
Quiq; loquax ſturnus clamore ſilentia rumpit.
Solum murmur aquę & ſalientis leniter undæ
Permiſſum & quodcunq; leveş invitat ocellos.
Ut iacuit, ſtupidum tetigit latus, ipſaq; coſtas
Concuſſit divina manus. ſublataq; tanto
De numero fuit una viro. quam maximus autor
Induit egregiæ forma meliore puellæ.
Oſſea quæ primum fuerat, molleſcere cœpit
Materies, factumq; fuit tractabile corpus.
Pars abit in ſpinam, variis quæ flectitur aptè
Articulis, ut libret onus. de vertice ſummo
Emerſit geniale caput, vultuſq; decora
Effigies; ſimul impexi fluxere capilli,
Inq; humeris luſere comæ. nitidiſſima cervix
Emicuit, facili manarunt brachia motu,
In digitos diſtincta ſuos: hinc pectus & ipſæ
Intumuere humero tenues ſub utroq; papillæ,
Atq; habiles ſponſo mammæ, venterque femurque,
Accepitq; pedes & eburnea crura virago.
Sic quoties puppim ripa molitur in uda
Navita, protenſæ primum ſua ligna carinæ

Ap-

Aptat, & hinc geminâ ſubtexit ſtamina parte,
Et coſtas alvumque facit: dein tranſtra foroſque,
Fabricat & clavum, tabulataque deſuper addit.
Stat matrona, ſuoſque ſtupet formoſior artus.
Stat virgo, neſcitque velit cur virgo vocari.
Stat mulier, ſpectatque viri diſcrimina coram,
Miraturque maris vultus, & femina quid ſit.
Nec tamen erubuere genæ, velamina quamvis
Ignotum terris velarent nulla pudorem.
Integritas ſine labe fuit, ſine crimine vita,
Nec, quo ſe tegeret, culpæ mens neſcia habebat.
Ut vigiles patuere oculi, diſcuſſaque ſomni
Alta quies Homini eſt; præſentis imagine formæ
Conſtitit, attonito ſimilis. dumque omnia luſtrat,
Atque aliqua ſibi diſſimilem ſimilemque puellam
Adſpicit, arcano præcordia concitus æſtro,
Hęc, inquit, quam cerno, mea de carne virago eſt,
Hęc oſſis pars ipſa mei, de ſanguine ſanguen,
Vitæ vita meæ, vivacis fabrica coſtę,
Debita coniugio coniux, amplexibus uxor,
Dos thalami, ſociiq; placens regina cubilis,
Et magnę gentis mater ſtirpiſq; futurę.
Illa mihi poterit noctes lenire dieſq;,
Illa dabit faciles aditus & mollia fandi
Tempora, jamque mihi volet arriſiſſe marito,
Et iurare fidem, nec ſacris cedere pactis.
Dixerat. at dictis præſens Deus annuit, & vos
Creſcite, ait, dignoſque mihi proferte nepotes,
Alteriuſque alter blandè ſuſpiret amori.
Sors geminis communis erit, quin corpore in uno
Concordes vivent animæ, nec fœdera quiſquam
Rumpet & æterni diſſolvet vincula lecti.
Exeat hic mundi populis illuſtrior annus,
Quo necti natura duos lętatur amantes,

Et

Et pius arſit amor, ratioque adſueſcere leni
Iuſſa fuit veneranda iugo. de nomine veſtro
Nomen eat, ſobolem in cunctas diffundite terras,
Tu pater Eois poſt hac dicerê, paterque
Occiduis. te Chaldæus Meduſque parentem,
Et Pharius, Celtæque colent. tu ſemina Mauro
Suffice, tu Rhodano, ripiſque vagantibus Iſtri,
Tu Gangi largire homines. Tuque optima virgo
Amplexare virum propius, genitrixque per omnes
Audi clara plagas. multo tibi viſcera partu
Intumeant, totuſque rotet cunabula per te
Orbis, & à tanta veniant tot principe gentes.
Sic thalamo ius grande datum, & cœleſtibus almæ
Auſpiciis micuere faces, & conditor idem
Fœderis & tedæ pręſes & pronubus illis
Numen erat. non ſors caſtos temeraria ſponſos
Alligat, at magno tuti ſtant teſte penates,
Inflexaſque trahunt metuendo à Iudice leges.
Ilicet æthereos Iuvenis ferventior ignes
Hauſit, & hos ipſos, quos non pręſenſerat, æſtus
Aſpectu propiore fovet. non nomina rebus
Ponere cura fuit, non tot diſtinguere formas
Vocibus, aut proprios animantum addiſcere motus,
Quantaque diverſis oriantur corpora cauſis.
Non iam ſcire iuvat, quæ volvant æthera mentes,
Quid fluidas gignat nubes, qua flamina ſurgant,
Et bellum virtute gerant, quis Nerea vinclis
Strinxerit, & ſolitas nolit tranſcendere metas.
Non tauris dare iuſſa libet, non ſiſtere cervum
Cornibus, aut duris inflectere colla lupatis
Acris equi, rutiloſque manu mulcere dracones,
Cum vafro ſerpente loqui. mens omnis aberrat
In vultus, quos Eva gerit. iam proximus illi
Arridet, ſubitoque animum labefactus amore,

Sal-



Salve, ait, egregium ſummi Patris incrementum
Femina, ſeu jam ſponſa velis, ſeu virgo vocari,
Seu ſoboles mea, ſive ſoror. tot nomina per me
Sola refers. uno facta à genitore ſororis
Iura tenes; lateriſq; mei de parte reſurgis
Filia, nunc virgo es nulli temerata marito;
Et mulier, quia ſponſa mea es: & ſponſa Tonantis
Imperio. ſalve facies pulcherrima mundi,
Delicium non vile viri, mea chara voluptas,
Solamenq; pium, ſpes poſteritatis & ævi
Vnica. Tu mecum tota dotabere terra,
Et regni pars una tua eſt. diviſa poteſtas
In nos orbis abit. capitis ſi gloria noſtra eſt,
Proxima tu nobis rerum iam frena capeſſes,
Et patiens conſortis eris; nec livida nexus
Diſtrahet aut ſocias dimiret diſcordia dextras.

Quam

Quam memini, cum ſolus, iners, hæc aurea rector
Rura pererrarem. vidi ſublimis Olympi
Mœnia, diſpoſitiſq; orientia ſigna maniplis,
Æterni Genitoris opus. demiſſior anni
Oceaniq; vias & rerum exorſa ſtupebam.
Nec non & pecudum turbæ, turmæq; volantum
Undique cingebant dominum; volucreſq; canoræ
Judice me cantuſque ſuos moduloſque probabant.
Ante oculos luſere feræ, parduſque lepuſque,
Et timidæ lynces, pinniſque rigentibus hiſtrix,
Cornigerique greges, celſique in terga cameli,
Et ſetoſus aper. toto ſed in agmine deerat,
Cui comes iret homo, qua poſſet compare vitam
Ducere. ſenſi etiam (nec enim quæ vera negabo)
Non ſalientis aquæ latices, non vota ſuſurros
Non Zephyros expleſſe mihi. Tu ſuavior aura
Diſcuties tetricum quicquid fuit. apta ſodali
Accipe me, lectoque parem dignare, mihique
Femineum ſubmitte decus. Tu mite parentis
Nomen & admiſſi titulos mihi coniugis uxor
Concilia. natoſque & qui naſcentur ab illis
Ocyus indulge. non eſt mihi vilis origo.
Ipſe Deus pater eſt. qui ſpiritus hos regit artus,
Illius eſt. divinus in hoc ſe continet hoſpes
Corpore, deque Deo mens, & ſpiratus ab illo
Cœleſtis vigor, atque auräi ſimplicis ignis.
Si gazas, ſi poſcis opes, patet omnis in uſus
Tellus facta meos, patet æquor & arduus æther.
Vis famulos? tibi pontus alit, quodcunq; natantum eſt.
Vis famulas? levis aura dabit, quodcunq; volantum eſt.
Vis famulos? Phœbus tuus eſt, tibi Lucifer ardet.
Vis famulas? Phœbe tua ſit, tibi volvitur illa.
Vis famulos? totis famulantur ſidera caſtris.
Vis famulas? Aurora tuis ſe promptior offert

Obſequiis, & amica Pales. palatia ſperas?
Cœlo habitas, cœlo mecum & radiantibus aſtris
Clauderis & ſuperûm tectis. vis grata palato
Pabula? donabit plenis convivia menſis
Hortus; & haud una pendentia ab arbore mala,
Et pyra, quæ lenta pendent religata geniſta,
Sufficiet. molles aderunt ad prandia ficus,
Et quæ de viridi ſtillabunt ilice mella,
Diſcutient mea vina ſitim, diviſaque ſenſus
Gaudia percipient. quæ paſcant lumina, rerum
Formas mille vides. mulcent concentibus aures
Hic parus, hic philomela tuas. confundit odores
Thus & myrrha ſuos, & balſama naribus infert
Et caſiam Panchæus ager. tot lingua ſapores
Pitiſſat, tactumque manet non una voluptas.
Non hæc cuncta mihi, non hæc mihi munera ſoli
Aſtra parant. plures vocat indulgentia magni
Numinis; in multos bonitas laudatior exit,
Et melius commune bonum eſt. ſpatioſior orbis
Expectat cives alios, & naſcier à me
Poſteritas immenſa cupit, quæ littora, ſylvas
Incolat, & mediis ſedem ſibi figat in undis,
Quæ Rhenum, Moſamq; bibat, Tanaimq; bicornem,
Et Ligerim celeremq; Ararim, Bętimq; Padumq;,
Et Nigrim & gelidi glacialia flumina Ponti,
Quique habitent totis diſtinctos axibus axes.
Quare age, ſis coniux, & quo nos fata, cupido,
Quò ratio, natura trahunt, ſine lite ſequamur.
Occupet Adamus ſociam, ſit nubilis Eva,
Et ſua confundant genituri ſemina ſexus.
  Audiit has mulier voces & verba loquentis
Optima. quemque videt, vultu iam diligit ipſo,
Et cupit amplecti propius. novus ardor amantem
Incitat, & teneris ſuccreſcens cura medullis

Ur-

Urget inexpertam. quos neſcit, nutrit amores.
Nutu, voce favet; geſtuq; oculiſq; procatur,
Non laſciva tamen. quod virginis eſſe putatur,
Deſpicit ingenium. ſoboli vult mater haberi,
Et matrona viro. gravis admiratio lecti eſt,
Nec ſperata minus. tandem ſic orſa profatur:
Salve chare Deo Juvenis: ſeu frater amari,
Seu genitor, ſponſuſq; velis. quæ nomina per te
Donari vis multa mihi, tibi reddimus uni.
Ex te facta patris titulum tibi nata rependo.
Tecum facta ſoror fraterni ſanguinis adſum
Conſcia, quaq; tuo iam ſum ſervata cubili
Sponſa, virum ſponſumq; lubens, Adame, ſaluto.
Adde quod & dominum Te fas ſit dicere, cuius
Arbitrio ſubmiſſa regar: quo vindice ſurget
Femineæ virtutis honos, & tuta manebit
Fama pudicitiæ & ſocialis gloria lecti.
Expetimur petimuſq; duo. quam tu petis, illam
Jure tuo repetis. quid enim? ſum coſta mariti,
Et pars rapta tibi. non ſum diſtincta, ſed una
Tecum, Sponſe, caro. cum me, te diligis in me,
Et cultor ſis ipſe tui. cui ſpernitur uxor,
Spernitur ille ſibi: atq; odiis accenditur in ſe,
Cui conſors exoſa thori eſt. miſcebimur ambo,
Ut fiam, quod non fueram, de virgine coniux,
Et lateris nova cura tui. quos poſcis amores,
Deſpondet tibi noſter amor. quos exigis ignes,
Accendet tibi fax melior. redamaris amator,
Quoq; vocas, haud ægra ſequar. ſed legibus uxor
Eſſe velim rectumq; ſequi. parere marito,
Non ſervire, meum eſt. mandata capeſſere, quæ non
Faſtidit pietas. pariter regnamus, at impar
Maieſtas mea ſorte tua eſt. nihil arrogat ultra,
Quam minor eſſe viro mulier. quæ torva gubernat,

Et faſces ſibi ſola rapit, temeraria regno
Excuſſit ſolioque virum, laribuſque tyrannus
Incubat, & veri leges pervertit amoris.
Prima Dei me cura manet. manet altera ſponſi.
Tertia natorum eſt. lites & iurgia damnat
Nupta decens, frangitque ſuum ratione furorem,
Et fluctus domat alloquio. non garrula cunctis
Obſtrepit, aut aliis geſtit facunda videri.
Sed taciturna placet. ſtudiis averſa parentum
Segnius hos amat, atque ſuo magis hæret amanti.
Partitur commune malum. ſolatia, curas
Dividit. humanum quicquid, perferre laborat.
Non forma, non dote tumet, generiſque ſuperbit
Nobilitate ſui. precioſa monilia flocci,
Præ virtute, facit. candor, probitaſque fideſque
Et morum cunctis præcellit gratia gazis.
Officioſa domi, famulis terrore modeſto
Imperitat, modicaque decus gravitate tuetur.
Cum vagit puer, adludit: cum pollet adultus,
Vivit in exemplum iuveni, iuſſiſque coërcet
Magnanimum. non zelotypo furioſior æſtu
Incedet, fraudeſque thoro præſumet iniquas.
Quod ſi fortè ira tumidus flagrante maritus
Sęviat, hæc blando cupiet ſermone mederi,
Blanditiis intenta ſuis. ſecreta, fidelis
Arcanum quicquid thalami eſt, aperire timebit,
Et narrare palam. ſi quid facundia poſſit,
Explicet in ſobolem monitrix. non lumina flectit
Illecebroſa aliis, nec pravis pabula præbet
Ignibus. una uni domino vacat. oſcula nunquam
Aut irata fugit, vel luxurioſa repoſcit.
Conſenſu differre bonum. divortia cenſet
Improba, nec volet illa pati. nam nexa Tonanti
Vincula qui ſolvent homines? quæ diſtrahet audax
Im-

Impietas? his ſum tua condicionibus uxor,
Talis amo, & rurſus ſperem tibi talis amari,
Iſtaque venturos iam mox meminiſſe nepotes.
Quam nobis, Adame, places. quam corpore toto
Arrides. quam frons, oculi, pectuſque, torique
Depingunt hominis ſpeciem. quam mentis honore,
Quam Patrem ratione refers. quam ſplendet honeſti
Et veri ſtudiis animus. quam recta voluntas
Juſta facit. quam te nullis inſana cupido
Motibus averſum rapit, aut vis effera cogit
Deteriora ſequi. quantum eſt ad ſidera vultus
Tollere, ſuſpexiſſe Deum. ſub numine terris
Jura dare, & cœlo, latéque vagantibus undis,
Et tota tellure frui. cum coniugis à me
Exigis officium, tantorum fida bonorum
Teſtis ero conſorſque ſimul. Tibi lætior Eva
Ibit in amplexus, collo circumdabit Eva
Brachia. Iam videor Saras, claraſque Rebeccas
Gignere, prægnantemque Leam, ſine prole Rachelem,
Et fortes bello Deboras, tenuique Boozi
Palliolo vafrè tectam Moabitida Rutham:
Et quotquot noſtro deſcendent ſanguine matres
Hebrææ, Graiæque nurus, Latiiſque togatæ
Moribus, Hippolytæ, Volſcorum è gente Camillæ,
Caſſandræ, Mariæque & nomina ſancta Sibyllæ.
Sume thori comitem, nihil eſt quod ſponſa negabo.
Et quæ figo tuis iterumque iterumque labellis
Baſia, creſcenti ſeponas pignus amori.
Eſt locus irrigui liquidas Euphratis ad undas
Pulchrior, & frondoſa comis viridantibus Horti
Pars melior. teneri ſaliunt è gramine rivi,
Saxa virent, niveiſque albeſcunt floribus agri.
Non cœno latices, non fœdo ſquallida muſco
Sordet ripa, tepet moderatis ſolibus aër,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Fragrant vernantes caſiæ, duranſq; amaranthus.
Et tu flebilibus tunc nondum, hyacinthe, figuris
Terribilis, nardi iuxta redolentis ariſtas
Diverſo te flore probas. hic pampinus ulmis,
Hic hederæ ſerpunt cedris, cedriſq; propinqua eſt
Plena favis abies, & veri præſcia laurus
Panditur. hic poſtquam priſci latuêre parentes,
Coniugii didicêre modùm, plenuſque furoris
Fœcundum primus pater exantlavit amorem.
  Ilicet ingenti plaudens natura paratu,
Exultat Sponſos circum. calet obvius ire
Flammifer, impulſoſque iubet properare iugales
Tardius, ut ſacræ videat ſpectacula ſcenæ.
Candidius fulſêre dies, quos lædere nimbi
Et pluviæ timuêre graves, triſteſq; pruinæ.
Omnes interea puro quæ crimina pellunt
Ore Deæ, fecêre choros, ſociataque dextris
Virtutum ſeries hominum connubia ſanxit,
Officiis attenta ſuis. Concordia lites
Diſpulit; & quicquid nuptis adſpergit iniquum
Improba Suſpicio, & ludens in amoribus Error,
Proſcripſit ſincera Fides, & neſcia pravi
Simplicitas. nitida ſubriſit Gratia fronte,
Temperies caſta. rectum Conſtantia ſuaſit,
Relligio quodcunq; pium, Prudentia iuſtum.
Nec mora, floriferis paſſim viridaria ramis
Irrubuere. roſæ gemmis patuere recluſis,
Nec claudi voluere diu. ſtrepuere ſuſurris
Arboreæ frondes, cannæ cecinere paluſtres,
Buxeaq; ignotos modulata eſt tibia cantus.
Lenibus excitæ Zephyris, auraque ſalubri
Avia dulciſonis garritibus implevere
Gratantes pariter volucres, & gaudia pennis
Teſtatæ auſpicio Sponſis favere ſecundo.

Non

Non galeæ riguere truces, haſtæque feroces,
Aut frameæ, & clypei adverſis umbonibus acti
Concrepuere, vel immiſſæ tonuere quadrigæ.
Non hic gaviſo cecidit myrmillo theatro,
Non ſica rubuere manus, fuſoque cruore
Immaduere thori. vos hæc ſcelerata probatis
Poſteritas. ſpectate thoros tedaſque parentum,
Ut dominos amet unda ſuos, telluſq; poluſq;
Et mundi pars quęque. mali cum gloria Martis
Nulla foret, placidique irent ſine cædibus anni.
Quin procul Oceano in magno, quem Caucaſus aſper
Adſpicit, aut rubris pingit Neptunus arenis,
Exiliere mari, criſpataque cęrula piſces
Diſcuſſere levi ſtrepitu: ſpirantia cete
Æquoreis ſublata vadis ſua gaudia plenis
Evomuere cadis. vitreis Tritones ab antris
Proceſſere, quibus rauco tuba murmure frendens
Concha fuit, quæ iam Libyci per littora ponti,
Jam ſuper Ægęos fluctus & Caſpia regna,
Memnoniaſque domos tam clari nuncia lecti
Detulit. ornavit myrto delphina Palęmon,
Leucothoë phocam, violas intexuit algę
Cymothoë, ſeniumque dolens vivacibus herbis
Dum fugat, æternos geminis promiſit amores.
Exhibuit dominę baccas, quas ipſa profundo
Legerat, Euphroſyne, & domino diadema paravit,
Et gemmas ponduſque dedit lucentis electri.
Ipſa etiam centri impatiens ſe movit ab illo
Terra parens, motuque ſuum confeſſa favorem eſt.
Concuſſit ſe magnus Athos, concuſſit Olympus
Theſſalus, & celſi ſaliere cacumina Pindi,
Oſſaque Pyreneſque iugum. dein ignibus aucta
Fortius ignivomis arſit fornacibus Ætna.
Largius argentum Potoſi genuere receſſus,

Aurum vaſta Perü. meſſes miſere Moluccæ,
India dives ebur; coſtumq; crocumq; rubentem
Corycium nemus, & varium Panchaïa gummi.
Explicuit grandes volucris Junonia faſtus,
Tardo mota gradu & pennarum oſtendit honorem
Coniugibus, pictoſque notis ſtellantibus orbes.
Pſittacus humanas tunc nondum reddere voces
Doctus, Ave, dixit ſponſis. et gutture miti
Accinuit facundus olor, cui ſtridulus anſer
Obſtrepuit, repetenſque eadem modulamina coccyx.
Nondum pica loquax fuerat, tunc ilice ab alta
Adfuit augurio. nondum ſua pignora Progne
Fleverat infelix; ſed læta voce canebat,
Et Pandioniæ reddebat multa ſorori.
Irrubuit Numidûm glociens gallina per agros,
Et verrens percuſſit humum. ſe Phaſidis ales
Lavit ad Euphratem, & longis cervicibus adſtans
Struthio. quique diem & ſolis nunc lumina bubo
Horret, ad hæc ſpretis properavit feſta tenebris.
Cum ſobolis parvæ denſo grege dædala perdix,
Regulus, & parus, & raucę venere palumbes,
Et motacilla levis, contemtoque æquore mergi.
Ardea detractas capitis de vertice plumas
Crinibus implicuit ſponſę. laſciviit ardens
Ante oculos hominum paſſer, cum paſſere gallus,
Cum gallo curruca, & cum grue luxurians gryps.
Quæ ſibi proſternat vivax altaria Phœnix
Invenit, quamvis calido proceſſerit Euro
Vnicus, & media reparet ſibi morte iuventam.
At quæ felici Paradiſi veſcitur aura
Parvula avis, tota in pulchram quæ corpore caudam
Definit, & nulla requieſcit in arbore feſſa,
Suſpenſum ſummo monſtrabat in aëre pondus.
Vos quoque melliferę doctis examina ceris

Hic

Hic poſuiſtis apes; & paſtę flore ſalicti
Plurima in annoſas fudiſtis mella cupreſſos.
Adſtitit, & phalerarum expers frenique calentis
Hinniit altus equus, dominoque erecta potenti
Tergora ſuppoſuit quadrupes, ſua cornua cervus.
Et ſola poterat teneram proboſcide nuptam
Tollere ſubſidens elephas; ni ſanguine caſſa,
Tardigrada & propriis captiva penatibus, inſons
Vexiſſet placidam veniens teſtudo magiſtram.
Barbiger à longè capris ſalientibus hircus
Errabat matres inter, ſenſitque ſalaces
Incaluiſſe greges & fortia gaudia naſci.
Et quia Pax niveis Evæ radiabat in ulnis,
Pax cœlo terręque fuit. per paſcua iunctę
Erravere lupis capreæ, leporeſque moloſſis.
Non timuit gallum Libycus leo, pardus hyænam,
Taurus equos, velox balęnæ robora delphin.
Non polypus conchæ, cochleiſque inimica lacerta,
Non congro muræna fuit, muſtela draconi.
Cernere erat, mites aquilâ clangente columbas
Ire ſimul, cauſaſque odii neſcire vel iras.
Tunc Acherontæas mutato fonte paludes
Lacte novo tumuiſſe ferunt, & turbida Lethes
Flumina Cocytumque mero ſtagnaſſe Lyæo.
Nec latuit res tanta piæ conſortia turbæ,
Spirituumque choros, & quæ ſine corpore mentes
Celſa tenent. ſed formoſam delapſus in Heden
Adfuit illuſtris nitidis exercitus alis,
Hic Seraphina cohors, illic Cherubina; Deoq;
Talia cœleſtes cecinêre encomia turmæ:
Magne Deus, ſine patre pater, ſine fine perennis,
Immenſa virtute potens, mens neſcia falſi,
Expers principii genitor, tibi cognite ſoli,
Ipſe tui locus & ſpatium, bonitatis origo,

Labe carens omni bonitas, Tu maxime, quicquid
Non fuit, eſſe facis, nihiloque arceſſis ab ipſo
Stellarum ſolidos orbes; cœlique beatos
Indigenas nos eſſe iubes. de Numine tanto
Numina penè ſumus. tua nobis ora tueri,
Auguſtoſque datur vultus, quo iuſſeris, ire,
Mandantemque ſequi. Te patrem mente tenemus,
Et factum quodcunque tibi eſt. ſectamur honeſtum,
Nec volumus peccare boni. te dante movemur,
Deque tuo capimus metuendum robore robur.
Diſce tuum, venerare tuum, Natura, parentem.
Ille ubi condiderat ſuperi ſpatia avia mundi,
Sideraque adverſo ſubter labentia motu,
Telluris ſuſpendit onus, monteſque lacuſque,
Et valles, nemorumque locos, fluvioſque profundos,
Nec faciem terris ſapiens dedit omnibus unam.
Pars calet una, tepet pars altera, tertia friget.
Umbra loci varia eſt. latus hîc reſpectat utrumque,
Illic nulla cadit. nunc illis tota ſiniſtra eſt,
Illis dextra meat, vel gyro flexa rotatur.
Nunc lucet, nunc lucis eget. ſua lumina Phœbo
Imputat & Lunæ ſolatur imagine noctem.
Hic ſpacioſa novis decorantur frugibus arva,
Arboribuſque virent campi; vel grandia venis
Creſcunt ſaxa ſuis: hîc verſicoloribus agri
Floribus, & ſparſis diteſcunt littora gemmis.
  Diſce tuum, venerare tuum, Natura, parentem.
Idem etiam pecudum ſpecies, armenta, feraſque
Excivit tellure Deus, ſapienſque figuris
Diſtinxit. pars antra colit, rupeſque ſpecuſque,
Pars pratis gaudet patulis & vallibus imis
Paſcitur. hæ rabidæ nunquam manſueſcere norunt,
Hæc docilis manſueſcit, & acres exuit iras.
Has lana tegit aut villis: has aſperat hirtis
Pel-

Pellibus. has roſtris, alias facit ungue recurvo
Terribiles. hęc dente minax, hęc cornibus adſtat.
Hæ volitant, repunt aliæ; natat illa ſub undis,
Hæc graditur. manant aliæ de ſtirpe priorum,
Aſt alias limus format, tepidique calores.
Diſce tuum, venerare tuum, Natura, parentem.
Hic Deus, hic celſi ſecretas ætheris oras
Deſtinat officiis hominum: ſeu frigore brumam
Verberat & largos effundit Aquarius imbres:
Seu gravidas torret latranti ſidere ariſtas,
Spemque facit meſſis domino: ſeu lumina Titan
Partitur populis & luces dividit æquas
Noctibus, aut plures alibi diſtendit in horas:
Aut nulla nos nocte premit, vel luce focillat.
Illius eſt, quod ſæpe ſuas regina bicornis
Mutet anhela vices, fraternoſque induat ignes
Diſparibus nocturna modis: ſeu lumine pleno
Turgeat aut curvæ radiet ſub imagine flammæ.
Diſce tuum, venerare tuum, Natura, parentem.
Tu Deus alme, tua iacularis fulmina dextra,
Nubilaque horrifico frangis compreſſa boatu.
Voce tua quatitur tellus, commotaq́. Tethys
Intremit, & pavidi fauces laxantur Averni.
Tu potes unanimes armare in prælia cauſas,
Ut violent elementa fidem, contrarius igni
Humor eat, ruptis inſurgant æquora clauſtris,
Et terras inſana vorent; ut turbine ſævo
Unà Euruſq́; Notuſq́; ruant. Tu turgida nutu
Flumina, tu fluctus, tempeſtateſq́; ſonoras
Æolioſq́; tenes invito carcere fratres.
Diſce tuum, venerare tuum, Natura, parentem.
Ille Hominis ſublime decus ſub pulvere vili
Abdidit, exemplarq́; Dei venerabile glebæ
Affixit, craſſoſq́; animam ſpiravit in artus.

Ille

Ille viro vitæ ſociam largitus, amori
Monſtravit thalamoque viam, legeſque maritis
Fixit, & innocuo ſcripſit ſua iura cubili.
Scena thori iam prima patet, Deus autor amandi eſt,
Terra locus, ſunt aſtra faces, ſpectator Olympus,
Nos teſtes, dos orbis, amor fœcundus amoris,
Lectus ager, fructus epulæ, ſpes una nepotes.
Diſce tuum, venerare tuum, Natura, parentem.
Sic iit in thalamum coniux primæva, ſuoque
Surrexit natura Duci. Nox pronuba donec
Stellantes depicta ſinus, tangenſque iacentes,
Omina perpetuo genitalia fœdere ſanxit.

I. CAT-

I. CATSII
Patriarcha Bigamos,
ſive
Iacobi cum Rachaële & Liâ conjugium.

IAM ſatis eſt teneras patrio ſermone Camœnas,
  Et Batavam digitis increpuiſſe chelyn.
Sive verecundos Joſephi ſcripſimus ignes,
  Et Sephyræ vaſto pectus amore calens:
Sive maritales regalis fœmina juſſus
  Sprevit, & in pœnam deſiit eſſe potens:
Seu placuit caſto leges præſcribere lecto;
  Seu placuit viduo ponere jura thoro.
Nunc aliò nos Muſa vocat, vocat Aſſur & Haran,
  Et procul Eois ſubdita terra plagis:
Tigris ubi & celeres Euphates colligit undas,
  Atque Arabum rubro flumine tingit humum.
Dicere fert animus magni connubia ſponſi,
  Cui vix poſt ſeptem frigora riſit Hymen,
Ergo ades, & viridi lauro redimita capillos
  Incipe diſparibus, Muſa Latina, modis.

Dum furit in fratrem, dum fervidus æſtuat Edom,
  Et rigido ſævas increpat ore minas:
Dum memor erepti vindex inſania voti,
  Hoc quoque germano vult nocuiſſe ſuo;
Anxia ſollicitam pertentat cura parentem,
  Et vix jam ſomni munere tuta jacet.
Fluctuat, ingentique animum labefacta dolore,
  Ipſa ſuos auget mœſta Rebecca metus.

Ver-

Vertitur ante oculos nati pereuntis imago,
  Exilium alterius nec minus uſque timet.
Ne ſcelus hos miſeros faciat, vel pœna, duobus
  Optima vult natis conſuluiſſe parens.
Ergo diu tacitis animum depaſta querelis,
  Ingerit Abramidæ talia dicta ſuo:
Nate, domus columen, mea ſola & ſera voluptas,
  Præſidium matris delitiumque tuæ:
Cui patrium meruit fraus ingenioſa favorem,
  Falleret ignarum cum manus hirta ſenem;
Cernis ut ultrices frater deſpumet in iras?
  Et tumido frendens pectore bella gerat?
Aſpicis ut totis infenſus viribus inſtet?
  Quam vereor capiti vulnera dira tuo!
Da ſpatium, da ſponte locum. Male cuncta miniſtrat
  Impetus. Exiguâ frangitur ira morâ.
Quos nequit ingenium coniungit tempus amicos,
  Plurima, ni fallor, commoda tempus habet.
Tempore maturos viridis trahit uva colores,
  Tempore fert gratas terra peruſta roſas.
Tempore ceſſat hyems, & temperat aura procellas.
  Tempore ſæpe dolor mitior eſſe ſolet.
Non reor hâc ultra tutum te ſede morari,
  Altera ſed tellus eſt habitanda tibi.
Subtrahe veſano prudens fomenta dolori,
  Inque locum tranſi quo tibi tuta quies.
Invia virtuti nulla eſt via. Quolibet orbis
  Relligio & pietas ſunt veneranda loco.
Qui Deus ignotas Abrahamum duxit in oras,
  Ille tibi profugo dulce levamen erit.
Urbs antiqua jacet nemoroſis vallibus Haran,
  Quà medios Piſon gurgite ſulcat agros;
Totque patent Hevilæ campi, Gihonq; fluento
  Nobilis, & ripæ fertilitate ſuæ.

Hic

Hîc Labanus fixit placidis habitacula tectis,
  Poſſidet immenſas hîc mihi frater opes.
Ille per Aſſyrias numerat ſua prædia terras,
  Et nitidos ducit læta per arva greges.
Ille ſalebroſâ pendentes rupe capellas,
  Et teneras curto gramine paſcit oves.
Ille armenta boum, grandeſq; in terga camelos
  Officiis cogit prona favere ſuis.
Sunt illi geminæ florenti ætate puellæ,
  Eximii dignæ principis eſſe nurus.
Hîc tibi fœcundi conſortem quære cubilis,
  Quâq; leves vacui tædia longa thori.
Ille tibi pulchram lautâ cum dote maritam
  In thalamos cupiet ducere fortè tuos.
Sit tibi cura meis te jungere, nate, propinquis,
  Aſpera dum fratris concidat ira tui.
Si qua parens natas hîc educat, abſtrahe mentem,
  His ego te thalamis abſtinuiſſe velim.
Terreor exemplo. Major nam filius Edom
  Ipſe vides nobis tædia quanta ferat.
Illius uxores, rixis gens nata ferendis,
  Ut noceant linguas erudiêre ſuas.
Vivimus has inter longo jam tempore gentes,
  Non tamen Hethitis, non Cananæa placet.
Heu fuge crudeles populos, fuge fœdera lecti.
  Hoc pater, hoc genitrix, hoc Deus ipſe jubet.
Eſt Bethuel mihi priſca domus, quâ ſtemma parentum,
  Quâ ſeries generis fluxit honeſta mei.
Hîc manſueta magis, ſtudiiſq; accommoda noſtris,
  Ibit in amplexus ſponſa petita tuos.
Talia narrabat lachrymans, repetitaq; matris
  Verba gravi ſenior comprobat ore pater.
Ibimus, Iſacides inquit, procul ibimus, & quo
  Fata Deuſq; vocant, ſponte ſequemur, ait.

Par-

Parva mora eſt, mandata patris, iam certus eundi,
Accipit, & matri flebile dixit ave.
Illa gemens toto circundans brachia collo
Oſcula cum lachrymis non iteranda dedit.
Dumq́; vale ingeminat, tremulis vox faucibus hæſit,
Singultu medios impediente ſonos.
Jamq́; iter ingreditur, greſſumq́; per ardua flectit.
Non rota, non ſonipes, non comes ullus adeſt.
Multa patris virtus animo, mœſtæq́; parentis,
Hinc amor, hinc fratris livor & ira ſubit.
Quà graditur, Deus ante oculos, Numenq́; verendum,
Inq́; animo puræ relligionis amor.
Mons erat, & rigidum tendebat in aëra cornu,
Gramina ſaxoſum rara cacumen habet.
Non platanus ramis frondentibus efficit umbram,
Non ver purpureo flore coronat humum.
Nulla per abruptas cernas habitacula cautes,
Perq́; cavas valles nulla vagatur ovis.
Ut ſtetit, æquoreis Titan ſe merſit in undis,
Lunaq́; nocturnis fræna parabat equis.
Dumq́; ruunt tenebræ, circum ſua lumina flectit,
Quaq́; locet laſſum ſe regione, videt.
Non uſquam tugurî congeſtum ceſpite culmen,
Non caſa defeſſo, non domus ulla patet.
Omnia dum luſtrat, ſaxum circumſpicit ingens,
Utq́; jacet, facta eſt culcitra dura lapis.
Decubuit pius Abramides, membriſq́; ſoporem
Imbibit, & ſomno lumina victa dedit.
Utq́; quies ſubiit, mulcent quoq́; ſomnia mentem,
Magnaq́; ſopita dogmata mente capit.
Surgere protenſas adſpexit ad æthera ſcalas,
Angelicoſq́; illac ire redire choros.
In ſummo ſedet ipſe Deus, mirabile viſu,
Et rutilum ſancto ſpargit ab ore jubar.

Tum mediâ vox nube ſonat: dilecte Tonanti,
Accipe quid Superi, quid tibi fata parent.
Ille ego ſum magni Deus & pater Abrahami;
Ille ego ſum generis ſpes columenque tui.
Hoc erit ecce tibi ſeriſque nepotibus omen,
Te ventura dies arguet eſſe meum.
Hanc, quam nocte tuo preſſiſti corpore terram,
Quà patet, ut propriam, me tribuente, coles.
Hæc ſtirpis dos ſera tuæ, gentiſque futuræ
Sors erit, & magnæ patria clara domus.
Quippe tuâ faciam naſci de ſtirpe, piorum
Qui pater, & tantæ cauſa ſalutis erit.
Et mox fama viri toto memorabitur orbe,
Et quà ſol jungit, quáque reſolvit equos.
Jamque iter inceptum ſecurâ perfice mente:
Auſpiciis tutus progrediere meis.
Omnibus ipſe locis adero: perque ardua ſaxa
Monſtrabo tacito numine quà ſit iter.
Incedes comitante Deo. Veſtigia flectam,
Ne poſſint homines, ne nocuiſſe feræ.
Dixerat. Abramidæ vigiles in corpore ſenſus,
Et pulſâ rediit nocte ſerena dies.
Utque novo ſenſit percelli pectora motu,
Credidit illuſtri Numen ineſſe loco.
Ergo ſacrum pingui ſaxum perfundit olivo,
Invocat & magnum corde tremente Deum.
Alme Pater, dixit, ſpatioſi rector Olympi,
Cujus opus tellus, ſidera cujus opus;
Et maria, ingenteſque ſinus quos explicat æther,
Et quicquid cælum, terra, vel æquor alit:
Aſpicis ignotis miſer ut regionibus errem,
Utq; peregrinum pes mihi tentet iter.
Nullus adeſt timido mihi qui veſtigia firmet,
Quiq; viæ fallat tædia nullus adeſt.

At gravis anxietas, & mens incerta futuri,
Obviaque eſt oculis fratris imago meis;
Inſanuſq; furor, pronæq; in vulnera dextræ,
Et rabies noſtris invidioſa bonis.
At Tu, Summe Parens, animis ſpes unica fractis,
Numina conſiliis ſuffice prona meis.
Ducat ad Haranos facilis me ſemita colles,
Quam moneor matris juſſibus ire viam.
Poſtq; exantlatos animiq; viæq; labores,
Da veteres reduci poſſe videre lares:
Poſſe videre meos, longæviq; ora parentis,
Et patriis fumum cernere poſſe focis.
Sic mihi ſemper eris Deus, & tibi pectore grates,
Dum brevis hæc nobis vita ſuperſit, agam.
Semper honoratis cumulabo altaria donis,
Et cadet ante tuos victima multa focos.
His dictis iter ingreditur, ſanctuſque viator
Non niſi præſentem ſpirat ab ore Deum.
Verbaq; præfatur, quæ maximus approbat æther,
Gaudet enim tanto Numine teſte loqui.
Tandem optata viro ſe fertilis obtulit Haran,
Culminaq; affini ſanguine juncta videt.
Vallis erat celſi pendens è vertice montis,
Collibus exiguis arboribuſque frequens.
In medio locus eſt pecori gratiſſimus umbrâ,
Uvida quâ curvas invenit unda vias.
Alludunt ſparſæ ſua per virgulta capellæ,
Atque aries pulchri dux gregis agmen agit.
Stant mixti inter ſe ſtabuli pecoriſque magiſtri,
Ille ſuis agnis proſpicit, iſte ſuis.
Non deerant alacres famulæ, nec odora canum vis,
Turbaque in infeſtos quæ gerit arma lupos.
Accedit pius Iſacides, pronuſque ſalutat,
Et leni placidos inchoat ore ſonos.

Di-

Dicite paſtores, veſtrûm ſi cognitus ulli,
Dicite, quâ Labanus valle moretur, ait.
Anne viro ſtat ſalva domus, ſobolesq; laresq;,
Quaſq; ſuburbano gramine paſcit oves?
Dicite: ſic nunquam deſint ſua gramina vaccis,
Et multo dominum lacte capella beet:
Sic nova creſcentes apportent fœnora lanæ,
Et ſaliat lætas dux gregis inter oves.
At ſenior tum fortè pedo ſubnixus Alexis,
Dum recubat domini Pamphagus ante pedes,
Soſpes, ait, Labano domus eſt, & ſoſpite vivit
Conjuge, nec deſunt paſcua læta gregi.
Felix ille animi, ſtrepitus faſtidit & urbes:
Rus amat, & bobus rura ſubacta ſuis.
Ipſa favet laxis cœli clementia campis,
Et dominum multâ meſſe coronat ager.
Bina vireſcentes ſoboles excreſcit in annos,
Apta maritali Lia Rachelq; thoro.
Quarum una, ut gelidis ſatientur fontibus agni,
Virgineo properans huc pede tendit iter:
Et jam declivi deſcendens colle propinquat,
Moxq; oculis dabitur conſpicienda tuis.
Dum loquitur, notis ſeſe paſtoribus addit
Lanigeros inter virgo pudica greges.
Illa ſuos facili diſtinxerat arte capillos,
Et viridem nudâ calce premebat humum.
Quin teneris altè cervix ſublata lacertis
Sithonias viſa eſt exſuperare nives.
Obſtupuit juvenis præſentis imagine formæ,
Et placido cœpit ſic prior ore loqui:
Salve virgineos inter celeberrima cœtus,
O benè materno ſanguine juncta mihi.
Iſaco ſum patre ſatus, genitrice Rebeccâ,
En adſum, generis pars quotacunq; tui.



Dixerat, & niveo circundans brachia collo,
  Oſcula de timidâ virginitate rapit.
Dumq; rapit, tacitos ſub pectore percipit ignes
  Gliſcere, & occultas emicuiſſe faces.
Non Veneris rabies labefacta per oſſa cucurrit,
  Sed, Superûm fretus numine, caſtus amor.
Illa quoq; ingenuo vultum demiſſa pudore,
  Candida purpureis tinxerat ora roſis.
Is color eſt pulchrâ pendentibus arbore malis,
  Is color Auroræ, cum venit, eſſe ſolet.
Ac novus antiquam quis venerit hoſpes in urbem,
  Nunciat ignaro bella puella patri.
Et mores habitumq; viri deſcribit, & oris
  Ingenuas, mixtâ ſed gravitate, notas.
Excipit ille virum, dextrâq; inducere tectis
  Gaudet, & alternis dicta referre ſonis.

Mul-

Multa ſuper genitrice rogans, patriſq; ſalute,
Et quæ cauſa viæ, quóve teneret iter.
Dum reſponſa parat, dum ſingula narrat Iacob,
Germaniq; minas, fœmineoſq; metus;
Fercula cognato dapibus ponuntur inemptis,
Et quas grex dederat, vel tulit hortus opes.
Pinguior è ſtabulis Harani ruris alumnus
Hœdulus, at nullo gramine paſtus, adeſt.
Candida ponuntur ipſis cum matribus ova,
Libaq;, quæ pueris villica pinſit anus.
Quin etiam molles epulas fecêre columbæ,
Pernaq;, & è plenis vina petita cadis.
Veſcitur Abramides. Sed non ita lauta palatum
Fercula, quàm mentem virgo pudica movet.
Hanc oculis luſtrat, penituſq; in pectore condit.
Hanc vigil, hanc coram nocte ſilente videt.
Et petit, & vellet jam tum ſe poſſe potiri.
Prævertunt longas fervida vota moras.
Sic abit: aſt imis inſedit flamma medullis,
Nec dubio juvenis victus amore calet.
Poſtera lux ut prima rubet, thalamumq; reliquit
Nympha pruinoſo quæ vehit axe diem;
Se comitem ſociis hoſpes paſtoribus addit,
Perq; cavas valles cum grege carpit iter.
Per montes graditur, rigidiſq; in cautibus errat,
Quà tulit humanos ſemita nulla pedes.
Non grave concretas illi calcare pruinas,
Non grave in adverſos vultibus ire Notos.
Explorat gelidos imis in vallibus amnes,
Et latices circum lene fluentis aquæ.
Atq; adeò quæ prata ovibus, quæ ſaxa capellis,
Quæ bona ſint vitulis gramina, mente notat.
Nec ſatis hoc animo, totum complectitur orbem
Quâ Syriæ melius parte vagentur oves.

Totus erat Corydon. Alium non Tityrus uſquam
Inveniat ruris cultibus eſſe parem.
Interea explerat renovatis cornibus orbem,
Et nova converſis luna redibat equis.
Tempore quo mores Labanus ſtudiumq; nepotis,
Et totum potuit perdidiciſſe virum.
Quanta fides, quàm ſollicitæ prudentia mentis,
Quis labor, & magni ſedula cura gregis.
Non decet hîc tantos gratis te ferre labores,
Sis licet affini ſanguine junctus, ait.
Non me chare tuis juvenis diteſcere curis
Fas erit, atq; tuâ ſedulitate frui.
Quod ſi te nivei pecoris juvat eſſe magiſtrum,
Ilicet hîc pacto fœdere noſter eris.
Tu modò mercedis pretiumq; & nomina ſigna,
Accipies meritis præmia digna tuis.
Diſtinguam domini partes, parteſq; propinqui,
Quæq; feret famulus commoda, quæq; nepos.
Tunc juvenis: Curare gregem ſtat certa voluntas,
Et quæcunque tuus munia poſcit ager;
Dum precium ſit nata minor, dum filia Rachel
Servetur thalamis aſſocianda meis.
Hâc ſeptem ſervire velim mercede per annos,
Nec fuerint tantæ tædia longa moræ.
Solamen ſperatus amor dabit. Omnia ſpernam,
Si generum tandem me ſinis eſſe tibi.
Accipe, daque fidem. Non me labor iſte gravabit,
Si modò promiſſi ſtent mihi jura thori.
Annuerat ſenior. Nec ſegnius impiger heros
Ardua montani munia ruris obit.
Curat oves, oviumque duces, hœdilia curat.
Nec lupus hîc ſpolium, nec ferus urſus habet,
Nulla boves ſcabies, contagio nulla capellas,
Non maculat niveas lurida peſtis oves.

Aut ſi fortè febris miſeros concuſſerat agnos,
 Inque bovis ſteterat tergore dura cutis:
Ille ſagax ferro virus compeſcit & igne,
 Et varium medicâ diſcutit arte malum.
Interea magnum ſol aureus ambit Olympum,
 Et peragit curſus æmula luna ſuos:
Effluxere dies, annoſque prementibus annis,
 Ante fores tandem ſeptima meſſis erat.
Tum meritis patuit via, tum ſe magnus amator
 Explicat, & votis conjugis auſa capit.
Impatienſque moræ (mora nam gravis omnis amanti eſt)
 Debita non ſegni præmia mente petit.
Nota tibi noſtri, dixit, ſunt fœdera pacti,
 Nota tibi fidei tempora longa meæ.
Jam mihi ſeptenis abiit ſub ſolibus ætas.
 Sat domini lucris ſervitioque datum.
Exſpectata diu tandem promiſſa repoſco,
 Muneraque hoc ipſo perſolüenda die.
Da quod amo, quod amem porrò, quod amabimus olim.
 Sit mea, quæ patris cura puella fuit.
Clamat ager teſtis, clamat caper, agnus & hœdi:
 Paſtor, iö jam nunc optima virgo tua eſt.
Bethulides quid agat? (nec enim jam cauſa negandi eſt)
 Annuit: et juveni, Quod petis, inquit, habe.
Et jam læta dies, multos ſperata per annos,
 Extulerat cœlo ſplendidiore jubar.
Nulla mora eſt: epulis menſas ſolennibus implet,
 Virgineoſque ornat candida palla ſinus.
Fulgent inſolitâ geniales luce penates,
 Et ſponſum facies arguit ipſa novum.
Accumbunt juvenes poſitis ex ordine menſis,
 Vndique feſtivo flore tegente thoros.
Sertaque, & inſontes myrto redolente coronæ,
 Indicium ſalvæ virginitatis erant.

Tecta ſtrepunt, circum clamoſa remurmurat Echo,
Et juvenum modulis conſonat omne nemus.
Gaudia teſtantur præruptis cautibus antra,
Perque cavas valles ardua ſaxa fremunt.
Nomen Iacobi Zephyrus ſubſibilat alnis,
Quæque ſtrepunt, referunt verba Rachelis aquæ.
Hæc aliquis ſalici incidit, vel gramine format,
Aut junctis alius ludit arundinibus.
Mille modis gaudent. Quis enim non gaudia curet?
Iſta dies populis cauſa ſalutis erat.
Non deſunt pueri qui cantibus aëra mulcent:
Nec ſine felle ſales, nec ſine fæce merum.
Poſtquam pulſa fames epulis, & linquere menſas
Sponſus, amor, comites, & ſopor ipſe jubet;
Nox ruit, & tenebris involvitur arduus æther,
Lunaque ſub denſâ condita nube latet.
Quóq; minus ſplendent radiantes æthere flammæ,
Hoc magis illuſtri lampades igne micant.
Exclamant juvenes, Procul ô procul ite puellæ,
Sacranda eſt cupido jam nova nupta viro.
Sponſus adeſt, jam ſponſa veni, nec, ut ante, repugna
Huic, cui jus thalami jam dedit ipſe pater.
Talia vociferant. ferit aurea ſidera clamor:
Et domus ingenti perſtrepit ampla ſono.
At dum turba ruit, pueri innuptæq; puellæ,
Dum canit argutis tibia feſta modis;
Dumque per anfractus, dum vaſta per atria tranſit,
Virgineos penetrat dum nova nupta choros;
Sponſa per inſidias tenebris involvitur atris
Altera, nec fraudem qui notet, ullus adeſt.
Lia ſubit furtim, ſimilique in veſte refulget,
Flammeoloque genas, ut nova nupta, tegit.
Lia facem ſequitur, quam prælucere ſorori
Fas erat, & mendax pronuba tæda fuit.

Ap-

Applaudunt ſponſæ falſâ ſub imagine matres,
Callidus ipſe dolum dum regit arte pater.
Sponſus adeſt, ſcanditq; thorum; nihil illa recuſat,
Et partes totâ nocte ſororis agit.
Ille dolos neſcit, craſſoq; errore tenetur,
Inq; ſinu dominæ ſe recubare putat.
Error ineſt cupidis amplexibus. Errat amator.
Falſa ſub illuni gaudia nocte latent.
Lia ſilens fruitur teneræ Rachaëlis amore,
Dumq; ſilet, ſponſus dulce peregit opus.
O pia ſimplicitas! muti peraguntur amores,
Verbaque laudatus ſurripit ipſa pudor.
Non loquitur, patiturque novæ documenta maritæ,
Et quod non audet dicere ſponſa, facit.
Tempus erat, dubiæ cum prima crepuſcula lucis
Montibus inſpergit vix bene nata dies.
Tale dabat thalamo roſeis Aurora quadrigis,
Quale ferè nemori lumen ineſſe ſolet.
Optatæ Abramides faciem ſpectare puellæ
Dum cupit, O tenebras ſol, ait, alme fuga.
Reſpicit, utq; videt, quod non vidiſſe juvabat
Invenit, & falli gaudia ſenſit amor.
Ambigit, attonituſq; ſtupet, propiuſq; tuetur,
Atque ait: An ſenſus ludit imago meos?
An nondum ignavo deterſi lumina ſomno?
Inſidiaſq; mihi lux vitioſa facit?
Quis me torpor habet, quis me malus abſtulit error?
Talia, ni fallor, non gerit ora Rachel.
Ah, ubi nunc, ubi nunc roſei ſpectabilis oris
Ille color, flammæ dulcis origo meæ?
Hei mihi, quàm fragilis jucundæ eſt gratia formæ.
Me miſerum! virgo facta videtur anus.
Anne igitur ſolitum nox abſtulit una colorem,
Dum calet amplexu nupta pudica meo?

Aut nimium brevis eſt promiſſæ forma puellæ,
Aut nimium longo tempore verna fuit?
Dum queritur, rutilis fulgens Matuta capillis
Majorem nitido ſpargit ab axe diem.
Jam tenebræ fugiunt, jam fit mage lucidus æther,
Totaque jam juveni Lia videnda patet.
Ecquid agat? liteſne ferat, thalamoque puellam
Exigat, & rigidis increpet auſa minis?
Vel patriam repetat, vel quà patet orbis abibit?
Aut miſer in ſylvis triſtia fata gemet?
An tactos ſpernet thalamos, & fœdera lecti
His temerata dolis diſſoluïſſe volet?



Dum furor in curſu eſt, ſurgit, ſponſâque relictâ
In ſocerum iratus talia dicta jacit:
Egregium facinus! quid? avunculus iſta nepoti?
Quid? ſocer hæc genero? vah, ubi pacta fides?

Tune viro furtim doceas ſe jungere natam,
  Obſcurâ quoties omnia nocte ſilent?
Anne verecundis mos convenit iſte puellis?
  Vah, dolus à caſtâ ſit procul ille domo.
Non pater hoc, non tutor agit, non provida nutrix,
  Si qua verecundi cura pudoris adeſt.
Vix lenam decet iſtud opus. non illa puellam
  Subjiciat juveni, ni prior ille roget.
Peccaſtis gemini; genitor dum crimina ſuades,
  Filiaque ad patrios obſequioſa dolos.
At tibi ſervivi ſeptem, malè fide, per annos.
  Nempe die ſoles, frigora nocte tuli.
Et capreis, ſuibuſque tuis, ſtabuliſque vacavi:
  Et mihi cura gregis nocte dieque fuit.
Me curante nitent cultu meliore penates,
  Tota meâ ſplendet ſedulitate domus.
Auximus ingenio cenſus, noſtroque labore
  Aſſiduos fœtus caula benigna dedit.
Sæpe fuit noſtro lupus inſidiatus ovili:
  Sæpe fuit noſtrâ bellua pulſa manu.
Cur igitur pretium, cur debita pignora mutas?
  Nec datur optatâ conjuge poſſe frui?
Quin age, ſolennis recitetur formula pacti.
  Feſta tuæ Liæ non fuit iſta dies.
Hanc peto, quam merui, quam pro mercede dediſti.
  Quæ mihi legitimo fœdere ſponſa fuit.
Sponſa fuit, jamque uxor erat; niſi credulus error
  Luſiſſet ſenſus nocte ſilente meos.
Uxor erat data; ſola fides, ſine corporis uſu,
  Mutua corda ligat, conjugiumque facit.
Quid facis infelix? Duce te ſum factus adulter,
  Dum furtiva meus pondera lectus habet.
Vah facinus! pellex facta eſt ſoror ipſa ſororis,
  Quæ mihi, quod nunquam debuit eſſe, fuit.

Con-

Conjugium ſolenne, pater, non crimina poſco.
  Vt conjux natam, non ut adulter, amo.
Abrumpit manifeſta dies, quos junxit amantes
  Abdita nox, tenebris inſidioſa ſuis.
Quin age, redde meam. falſos deteſtor amores.
  Legitimus nunquam fit ſine mente thorus.
Dum loquitur, quærit q; ſenex tam juſta querenti
  Quid regerat, culpæ conſcia lingua ſilet.
At poſtquam dubius partes ſe torſit in omnes,
  His ſua vix tandem vocibus ora movet.
Ecquid, ait, juvenis confidentiſſime, pergis
  Jurgia decrepito dura movere ſeni?
Sacra tibi ſubeat capitis reverentia cani,
  Et pretio conſtet noſtra ſenecta ſuo.
Non hæc ille tuus genitor grandævus eunti,
  Improbe, non genitrix hæc tibi juſſa dedit.
Moribus hæc aliena tuis, aliena tuorum,
  Atq; aliud pietas relligioſa docet.
Tædia quid, duroſque juvat memoraſſe dolores?
  Quiſquis curat oves otia paſtor agit.
Ridet ager, ludunt graciles per rura capellæ,
  Iſta nihil rigidi cura laboris habet.
Non tibi vel raſtrum juvenilia membra fatigat,
  Nec fit ab attrito dura ligone manus.
Non timidus pendes celſâ frondator ab ulmo:
  Nec miſer incurvâ gramina falce metis.
Sed viridi recubans patulæ ſub tegmine fagi,
  Aut canis, aut dulci membra ſopore levas.
Aut vernas texis vario de flore corollas,
  Quas gerat in comptis dulcis amica comis.
Aut ſocias cannas, aut ludis amabile carmen,
  Aut gratum dominæ vimine texis opus.
Nunc lino volucres, nunc fallis arundine piſces.
  Dilitias pariunt auraque & unda tibi.

Delitias natura ſuas ſpacioſa recludit:
In tua ſe pandit gaudia totus ager.
Circum te convexa patent & lucida cœli
Atria, te recreat cantibus omne nemus.
Felix, ô nimium felix, tua ſi bona noris,
Nec ſatias tanti ſit tibi Lia boni.
Materies certè non eſt tibi juſta querelæ,
Et fruſtra vitæ tempora dura crepas.
Virgo comes tibi ſemper erat per prata vaganti,
Virgo animi requies præſidiumq́; tui.
Illa dies pluvios grato ſermone fefellit;
Illa tibi feſſo dulce levamen erat.
Dumq́; tuos petulans truncis incidis amores,
Multa ſalix paſſim falce notata tuâ eſt.
Fraxinus (& memini) noſtris celeberrima ſylvis
Carmen in hirſuto cortice tale gerit:
Fraxine, vive diu: reduci cum fronde virebis,
Ibit in amplexus pacta puella meos.
Ruſticus haud capit hæc, nec qui legit iſta viator.
Sed mea qui novit fœdera, ritè capit.
Sic tibi per ſeptem meſſes vixiſſe moleſtum eſt?
Hæccine ſunt humeris pondera dura tuis?
At mihi prima genas tegeret cum flore juventus,
Non vitæ facies dulcior ulla fuit.
Talia vel quivis ſibi commoda quærât amator.
Hæc mihi ſi dederis præmia, paſtor ero.
At quereris, quod Lia tibi pro conjuge ceſſit,
Pacta tuo fuerit cum Rachaëla thoro.
Accipe reſponſum. Minor hîc ſine conjuge dormit,
Dum jus nubendi filia major habet.
Tempore quæ prior eſt, prior hîc quoque nata marito
Jungitur. Hæc patriæ regule ſancta meæ eſt.
Ordine quo naſci datur, hoc ſponſalia ſurgunt
Ordine. Naturæ convenit iſte modus.

Sic decet, & ratio eſt. Nam quæ magis eminet annis,
Plus ſapit, & vegeto fit magis apta viro.
Legibus hîc agitur. Quin te quoq; jura coërcent;
Quippe parem cauſam civis & hoſpes habent.
Et facto ſi crimen ineſt: tu criminis autor,
Non mihi probroſum, quod facis ipſe, puta.
Fraus tua larvatâ decepit imagine patrem,
Perque dolum fratri debita vota tulit.
Si te ſponſa virum, juvenem ſi virgo fefellit,
Te docuit mater fallere poſſe ſenem.
Non potes à quoquam facto propiore refelli,
Cum fueris noſtri criminis ante reus.
Sic dolus uſque dolo, ſic ars eluditur arte.
Major & in fratrem fraus tua nuper erat.
At ſupereſt aliud, quod & hîc tibi fortiter obſtat:
Jamque elabendi rimula nulla patet.
Servaſti ingenuam totâ tibi nocte puellam.
Baſia mille tulit, baſia mille dedit.
Quid, delibato jam virginitatis honore,
Ad patrios redeat filia mœſta lares?
Non decet hoc caſtas. Quin tu, temerarie, neſcis
Virgineum nunquam poſſe redire decus?
Crede mihi, zonæ qui vincula prima reſolvit,
Huic virgo ſtabili fœdere juncta manet.
Concubitus lex ſumma thori eſt, contractus amantum
Altera. Conjugii te facit illa reum.
Pactis ſtare duos, & conveniſſe decorum eſt.
At pondus thalami vincula majus habent.
Eſt leve, ſi ſoror eſt charæ ſuppoſta ſorori,
Utraque, quod credis conjugis eſſe, facit.
Si formoſa magis Rachel eſt. Mage nubilis hæc eſt:
Maturiſque magis moribus apta viro.
Improba cauſa tua eſt. Socii deſertor amoris,
Si ſapis, ad thalamos & tua caſtra redi.

Per

Per me Lia tua eſt; junxi propriamque dicavi.
Id pater in natas juris habere ſolet.
Per te Lia tua eſt; animo nam conjugis illam
Accipis, & frueris virgine jure viri.
Ipſa quoq; aſſentit, patris dum juſſa peregit,
Inque thoro titulum conjugis uxor habet.
Oſcula non aliâ fixiſti mente puellæ,
Oſcula non aliâ conditione dedit.
Mente tua eſt, thalamoq; tua eſt. Hâc compare gaude,
Qui ſpolium raptæ virginitatis habes.
Dixit. amatori vox ultima læſerat aures:
Jamq; iterum in labris, quod loqueretur, erat.
At ſocer ardentem procedere longius iram
Jam mage pacato protinus ore vetat.
Ne ſævi, juvenis: nec enim promiſſa retracto.
Non erit alterius, quę tibi pacta fuit.
Stat jurata fides. Tua ſit, tibi nubat oportet:
Juncta tibi ſtabili fœdere Rachel erit.
Sed tamen & Liam ne dedignare maritam,
Quæ jam dulce tui pignus amoris habet.
Conjugium ſeptem celebra ſolenne diebus,
Sitq; operis merces digna puella tuis.
Ac ſolitos curare greges, velut ante ſolebas,
Incipe, dum veniat ſeptima rurſus hyems.
Id tibi nunc facile eſt. Nec enim jam ſolus obibis
Prata; tibi comites uxor & uxor erunt.
Vel potius (magis hoc ſi fortè videbitur aptum)
Una greges tecum curet, & una domum.
Una cibos famulis, epulas menſamq; marito,
Una paret culto lintea munda thoro:
Altera per montes, per devia rura capellas,
Aut tecum in viridi gramine paſcat oves.
Cum geminis pariter jucundas divide noctes.
Una vacet pecori, dum vacat una tibi.

Stra

Stramine ſæpe ſuper fœnoq; jacebitis alto,
 Sæpe dabit facilem gramen & herba thorum.
Sæpe greges inter longos memorabis amores,
 Inq; ſinu dominæ carmina ſępe canes.
Sæpe cubans dulcem gelidi propè fluminis undam,
 Aure bibes murmur lene fluentis aquę.
Æmulaq; alterius ſi fortè videbitur eſſe
 Altera, ſe cupiet quęq; probare tibi.
Creſcet amor zelo. capient exempla viciſſim:
 Inque vices ſibimet calcar amoris erunt.
Hæc dixiſſe ſat eſt. Rata ſint connubia Lię.
 Ereptus latebras debet habere pudor.
Talibus inſtabat ſenior. Sed frigidus horror
 Oſſa quatit juveni, tardaque membra ligat.
Quid faciat? Negat ad patrem vitiata reverti,
 Et minor illæſâ virginitate gemit.
Altera corpus habet: ſed poſſidet altera mentem.
 In dubio conjux hæc ſit, an illa, magis.
Ergo fides geminis ſimul eſt promiſſa puellis,
 Alternaſque faces ventilat unus amor.
Altera fit conjux, quia ſit parere neceſſe:
 Altera conjugium pignus amoris habet.

Cor-

CORN: BOYI. J. C.

ad

Magnificum & Illuſtrem Virum,

D. D. JACOBUM CATSIUM,

Equitem, Ordinum Hollandiæ Weſt-Friſiæque Conſiliarium Syndicumque Primarium

EPIGRAMMA.

Cum ſequentem raptus Benjamitarum Hiſtoriam Latinè verſam ipſi offerret.

Grande ſoli columen Batavi, quo præſide, concors
Audit & Heſperias Belga laceſſit opes;
Qui placidas, inter curarum pondera, Muſas
Volvis, & hac animos colligis arte tuos,
Dum rerum momenta ſubis, Batavûmque ſaluti
Conſulis, ac vaſtum vertice ſiſtis onus,
Et Matri Pater es Patriæ. Si verſibus ullum
Tempus & ingenuis convenit hora jocis,
Hanc Clariis concede meis. Quas penè rebelles,
Te duce, per raptas fecimus ire nurùs.
Scilicet intacta vetuerunt ſtupra Camœnæ;
Et Paphiam nobis ſubſtituêre Deam:
Illa mihi diris præduro carmine tedis,
Et malè furtivis præſilit una toris.
Benjamidumque favens ſcelus hoc infame furentum
Dictat, & in cantu ſtat violenta meo.
Quod damus, hoc damnamus epos. Vitandaque cunctis
Crimina, Lector amans, non imitanda legas.

D *Hoc*

Hoc docuit me Belga meus, cui caſta papyrus
Crediturætherea ſcripta fuiſſe manu,
Et ſuperis aſperſa favis; quos Roma lepores
Neſcit, & in Veneres Græcia prona ſuas.
Da veniam, cuicunque legor. quos reddimus hymnos,
Perdimus. Eſt Batavi, compoſuiſſe, Viri.
Ingenium Batavo, Batavo datur ore rotundo,
Aut toto nulli nunc datur Orbe loqui.

COR-

CORN: BOYI. I. Cti.

Raptus Benjamitarum,

IN

Virgines Silonenſes perpetratus.

Judic. 21. verſ. 15. *&c.*

Poſt ſcelus infandum Gibeę, violentaq́; paſſam
Stupra nurum, ſparſamq́; vagis in fruſta puellam
Gentibus, & motas animis patruelibus iras,
Penſavit cenſura nefas, victrixq́; nocentes
Edomuit vindicta reos, ac tota ruinæ
Dedita Beniamidum ſeries: quæ plurima ferro
Cum raderet, raraſq́; ſui ſupereſſe videret
Relliquias, ſociaſque piis procumbere natas
Matribus, in deſerta ruit, patriamque furenti
Abramidæ, vacuas flammis ultricibus urbes
Objicit, & cæcis fugiens abſcunditur antris.
Heic deteſtatam largis ploraſſe querelis
Luxuriem, ſævumque ſibi pudibunda putatur
Collaudaſſe Deum, fontique minacia ſtirpi
Numina, & ultrices acies, expertaque fratrum
Arma triumphanteſque manus: quo fractus Olympi
Fervor & hoſtiles animi, ſatiataque ceſſit

Judæo gravis ira Duci; dum ſanguine ſacro
Imbuitur, patriumque bibit cognata cruorem
Progenies, totaſque ruunt immitia terras
Fœmineæ delicta necis, populumque per omnem
Unius irrupit Gibeæ furor, & fera vaſtas
Pœna trahit ſceleri paucorum debita gentes.
Et jam bella viri, raucoſque per aëra cantus
Laſſatæ poſuêre tubæ, comitique ducique
Sævities rabieſq; ipſis deferbuit armis,
Et datus hic furiis modus eſt. mox iuſſa latebris
Rhammonioq; exire ſpecu pars relliqua ſtirpis
Lucifugæ ſtatim oblatas amplectitur arrhas,
Et pacem gaviſa capit. ſimul hauſtus uterque
Grandia prȩteriti flevit diſpendia belli
Iſacides; magis ille tamen, cui fœdera Miſpæ
Atque eiuratus fratri, quo perderet ipſum,
Diſplicuit nunc dandus Hymen. piget uſque furori
Indulſiſſe ſuo, teſtemq; in vota Tonantem
Præſentemq; habuiſſe Deum. ſtat mentibus ingens
Anxietas: dubitaſſe putem, num ſperneret, ulli
Quam ſcelus eſt iuraſſe, fidem: Num pace nocentes
Defeciſſe minas, & pugnis pacta peremptis
Crederet. Huc illuc vario dum fluctuat actu,
Alterius fit cauſa fori; culpatur Iäbæ
Segnities & in arma prius deſcendere torpor
Neſcius, hinc triſti Gilial committitur enſi,
Quaſque aliis inferre neces, frameaſque faceſque
Noluit, has inſons patitur, vetitoque fatiſcit
Flebilis exitio. ſolis furibunda puellis
Parcere, ſed reliquos rabies immanis in hoſtes
Mittitur. Intemeranda feræ mandata phalanges
Protinus expediunt, flammiſq; & cædibus omne
Involvunt perduntque ſolum. breviterque, quot urbes,
Rudera tot, cinerumque ſtrues; quot tecta, ferarum

Tot latebras numerare fuit. Manet una cruentâ
Virginitas illæſa manu, mox ſola triumphi
Materies. Si turba graves Hebrǫa quadrigas
Viderit à domitis unquam tumuiſſe ſuperbas
Hoſtibus, hoc vidit reditu, cum durus amandas
Pro ſpoliis auriga nurus, blandumque puellas
Agmen & intactas traheret victoria natas.
Moxque quater centum tædas & feſta parari
Cerneret, & crudas flecti ſub amoribus haſtas.
Beniamidum riſit populus, ſibi, ſanguine partos
Alterius, ceſſiſſe toros; ſed flevit iiſdem
Tertia pars thalamis, vacuos dum compare lectos
Continuat, raptiſque nequit concumbere Nymphis.
Hinc dubii rurſum Proceres periuria tutò
Queis fugiant hæſêre modis. quǫſitus & unà
Fraudibus inventus color eſt. dum feſta Silonis
Annua, virgineiſque ſacrum ſolenne propinquat
Tripudiis. huc ardentum manus ire procantum
Iuſſa parat; ſimulac longis permiſſa docentur
Crimina juſtitiis, & raptis jura puellis
Deficiunt, juſtæque indicta ſilentia legi,
Et ſceleri patefacta via eſt. mox ordine certo
Inſtruitur volvitque ſuæ momenta rapinæ
Beniamides atque arma capit; non qualia nuper
Cum conſanguinei ruerent in bella manipli,
Non galeas gladioſve, aut diris miſta baliſtis
Spicula, non clypeos, rapiendæ noxia turbæ
Inſtrumenta; leves alii talaribus alas
Expoſcunt, celeres alii ſuaſêre caballos;
Pars onus omne fugæ nocuum chlamydeſque ſtolaſque
Proiiciunt, nudoſque animant in furta lacertos,
Inq; agili ſpes tota genu eſt. non defuit ipſas
Qui Paris hic ornaſſe comas & inertia luctæ
Membra coli prodeſſe putet, frontemque genaſque

Pingere & attonitam facie perſtringere gentem.
Dum dubitant, ætate potens & doctior omni
Dux grege, tardiloquo præclaram murmure vocem
Tollit, &, O! mecum captandis juſſa puellis
Ire comes, cognata manus, ſi fortius, inquit,
Robur & hoc noſtro dignas conamine prędas
Quærimus, æquales faciat prudentia greſſus.
Ordine ducamur. mentemque hac lege rapacem
Quiſque regat. ſimulac clari primordia tollam
Auſpicii, ſignumque dabo, ruat undique ſilvis,
Quas petimus, glomerata cohors. Quam primus amicam
Contigerit, ſibi quiſque ferat. Si tacta duobus
Una, viro dextram cedat ducenda tenenti.
Vel quem quæque volet teneat. moderatus ubique
Fervor & in tanto regnet patientia motu.
Bis centum numero ſumus, at, quo tendimus, illic
Plus nuruum eſt. Si concordi conſurgimus aſtu,
Diffuſaſque vagi ſequimur, votiva cuique
Fœdera polliceor. Sociis ſi perfida turbis
Lis oritur, cerno abreptas raptoribus ipſis
Ire domum dumiſve caput demergere Nymphas.
  Conſenſêre pares, ſimilique exire paratu
Conſtituunt, de nocte, viri, ne nunciet ullus
Et quamvis celeres rumor prævertat amantes.
  Iamque tenebroſi per amica ſilentia cæli
Secretum calcarat iter, junctumque Siloni
Agmen erat, ludoque ſacris ſe merſerat herbis
Ante diem. Mox virgineæ cum ſole catervæ
Conveniunt, vocumque melos cæleſte canentum
Tollitur, æthereoque ſonant dumeta ſuſurro.
  Vallis erat poſitis circum denſiſſima ſilvis
Et vivo peramœna lacu, qui rupibus altis
Et naturali deſcendens tramite, blandum
Tortilibus dat murmur aquis, alimentaque præbet

Fron-

Frondibus, in medio latis patet undique pratis
Planities, cui ſuſpenſæ per ſumma coronæ
Et quâquâ verſum celebres laquearia flores
Condecorant. Non Idaliis Venus ipſa viretis
Pulchrius, aut nitidi Clariæ per culmen Olympi
Divinas celebrant choreas. Cytherëia dicas
Feſta dari, thalamoſque locum præferre futuros.
Attamen hæc propriæ quondam Deus orgia laudi
Inſtituit, iuſſitque choro ſemota virili
Rura dari, ne permiſtis laſcivia ſurgat
Sexibus, oblitoque nefas ſubrepat honeſto.
Non hîc deformes Satyros, Furiaſque, nepotum
Degenerum figmenta, notes, larvaſque pudendas
Conſpicias; ut quæque piis attacta favillis
Pectora mens, ſic ora refert. Non ullus amorum
Geſtus, at ingenuis pietas effulget ocellis.
Si qua ſonat, vox læta Deum ſonat, illius almum
Chorda decus, partaſque hoc rerum principe lauros
Ingeminat, pulſumque polis victoribus hoſtem.
Contremit Iſacides, dum, quod capit eminus, horret
Murmur, & ad ſacros ſtat inexcuſabilis hymnos.
Sed mox dulce tori ſpolium, formoſaque volvens
Corpora, ſaltanteſque legens ad carmina Nymphas,
Deſinit eſſe probus. denſis ſaliiſſe vepretris
Arboribuſq; efferre gradus, & ſigna rapinæ
Mallet danda cani. niveos notat ille lacertos
Quos adamet: ſibi turgidulas videt iſte papillas:
Ille oculos, hic frontis ebur depaſcit, & ipſâ
Mente per amplexus rapitur, colloque geniſque
Figitur impatiens animi: ſunt, queis dat amantes
Greſſus, & attactis pes illibatus arenis.
Hunc labii rubicundus honos, cilijque ſuperbi
Majeſtas, & crura leves ſinuoſa per artes
Afficiunt; calet ad cunctos pars maxima vultus,

Nec, quod amans diſtinguat, habet. Sic neſcia quævis
Diligitur, cauſaſque ſui fert fęmina raptus.
Non aliter quam cum dapibus conviva paratis
Excipitur, diteſque onerant obſonia menſas,
Alter toſta petit, potius ſe paſcere lixis
Alter amat, pars dulce merum nec grandia poſcit
Pocula, pars pleno vinum generoſius optat
Deprompſiſſe lacu, vacuat, quæ libat, ahena
Rarus adęquali genio ſatur, hoſpes. eodem
Qui calet, auſertur ſtudio; non quęlibet omnes
Ora cibos, cunctaſque unus furor ambit amicas.
It, quò ſe dimittit amor, ſua quemque voluntas
Abripit, imparibuſque gulæ laxantur habenis.



Et jam plena chori facies, incautaque paſſim
Virgo patet, cum prominulis arbuſta tumeſcunt
Agminibus; primas ſubit inſidiator in herbas,

Ex-

Expectatque tubæ ſonitum. mox percita ſaltu
Proſilit & mediis pubes ruit effera ſilvis,
Attonitas cingitque nurus. velut agmine denſo
Hyblææ rapiuntur apes per amœna vireti
Compita, cum violis decus & bene olentia demunt
Mella; vel ut rapidos auferre cadavera corvos
Cernimus, aut fortes aquilas, quas longa furentes
Exacuit ſtimulatque fames; non diſpare motu
Evolat Abramides, prędis & inhęret adeptis.
Primus Haſor, cui præcipiti per culmina paſſu
Optio facta prior, varios laſcivus in ignes
Labitur, ancipitemque furens elector amantem
Exercet, fitque ipſe ſui petulantius impos
Ingenii; refugam modò quam ſectatur, eandem,
Mox ubi direpto deformem novit amictu,
Deſerit, & ſtantem plenis amplectitur ulnis.
Hæc dum viſa placens, & per deſerta volentem
Ducit: anhelanti mediis occurrit arenis
Filiolæ, cui criſpatis per colla capillis
Candidulus micat ore rubor, cui blandior ipſis
Picta fugis facies; teneros, dum prædicat, artus
Occupat, & primam ſpernens ſpreviſſe ſecundam
Suſtinuit; quibus ipſa comes mox tertia, quartam
Vt tenuit: quæ ſe validis dum maſcula luctis
Liberat, increpuit juvenem. Scelerate, quid omnes
Tangis, & attactas fœdo temerarius auſu
Deſtituis? non digna toro conſtantia, non te
Verus amor, ſed dira vagis inhonoraque flammis
Fax agitat; meliora mihi, ſi nubere cogar,
Fœdera dent Superi. Stygias, queis cretus, in undas
Perfidię rue pœna tuæ. Stupet, & magè caſtam
Urit Haſor, conſtanſque piæ potiora puellæ
Verba dat, iratumque vovet, ſi fallat, Olympum.
Hinc ſtabilita fides, & duris facta loquelis

 Tem-

Temperies. jamque una omnes inſania turbas
Incitat, aridulisque furit violentia campis,
Denſaque pulvereas glomerant veſtigia nubes.
Vix cernit quam quiſque rapit. quæ pulchra, repente
Diſſimilis conſperſa ſibi eſt. quæ fœda, lituras
Obtegit, iniectisque micat formoſior umbris.
Ambigit Aſchæus; nec quàm vel ſpernat ametve
Novit Amos. furit in numerum Ducis inſcia plebes
Nil legis memor ipſa ſuæ. non dextra ſiniſtris
Nunc potior, tactuſve prior. quam vis dat amicam
Quiſque trahit, renuenſque ſuis fit fœmina pugnis
Gratior. inſolito reſonant deſerta boatu,
Fractaque tripudiis ſeries. jam ſerta, coronæ
Cum citharis, contrita gradu, calcataque ſparſim
Omne ſuum poſuêre decus. tegmenta, cuculli,
Et lacerata volant vacuis prætexta plateis
Pallia; non auro precium ſolituſque lapillis
Splendor ineſt; armilla luto, ſubvolvitur herbis
Gemma: puellari cedunt hæc cuncta pudori,
Solaque virginitas bellis acquiritur iſtis.
Hæc facies communis erat, ſed triſtior, & quæ
Spectanti moveat gemitum. Privata notanti
Fas riſiſſe fuit. Miſeræ cur unica matri,
Ruth ait, abripior? Tibi quò mox plura Penatum
Fundamenta ſtruam, noſtroque è ſanguine proles
Largior æternos patrum poſt fata nepotes
Continuet, ſtetque iſta tuo victoria lecto
Jor monet, & vincit. Poſitam dum proxima litem
Eva capit, mea præ nimiis domus, inquit, ephebis
Turget. Et inde tui, mea lux, ſolatia raptus
Knas canit, evenient; leve, me moderante, parenti
Molis erit tantæ pondus, dabiturque ſorori
Te nubente, locus. Claudam ſe cauta Seraphnis
Fingit, & inceſſu gravis adverſata procanti

In

In bibulam procumbit humum; ſed cautior Obed
Hanc relevans, Tuus iſta pedum, fert, damna tuorum
Concubitu penſabit amor; tu tecta tenebis,
Nec patrios malefida lares, niſi ſegnior, unquam
Reſpicies. Hoc te moveat præcrudius, orat
Kir, gremium; matura meo redderis ab æſtu,
Semmius oppoſuit. Fugat hæc vicina ſenectus
Thimna, albis depexa comis, exclamat; at ætas
Salmon ait, monet iſta torum, quæ tarda petiſti
Fœdera, prona ſubi, celeriq; hæc otia curſu
Corrige, & ignavam complexibus excute mentem.
Quò morbis correpta feror? tremebunda Dinhaſpa
Dum rogat; alma meo, Roboan, ſananda cubili
Traderis, adiungit. Lentos dum culpat Amana
Pinguior articulos; mihi mollibus abdier ulnis
Dulce erit, Abuerus replicat. Tenuiſſima Thamar
Siſtitur Aminadæ, gravidam dum menſibus octo
Aſſerit. Hammonius volucrem, dum deſerit, Aſcham
Sentibus involvi minitans avet; inde Zephoni
Proxima corripitur, cui, dum dumeta ruboſque
Laudat & oblatam ramo famulante rapinam,
Alterius ſum ſponſa, refert; mea vota Manaſſæ
Conſtanti pietate viro thalamoſque fidemque
Juravêre ſuam, ſerò mihi vincula nectis;
Corpora ſi iungas, non junges pectora, veri
Condimenta tori: laceram dimittere pallam
Mens erat, at tremuli ſimulac ſe numen ocelli
Explicuit, patuitque ſinus niveumque mamillæ
Marmor, & aureoli frontem docuêre capilli,
Arctius amplexam trahit, & ſupplenda prioris
In ſe jura capit juvenis; nec perfida cuiquam
Nec dicêre, monet, petulans; te caſta voluntas
Abſolvit vim paſſa ream: ſi tranſfuga peccas,
Me tenet authorem ſcelus, &, te judice, damna,

Si

Si juvat, hoc, poſt feſta, caput, mactetque Manaſſes.
Sic furit & fruitur, dum bis violentia centum
Vincla tulit; ſtatque ampla feris menſura maniplis.
Ducitur omne genus nuruum, breve, grandius, album,
Formoſum, deforme, ſenex, iuvenile, tenellum,
Forte, vagum, levius, grave, triſte, jocoſius, atrum.
Materies non una faci eſt. Anguſtius illi
Os thalami, candens iſti dens cauſa puellæ
Coniugii eſt. laſcivus huic in baſia geſtus
Fœdera dat, quæ ſuaviolis habet iſta negatis.
Vox illam, beat hanc taciturni gratia vultus,
Iſta quod illachrymet, capitur quod rideat iſta.
Quin & crudeles animos ſociataque ſævis
Fulmina verberibus tenerorum hic pignus amorum
Eſſe putes. quibus unguiculis tranſfoſſa cruentis
Ora dolent, hæc libatis curaſſe labellis
Dixeris, & domitis quidvis perferre puellis.
Haud ſecus ac gratos cum fur nocturnus apertâ
Fronte favos & mella rapit, nec acuta furentum
Tela timet nec verber apum, ſed dulcibus hæret
In ſpoliis, ſanatque ipſis ſua vulnera prędis.
Interea ſacris ſcelus hoc dum fervet in agris
Tirſa domum properat, quóque eſt rapidiſſima curſu
Obvia dilectum videt & compellat Ophelum.
Me rape, me, Iuvenum decus, abripe, nec ſcelerato
Beniamidæ, ſed iunge tibi, dum capta trahuntur
Agmina, & in patrias furit impetuoſa puellas
Tempeſtas & iniquus amor. Proh Numina! quæ! quę
Damna queror! vehit, ah! patrias ferus advena natas.
Una fugax ſervor. feſtis illata verendis
Vis ſimul & nobis. læſæ celer iſta Siloni
Nuncia fer, natiſque parens accurrat abactis.
Ille nihil, dum magnanimas generoſus in iras
Candeſcit, ſurgitque pio vindicta dolori,

Illa

Illa iterum, Num ficta putes? ſalientia ſilvis
Millia raptorum juvenum, fractaſque choreas,
Et violata Deûm ſublatis ſacra puellis
Vidimus, attonitaſque viros auferre ſorores.
Quis faciem iſtius ſpolii, quis fata rapinæ
Exprimat! abrumpor referens. I, magne, piatum
I, ſcelus hoc, bellator, abi. Vix talia fantem
Excipit. Vnius, Mea Lux, non iſtud amantis
Nec virtutis erit. patriæ lis iſta Siloni
Decidenda venit. tantis hoſtilia cives
Auſibus arma dabunt. mihi te ſervaſſe tuoſque
Gratulor affectus, (ſimul haud commune trementi
Suaviolum dat) &, hanc noſtris fur perfidus ulnis
Non rapiat quicunque fuat, quâ pollet, ovanti
Voce canit; raptimque ſuam contendit in urbem.
At jam raptor equos agitat, captiſque potitur
Virginibus, nullumque ſacris certamen in hortis.
Egla dolens ſupereſt, reliquis deformior Egla.
Heu quid agat? Num raptores velut acta ruentes
Audeat ipſa ſequi? patrios ludenda Penates
Num repetat? maneatne feris ingloria ſilvis
Hoſpita? dum multum vario confunditur actu
In lachrymas pudibunda fluit, lachrymiſque querelas
Miſcet, &, O! noſtris, infit, Deus invide, tædis,
Cur tibi ſpreta creor? ſanctæ quid inutile terræ
Pondus & ad nullos naſcor miſerabilis uſus?
Cur mihi concubitum pater, & cur mater amorem
Debuit, aut partus gemitum? generanda parenti,
Cur tollenda fui? poterat Libitina tenellam
Perdere, nec feris vivam proſcribere ludis.
Cum modò præcipites varias in vincula dextras
Conſpicerem, euge tuo properat jam tempus honori,
Egla, virum tibi fata dabunt, dum cætera flebit
Turba pavens, dixi, ſed ſum mentita; feruntur

Me,

Me (pudet!) exceptâ, reliquæ. Vis ûna volentem,
Nolentes complexa, fugit. miranda procantum
Regula! mirus amor! quo dignoſcenda notem vos
Nomine? non ego vos capio. Cur mitia duræ,
Torpenti, maledicenti, vel in arma ruenti
Figitis, & cupidæ ſubducitis oſcula natæ?
Eſt gremium, ſunt labra mihi; quin laudor ocellis,
Pectore, lacteoloque ſinu. Si ſparſa lituris,
Lenticuliſque minor facies, ſi preſſa capillis
Frons nocet, hæc præclara mihi mens celſior aſtris
Surgit, & hæc formâ probitas formoſior omni.
Adde, tego nummis vitium; ditiſſima pulchris
Sum potior; nec ſcivit amans! Num ſidera noſtros
Adverſata toros prohibent? cur pronubus æther
Torpuit igne meos, aliis proclivis, ad ortus?
Si ſors cęca, unam cur vitat iniquior Eglam?
Vidi impar virtute genus, natalibus impar,
Et ſpecie, per prata rapi; nunc volvitur eheu
Hoc thalamis, dum ſola cubo! nunc gaudia ſumit,
Dum me flere decet. Tentanti plura puellæ
Dicere Læa ſubit, denſis dum merſa viretis
Evolat: (huc rabidos modò ſe proruperat hoſtes
Effugiens) Ah! mitte graves, lepidiſſima, planctus,
Quò mecum læteris, ait. Nos civis abundè
Nunc colet, & reliquis ſolas exquiret ademptis.
Finge fugam mecum; te contempſiſſe furentes
Dic; cape me fidam ſociamq; in ſæcula Læam.
 Factis dicta probant. at iam, quò preſſius ibant,
Iuſta Silonenſem ſtimulat vindicta Iuventam.
Atque uno ſcelus ore novum, poſt prima ſecundum
Probra nefas, cupit, enormes, hoſtilibus auſis
Perdere Beniamidas; dolet hos, cùm vinceret, iræ
Subduxiſſe ſuæ, nec ſontem fulmine ſtirpem
Uno omnem merſiſſe neci. Si bella Levitæ

Uni-

Unius uxori data ſunt, exactaque ſoli
Pœna viro latos maculavit ſanguine campos,
Bis raptæ centum plures meruiſtis amicæ
Exequias: maior læſæ cenſura Siloni
Competit, & noſtris nihil eſt, ait, æquius armis.
Dixit & arma parat. Sed nondum ſumpta Priores
Abramidum populique duces, quos cura tuendæ
Præmonitos huc plebis agit, melioribus urgent
Ponere conſiliis. Pia, quò vos, turba, cruentos
Ira rapit? date præcipiti ſufflamina menti,
Et propriis ſtent bella moris. Facundior altâ
Voce monet: Num præteritæ crudelia ſtragis
Vulnera, num vacuas ipſis victoribus urbes
Neſcitis, raroſque viros? num fœta puellis
Mœnia? num victam thalamos ſibi ſternere gentem
Haud alio potuiſſe modo? Si noxia Miſpæ
Vota lubet ſervaſſe, (fidem ſervaſſe neceſſum)
Non veniæ locus ullus erit. quin Rhammia rurſum
Antra ſubi, miſeranda cohors, cœlebſque dolendo
Vive ſpecu, ſacramque polis extingue nepotum
Progeniem, patrique domum ſubverte Jacobo.
Geſtit Idumæus, dum tot civilia nobis
Gaudet bella geri, fractas attendit inermis
Hic acies, quò per noſtras victricia tollat
Arma plagas, obſtetque ſuis vis nulla triumphis.
Adde, quod hinc multum patriis audacius aris
Inſultet, veroque neget nos Numine tutos.
Sed quid ago? quid ſacra loquor? jam ſera movetis
Arma, nec in raptas quicquam committere Nymphas
Beniamides dici meruit, dum fœmina fletus
Abluit, & placidis affectat gaudia lectis,
Vel ponit laſſata caput; cur triſtis amores
Miles & optatos conturbet buccina ſomnos?
Trux licet, arriſit populus, potuitque diſerto

Con-

Conſenſiſſe viro, præſens niſi fleſſet acerbum
Crebra parens, ſponſuſque dolens; quos doctior unà
Perſequitur. Spoliata ſuas quid fœmina natas
Ploret? habet vaſtos nobis opulentior agros
Rapta nurus: quæ millenos aluêre penates
Paſcua, bis centum retinent. ditiſſima dotem
Contulit ipſa ſuam rapiens manus. Omnis amator
Rideat, illicitoſque negent venientia raptus
Sæcula, & ablatis deſit vindicta puellis.
  Plebs avet & ſilet hic. reliquos iniuria cives
Aſperat; his, lento Patrum prudentia ductu
Continuit manibus ſtrictoſque coërcuit enſes.
Fama ſubit, iam rapta piis parere maritis
Agmina, nec læſas pœnam depoſcere turbas.
Neu patrios præferre Lares dotalibus oris.
Se pacem mandare ſuis; dum mitia ducunt
Tempora, dum Charites, dum pleno prodiga cornu
Copia, fœmineiſque recens Venus ardet in ulnis.

C. Bar-

CASPARIS BARLÆI PHARMACEVTRIA,

ſive

Nuptiarum Cyri, Perſarum Regis, & Aſpaſiæ, virginis ruſticæ,

LIBER PRIMVS.

IAM Perſas accendit Amor, ſemotaq; longè
Ipſa Dionæis flagrant palatia flammis,
Et flecti diadema poteſt; ac ruſtica Phyllis
Lætior Eöo coniux ſplendeſcit in oſtro,
Miraturq; Deos, mundoq; exempla parari
Adſpicit, ut ſurgant humiles, & munere Divûm
Induat auguſtas paupertas ſpreta coronas,
Muteturq; pedum ſceptro, deſpectaq; ruris
Filia adorandis intexat crinibus aurum.
Vos, quibus incerto vadunt mortalia caſu,
Nec curant terras Superi, quos cæca futuri
Palantes Fortuna rapit, qui numina rebus
Indulgere ſuis, noſtri ſecura, putatis:
Præſentem ſpectate Deum, & cœleſtia quantis
Conſiliis ſe Fata probent, mundique labores
Ingenio, non ſorte, regant; dum ſurgere parvos
Cernimus, & ſummo turbari culminè rerum
Regales apices, venerandaque nomina tolli,
Ut ſublata ruant. vili ſub ceſpite primi
Pompilium fovêre lares, cunaſque Quirini
Et nondum dominæ diſperſa mapalia Romæ,
Paſtorum rexere manus, & mole laborans
Imperium tenui cunabula debuit Albæ.

Talis ebur Lydumque Gyges (ut fama) tribunal
Conſcendit, regnoque fuit thalamoque potita
Simplicitas. talis Siculâ tellure poteſtas
In figulo rectore ſtetit, flexitque ſub una
Sceptra lutumque manu. quò te, Darie, Deorum
Extulit in ſublime favor? cum voce tiaras
Infremuit lęta ſonipes, regique futuro
Hinniit ignarus quadrupes. quo numine ſordens
Facta fuit Rhodope Pharii regina tyranni?
Tarquinios cur, Tybri, colis? cur rurſus ovantes
Deturbas ſolio? Latii cur frena capeſſit
Verna? vel innumeris ſervaris, Sulla, triumphis?
Ille Jugurthino. & Cimbrûm certamine clarus,
Quo toties vicit bellatrix conſule Roma,
Cur iacet in cœno Marius? cannaque paluſtri
Abdit grande caput? Vis hęc occulta Deorum eſt,
Quæ regnis ratione præeſt, regumque coërcet
Colla potens. quod ſi nondum labefacta reſurgat
Relligio, pergatque ſibi temerarius error
Falſa loqui; claræ thalamos & fœdera ſpectet
Aspasiæ; & tantum compeſcet virgo tumultum,
Et dicet regnare Deos, motuque latente
Ire per ambages, humanaq; flectere vota,
Quà libet, & tacitis fines evolvere cauſis.
Vos mihi, quæ ſylvis Dryades habitatis opacis,
Naïadeſque Deę, & celebres per prata Napææ,
Dicite virgineos vultus: dic ruris amores,
Alma Pales. Vos Damonis ſuſpiria ſępe,
Et faciles voces, vos durę verba notaſtis
Virginis, & pleno Aſpaſiam ſtupuiſtis in auro
Iura pharetrato regnantem dicere Medo.
Illa per Eöas famâ celeberrima terras,
Ore Deam referens, poterat Iove digna videri.
Tantus honos oculis inerat, frontique geniſque,

Is

Is rubor in labris, roſeam qui vinceret Eö,
Is nitor in digitis, niveum qui vincere longè
Poſſet ebur, placidique lepos tam melleus oris,
Ut ſic Suada loqui cuperet. per colla fluebat
Æmula cæſaries Phœbo; greſſuſque modeſti,
Ceu magnæ Iunonis, erant, pudibundaq; ſemper
Sueverat obiectis faciem prætexere ramis,
Et velare mali cauſas, ſolitaſque procantum
Illecebras, & quicquid amans inſania poſcit.
Sępius hanc limis Corydon adſpexit ocellis;
Sæpe per umbroſos ſaltus & teſqua vagantem
Vidit, & incaluit Mœris. veſtigia furtim
Dum ſequitur Daphnis, flamma propiore liqueſcit;
Ut levia admotis ardeſcunt ſulphura fumis,
Naphtaque conſpecto vicina bitumine flagrat:
Multorum communis amor, multiſque petita,
Nullius privata fuit. dum poſcitur una,
Reppulit una procos, & faſtidita ſequentes
Votaque & imbelles paſtorum exercuit iras.
Plus tamen unus amat Damon, totieſque repulſus
Acrius inſtat amans, creſcitque dolore voluptas;
Et ſperni vulgare putat. cum mollibus illam
Alloquiis cupit & blandis accendere dictis,
Stat ſcopulo ſimilis, quem fluctus & unda minacem
Verberat incaſſum. dictis adverſa repugnat,
Nec thalami patiens pro virginitatis honore
Verba facit, doctaque virum ratione refellit.
Cum ſua formoſo circumdare brachia collo
Nititur, optatis amplexibus arcet amantem:
Et quoties labris invitum ſurripit audax
Baſiolum, queritur, verbiſque inſultat amaris.
Cum dextram ſociare parat, cum pignus & arrham
Donat amicitiæ, cum pignore dextra fideſque
Deſpicitur, detrectat, abit, nunc abdita ſylvis

Delitet aut cœcis habitat ſecretior antris.
Interea Damon per devia rura, locoſque.
Et nemorum ambages rapitur, quæritq́;, viaſque
In morem ſcrutatur equi, quem primus odoris
Afflat odor, notos cum fervidus exit in agros,
Paſcuaque & totos hinnitu traiicit amnes.
Vix Aurora gravem terris dimoverat umbram,
Aſpaſiam vocat, Aſpaſiam veſtigat in udis
Vallibus, aut celſis errantem in montibus ardet
Ponè ſequi. medio poſtquam ſublimior axe
Iſſet anhela dies, fontes & flumina propter
Invocat Aſpaſiam, & gelidas monſtrare calenti
Vellet amator aquas, undiſque calere ſub iiſdem.
Inde ubi noctifero veſper proceſſit Olympo,
Nec iam tota dies nec nox iam tota pateſcit,
Obſervat, qua calle ſuam deflectat in urbem,
Qua ſedeat defeſſa domo, quæ gaudia poſcat,
Queis ſociis comes incedat. fugit illa vocantem,
Nec ſinit, adveniat. Si quando arridet amicè,
Torvùm mœſta videt. quoties ſuſpiria lentis
Præcurrunt lachrymis, ceu victo obgannit amanti.
Nec tamen hunc Cereris, non ſomni cura furentem
Abſtrahat. inviſa circum proſtratus in herba
Spectat inexpleto dilectam lumine formam,
Et viſu perit ipſe ſuo. Quis ſævius, inquit,
Quis me paſtorum crudelius alter amavit?
Non potior, qui ſemper amo. vileſcimus uſque
Officiis; prodeſtq́; nihil, ſaviſſe puellæ.
Omne mihi tempus precibus perit, annus & ætas
Muneribus, nec mille trucem donaria placant.
Quicquid odoriferum fragrantibus edidit hortis
Ver geniale, dedi. mediis allata Sabæis
Balſama, dein Cilicum meſſes, ariſque dicatos
Panchæi thuris globulos & cinnama miſi.

Nu-

Nuper diſparibus mihi quæ ſurgebat avenis
Fiſtula, quæ ſummum poſſet flexiſſe Tonantem,
Aſpaſiæ conceſſa meæ eſt. qui prendere paſſer,
Et primum ludens digitum mordere ſolebat,
Illius eſt. dedimus toties decerpta recenti
Poma manu, dulces venêrè ad prandia ficus,
Et gravidis pendens vindemia pulchra racemis.
Cum mihi non vilis penderet arundine piſcis,
Cum foret intentâ volucris deiecta ſagittâ,
Cum mea ſtraviſſent pinguem venabula cervam,
Singula tranſmiſi dominæ. modò ſerta parari
Iuſſimus, aut gracili fiſcellas vimine texi,
Aut quæ Sidoniis fulgebant ſerica filis.
Cuncta ſimul periere mihi. nil iuvit amaſſe
Difficilem. deluſa fuit ſperata voluptas
Hactenus. unda meos, & quicquid ſufficis, æther,
Tuque parens tellus, fruſtra docuiſtis amores.
Attenuant vigiles languentia membra dolores,
Et macie marcet cutis inconcinna, vigorque
Priſcus abit. ſolum mihi vox atque oſſa ſuperſunt.
Et tamen imprudens, quem non probat, approbat illam,
Et tamen infelix, quæ me fugit, inſequor illam,
Atque animum, qui me decepit, inebriat error,
Seductumque rapit. fallacia gaudia capto,
Speſque meas pudor eſt vano donaſſe labori.
Inde manus tollens ad ſidera; deſerar uſque,
Deſerar ô, inquit, Superi? nec amabor ab illâ?
Et primo deſpectus amans exſtinguar in ævo?
Si potuit Stygias Orpheus lenire ſorores,
Tartareiſque ſuam cithara deducere regnis
Eurydicen; nigri ſi regia palluit Orci,
Cum pius infernas Theſeus comes iret ad umbras,
Sulphureique recens peteretur coniugis uxor,
Hæc etiam tentanda via eſt. Diſcedite Divi

Cœlicolæ, quotquot mundi ſuprema tenetis,
Numina ſæva mihi. potiùs Tu rector opacæ
Noctis & umbrarum pater & pallentis Averni,
Tuque fave votis Phlegethon, & flumine largo
Eructa, Cocyte, dolos. nova, Cerbere, philtra
Expue, & æternis rigidam latratibus imple
Aſpaſiam, & quam non valui mulcere rogando,
Frange metu. piceò Styx livida toxica fundo
Evomat; & cœlum quas nobis denegat artes,
Pandite vos matres Furiæ. ruite omnis in unum
Horrida gens, alioſque modos dictate procandi,
Eumenides. quacunque queam ratione potiri,
Hæc erit æqua mihi. virtus, vitiumque ſcelusque,
Cum probitate nefas nullo diſcrimine habentor.
Carminibus ſterilem Ceres evaneſcit in herbam,
Deficiunt fluviis undæ, labuntur ab altis
Ilicibus glandes, ſpoliatur frondibus arbor,
Ubera lacte carent. etiam plus gliſcit ab illis
Et ſtimulos capit ægra Venus, ſpretumq; virago
Admittit manſueta procum & iam fracta fatiſcit.
Talia dicenti tandem ſententia ſedit,
Conſulere horrendæ ſcelerata oracla magiſtræ,
Et magicos audire ſonos, patefacta ciere
Tartara, fallaces tenebris arceſſere manes,
Impiaque infames obſonia poſcere ſagas.
Quid faciat? non Marrubia de gente ſacerdos
Os aperit, cœloque avertens ſidera Circe,
Non Medea potens herbis, non Marſica pubes,
Non Pſylli docti chelydris properare ſoporem,
Aut diro ſueti ſtrepitu terrere Choatræ.
Delphica conticuit rupes, & corniger Ammon,
Et ſacri tripodes Dodonæiq; receſſus,
Et quicunque vagis hæret Chaldæus in aſtris.
At vates Lodippa fuit, tot gnara malorum
Fe-

Femina, quæ ſcelerum ritus atque improba norat
Carmina, & invitam Superis ſubducere Lunam,
Siſtere Solis equos, & noctis tempora claro
Permiſcere die, ſuffundere nubila cœlo,
Et totum revocare Chaos, dudumque ſepultos
Sollicitare rogos imiſque excire cavernis
Pallentes animas, oblivia tradere menti,
Cunctaque Lethæi quaſſare ſilentia rami.
Hæc eadem, quoties vellet, lenire leænas,
Serpentumque genus proprio exarmare veneno,
Et fixas aliò poterat traducere quercus.
Fit lupus & laxos ululat nocturna per agros
Innocuo funeſta gregi. iam forma moloſſi eſt,
Et mala latrat anus, nunc turribus abdita celſis
Horrendum mugit ferali carmine bubo.
Frendet aper, nigri crocitat ſub imagine corvi,
Reptat humi ſerpens mulier. fit dira Celæno,
Atque alibi ſuis opſcœnæ ſub corpore grunnit.
Tollitur & rapidis magnum per inane quadrigis
Trans terras pelaguſque volat, Rhodopenque nivoſam
Sub pedibus Pindumque videt, Riphæaque tranſit
Culmina Caucaſeoſque apices. porrecta draconum
Membra trahunt laceros currus, queis lurida velat
Criſta caput, maculiſque rigent horrentia fœdis
Tergora, deſtillant ſpumanti frena veneno,
Et tabo rabida ora madent. quacunque vagatur,
Secedunt longè volucres, liveſcit ariſta,
Nigreſcunt tactæ ſegetes, rubigine ſordent
Prata, iacent fracto violata papavera collo,
Et nihil afflatum ſupereſt. quin æthere ſummo
Toxica terribiles recreant delapſa novercas.
Hac mandante leve eſt amnes & flumina ſtrictis
Stare vadis, motuſq; ſuos dediſcere Gangen,
Tardius Euphraten, lentis incedere Tigrin

Vorticibus, propriis refluum ſe mergere Orontem
Fontibus, & nullo Mæandrum currere flexu.
Hæc ventos ſubito tempeſtateſq; ſonoras
Voce ciet, Caurosq; Notis & Japyga Cauris
Obiicit, adverſiſq; movet certamina flabris.
Mergit ſæva rates, & onuſtas mercibus alnos
Diſiicit, & ſummo diſcerpit lintea malo.
Enceladum Tityiq; latus flammiſq; tremendam
Concutit Inarimem, fumantem exaſperat Ætnam,
Crebraq; diſruptis iaculatur ſaxa caminis.
Impellit placidas inopino murmure nubes,
Terrificiq; ruunt tonitrus. modò fulmina iuſſu
Fabricat & trifidos extundit nubibus ignes,
Ignaro Jove. divulſas diſcedere terras
Cogit, & ingentes abſorbet hiatibus urbes.
Hæc potuit Lodippa furens, quæ Colchida vicit
Artibus & cui non vixit par Theſſala Erichto,
Non verſutus Atyr, non quæ venientibus annis
Inſtituit ſocias melior Locuſta propinquas.
Hanc adit effoſſi vaſtis ſub rupibus antri
Impatiens Damon. merſos caligine poſtes
Adſpicit, excubiiſq; incuſtodita remotis
Limina, & æternæ metuenda habitacula noctis.
Pendebat ruitura domus, vacuiq; penates,
Et reſupinatis ſordebant atria muris.
Non viridi circum vernabant gramine campi,
Non pluvia locus aut fecundo rore rigatur.
Nulla roſas legit virgo, vel poma colonus.
Detrectant ſecreta diem; gaudetq; tenebris,
Quiſquis amat vitium. Phœbæïa lumina neſcit
Ferre latebroſum ſpecus, ut ſua crimina celet
Contemptoſq; Deos & vatis lucra doloſæ,
Et Phlegethontæis ſubnixos fraudibus auſus.
Intus criſtati torquebant colla dracones,

Et



Et ſicca calido poſcentes gutture lympham.
Dipſades. infauſtis accommoda partubus aſpis
Perreptabat humum, propriæque iniuria matri
Vipera, & ingenito turgentes felle colubri.
Pendula ſublimes texebat aranea caſſes,
Ventroſuſque gravi librans veſtigia greſſu
Bufo ſuum patulo virus fundebat ab ore.
Non hic arguto priſcum modulamine Tereî
Ingeminat philomela nefas, non Attica pellex
Iſmarium deplorat Ityn. ſed noxia paſſim
Strix volat, & pravi prænuncia noctua fati.
Semineces pendent artus, ereptaq; matri
Pignora, & execti moribundo corpore fœtus,
Et, nondum ſibi totus homo. calcantur ephebi,
Quà graderis, lyncisq; caput, cor vulturis atri,
Et diſtorta upupæ facies. fit tota nefandi

Improba materies rerum natura laboris.
Altius admiſſos occurrens prona ſalutat
Credulitas, falſique tenax dementia ſtultis
Annuit, & cupidis expoſcit faucibus aurum
Vilis Avaritia ac precio mendacia vendit,
Illuditque Deis, nec regum iuſſa moratur.
Hîc mediis Lodippa ſedens penetralibus, orbi
Et populis reſponſa dabat, diſcincta capillum,
Fœda genas fuſco vultum turpata colore,
Squallida, deformi nil conceſſura Megæræ.
Ipſa feros rabies oculorum armaverat ignes,
Baſtaridûm quales oculi. diſſecta fluebant
Pallia, & impuræ velabant tempora vittæ.
Oſſa tribunal erant, tumulis ſubducta parentum,
Et detracta feris circum ſuſpenſa rigebant
Terga boum, & putridis ſanies manabat ab extis.
Vt limen tetigit, rurſus revocatus ab illo eſt
Attonitus. redit inde animus, pulſoque timore
Infert ſe mediis Damon penetralibus altè,
Et deploratis circumfert lumina tectis.
Ergo illam ut dubio vix tandem cernere vultu
Evaluit, tetricam rabido de pectore vocem
Infremuit mulier; qualem Phlegethonte ſub imo
Pallida Tiſiphone vel rauco eructat ab ore
Ianitor, inque ſuos Ixion detonat orbes,
Inſonuit nemus, & vaſtæ tremuere cavernæ,
Ferratæque fores immenſaque clauſtra loquentis
Diſſiliere ſono. tantus fragor ivit in auras,
Quantus nocte lupis ululantibus aëra complet.
Aut qualem Armeniæ tigres Maurique leones,
Aut impacatæ vis effera frenduit Hydræ.
Ipſa cavis habitans ſaxis reſonabilis Echo
Fugit, & extremos timuit decerpere voci
Articulos, dirisque noviſſima reddere verbis.

Tan-

Tandem ait: Has quæ te, Iuvenis, vel cauſa vel error
Propulit in latebras? num furto rapta ſupellex
Quæritur, occultúſque tibi depoſcitur autor?
An flatu lædenda Ceres? an flumina ſiſti,
An vis ſaxa loqui? geminas concurrere Lunas?
An vitreos turpi fœdari ſanguine fontes?
Num potius tacito poſcis medicamen amori,
Et velles flagrare minus? num ſpernit amantem
Virgo, preceſque tuas iratâ reſpuit aure?
Anne alios gelidi tractum in veſtigia lethi
Ire cupis, fratreſque cito decedere fato?
Num tua vis nullo penetrari corpora ferro,
Et gladiorum apices & vana repellere tela?
An procul extremos iam nunc Garamantas & Indos
Eſt animus ſpectare, vel ipſam viſere Thulen,
Atlantiſq; domos, & aduſtum ſidere Pœnum,
Et raptu per regna vehi? Solemque cadentem
Surgentemq; diem celeri decurrere motu?
Dic age. Tum Damon: Tu, quæ non cognita nobis
Noviſti conſulta Deûm, Superûmque Ioviſque
Conſiliis maiora ſapis; cui numina plenum
Pectus agunt, totoq; tument præcordia Phœbo,
Cui manes omneſq; Dii famulantur Averni,
Et veniunt ad iuſſa alacres; quæ Tartara laxas
Tænarioſq; lacus, & noſtræ ſtamina vitæ
Parcarumq; colos & lentos fraudibus annos
Præcipitas, ipſiq; potens dominaris Olympo;
Eumenidum decus, inferno dilecta profundo
Filia Perſephones, quam charis fovit Erinnys
Uberibus, ſtudiiſque audacibus imbuit unam;
Cuius ad imperium pandit ſua Cerberus ora,
Cuius ad imperium guttur crudele coërcet;
Ipſe leves umbras invita lintre revectat
Portitor, accelerat pœnas tardatque Megæra,

Fla-

Flagranteſque faces obvertit fontibus atrox:
Exaudi, Lodippa, preces. non funera poſco,
Non animo cædes agito; non lancibus infans
Appoſitus, non membra mihi diſſecta petuntur,
Humanuſque cruor. qualis Buſiridis aris,
Aut Thracum crudis fluxit per fercula menſis.
Non patriam veni audaci reſcindere cœpto,
Non regum inſidior iugulo ſceptriſque potentum,
Aut coniuratos armare in prælia cives
Eſt animus, parteſque ſequi. non patris in annos
Quærimus, antè diem. nec publica commoda lædi,
Non fruges laticeſque volo, vel inania triſtem
Carminibus noſtris mulctralia fallere Baucen.
Forma mali levis eſt, & dum peccare neceſſe eſt,
Molle nefas meditor. vetitas me trudit in artes
Aliger ille Deus, tactumque cupidine pectus
Faſcinat, & duro miſerum me obiectat amori.
Hæc colo montanus paſtor loca, collibus erro,
Et tenerum ducto campis agreſtibus agmen,
Balantumque greges & qui tranſverſa tuetur
Ponè ſequor torvi veſtigia fœtida capri.
Eſt quoque vacca mihi tauro fœcunda marito,
Eſt ſtructum viridi frondoſum ceſpite culmen,
It vitæ ſecura quies. poteramque videri
Felix ſorte meâ; niſi me non vellet amantem
Aſpaſia & noſtros ſæviſſima ſperneret ignes.
Hæc placanda mihi eſt. fac ut miſereſcere poſſit
Damonis, dicatque ſuum, tu pharmaca dona
Certa mihi. penetrent magici per viſcera cantus,
Aut me dede neci. ſit mors mihi meta doloris,
Aut ſperatus amor. cœli convexa tueri
Difficileſque Deos labor eſt. pro virgine quidvis
Infandum patiar iuvenis. quò iuſſeris ire,
Ibimus. immenſum tecum tranabimus æquor;

Ibi-

Ibimus in terræ gremium, cœcoſque meatus;
In Ditis te regna ſequar, Erebique tyrannum
Alloquar. Aſpaſiam, Aſpaſiam mihi flecte, feroxque
Ingenium, Lodippa, doma. tibi texta parantur
Serica, & Eöo rutilantes murice pallæ,
Regaleſque togæ, digitiſq; auguſtius aurum
Tinniet. hîc tibi ſelectas mactabo bidentes,
Et tua præclaris onerabo altaria donis,
Narciſſo violaque & ſuave rubentibus uvis.
Phaſiacas addam volucres, quæq; ordine pulchro
Arrectam gemmis caudam ſtellantibus implet,
Et quæ Numidico ſubſidit femina gallo.
  Tum mulier ſic orſa loqui eſt, & verba profatur
Impia: Cum denſas mundo nox fecerit umbras,
Et rutilum tacitis ſubduxerit æthera terris
Occiduus Titan, ſpecioſaque cornua Phœbe
Occultabit aquis; ſpumantia littora Nereî
Noctivagus ſpectator adi; dumque obvia luſtras,
Et modò ſuſpenſam miraris in aëre terram,
Inde catenatum obiecta tellure profundum,
Conſpue ter, ter lacte novo conſperge procellas,
Ter nivei mellis tumidis affunde liquorem
Fluctibus, & veteris fragrantia munera Bacchi.
Ter converſus, aquis fluidos ter tinge capillos;
Et tandem in bibulâ demiſſo poplite arenâ,
Ter tibi dilectæ nomen percurre puellæ,
Et magna ter voce voca. dumque ultima faris,
Oceani vicina ſubi, veſteſq; recinctas
Abiice, terque tuos undis fluitantibus artus
Prolue; ter ſalſa madeant aſpergine lumbi,
Ter fluctus littuſque feri. Solennia, virgo,
Iſta tibi, dic, ſacra paro. miteſce roganti,
Nec porrò gravis eſſe velis. ter ſulphure, flamma,
Ter lympha luſtratus abi. mox undiq; frondes,

Et fruticum genus, adverſi medicamina amoris;
Collige, quas Peneus, vel quos dabit altior Oſſa;
Vel Pindi iuga, vel Pindo ferventior Atlas.
Lactucam violamque cave, & qui frigidus imum
In ventrem ſerpit cucumis, quæque acta per hortos
Turget ab anguſto protenta cucurbita collo.
Intyba prætereas, gravidumque ſopore papaver,
Funeſtaſque trabes taxos, piceamque nocentem;
Et teretes fungos, foliumque immite cicutæ.
Apta magis ventoſa faba eſt, Veneremque morantem
Extimulans eruca ſalax, & grandior orchis,
Et mordax piper, & ferventis grana cumini.
Hinc porrum & calidis carpantur eryngia fibris,
Floſculus euphraſiæ & vertex benè olentis anethi.
Deinde cavum tepido ſpumet tibi ſanguine ahenum;
Sanguine, quem tumidi fundet tibi vena leonis
Vulneribus laxata novis. rabioſa legatur
Spuma canum, leporique fero decerpta medulla,
Et cervi femur & virus lunare draconum,
Cenchris & hirſuti pellis maculoſa colubri,
Quique venenatis Afrûm ſerpentibus ater
Deſtillat cruor & Libyci membrana ceraſtæ.
Adde caput nati nuper bufonis & alvo
Exemtum cæcâ puerum, raptumque cadaver
Infami ferale rotæ, cinereſque nocentum,
Effoſſoſque reis oculos, cerebrumque chelydri,
Reptanteſque ſolo cochleas, hepar anguis & aurem,
Paſſeris extincti nimiis in amoribus inguen,
Extaque cornicis ſeptem iam ſecula paſſæ,
Et lentum Hippomanes, tenera de fronte revulſum
Vix naſcentis equi. quæ ſtipite mixta coquantur
Acrius. at poſtquam ſteterit tibi ſuccus & omnes
Fient gluten aquæ, lævam ter inunge mamillam,
Et lumbos oculoſque & cor violabile telis,

Et

Et partes, quas poſcit amor. dic: iſta placere
Aſpaſiæ fac, Diva Paphi, rituſque ſecunda
Officioſa meos. patulis hinc gramina campis
Et flores ſuccide. roſas cum carpis, iiſdem
Baſia fige libens; cum lilia, lilia centum
Baſiolis caleant; cum myrtus tangitur arbor;
Dic: Mihi, myrte, fave, Venerique ſacerrima pectus
Virginis emolli rigidum. contexe corollas,
Et ter cinge caput, rurſum ter deme corollas,
Et dic: Virgo, tuo triplex ſub pectore vernet
Gratia, & hos ipſos veris tranſcendat honores,
Totque herbis revireſce magis. poſt littora, montes,
Luſtratoſque locos nemorum, tua tecta reviſe,
Et calidis rurſum tibi bulliat olla favillis.
Quà gradiere, novi flores & gramina ſurgent,
Quáque cadent guttæ, in vitem laſciviet ulmus,
Ambiet & platanus platanos, & mutua palmæ
Brachia connectent, iterabunt oſcula conchæ,
Permiſtæque ibunt hederæ. ruet omnis in ignes
Inſolitos tellus, & ſentiet altior ales
Inſperata pati gelidas incendia nubes.
Hæc cum ſollicitâ perfeceris omnia curâ,
Atria quà ſpatioſa patent, imique penates,
Formidata tuum concludat linea corpus,
Et circo ſtet tuta ſalus. hoc limite greſſum
Fige, nec hanc auſis, Damon, tranſcendere metam.
Si faxis, citius dicto diſcerpta trahentur
Membra, & Avernales lambent tua fruſta ſorores.
Tum virgâ primum, Superos & ſidera ſigna,
Deinde ſolum attonito ſimilis cum murmure pulſa,
Et Furias Maneſque cie, cunctoſque profundæ
Concute Iunonis thalamos, Erebumque Chaoſque
Cocytique domos & caligantia regna,
Et quæ vorticibus Lethe loca luſtrat anhelis.

Et

Et Stygii devexa poli. Iamque, ecce, tremiſcens
Sub pedibus ſecedet humus, caligine tectum,
Et piceis circum nigreſcent omnia fumis.
Ilicet æthereas corrumpet peſtifer auras
Spiritus, & mixto diffuſus ſulphure fœtor.
Nec mora, fecundo tollent ſe monſtra Barathro,
Spectraq; terribili ſurgent minitantia vultu,
Fumanteſque faces quatient. hic Gorgonis ora,
Hîc caput anguineis intortum plexibus antro
Efferet. hæc Scyllam, referet frons iſta Meduſam,
Quæque venenoſis colubris armabitur, altos
Librabit greſſus tenebroſæ filia noctis.
Ille canem reddet latratoremque moloſſum,
Hic oculos, baſiliſce, tuos, hęc turpis hyænæ
Guttur, & implicitæ ſpiras torquebit echidnæ.
Adſpicies patulis flammas preſtera vomentem
Faucibus, & Veneri præbentem gaudia Scincon.
Alter in obliquum ſerpet latus, ipſaq; Cancer
Crura recurvabit. guttis lucentibus ibit
Stellio, & exuvias Scutales imitabitur alter.
Ibit Tartareus Triton, ſimulataque terga
Concutiet, conchamq; ſono replebit inani,
Quos inter Stymphalis erit, raptura cruentis
Unguibus exangues animas. hîc mutiet hirci
Larva, frement lynces, claudet Plutonis alumnum
Urſus, & occulta fallens dulcedine panther.
Nec deerunt Harpedophorus, terrenſq; Phobetor,
Non Icelos, non illę trabes mentitus & undas
Phantaſus, & quavis ludens ſub imagine Morpheus.
Exiliet levior Nycteus & Ditis Alaſtor,
Aſſecla & ille ruens pedibus velocibus Æthon,
Et Capni ſoboles, & curvis cornibus Ammon,
Et rictu terrens Lupus & proboſcide Protheus.
Hos trudet veniens Caphoros, Larſoſque, Merachque,
Bur-

Burſa, Bulis, Salafar, Barſu, Laſpharus & Adar,
Ethiel, Azoriel, Thulbas, Pandorq; Cazulq;,
Et ſcelerum perſuaſor Aal, furtiq; magiſter
Albador, & luxus ſuadens exempla protervus
Carraſiba, & populis vendens mendacia Chrubas,
Et latrociniis Malgron, & notus Ahalcas
Fraudibus, & gaudens lectum inceſtare Remaſon.
Quæ cum tranſierint oculos portenta, ſubibit
Aſtaroth, Attalibax, & clamans dira Mimallon,
Et tonitru clarus Brontes, flammaſq; Pyracmon
Ore vomens, roſtroq; minans mordace Scolapax,
Et qui fallacis fucum malè diligit aulæ
Thaumas, & in regum mores proclivior Aiſchros.
Iuraque qui preciis Adicos ſacrumque tribunal
Pervertit; medicoſq; docet tot crimina Chryſos.
Quid tetrum Briarea loquar? cui brachia centum
Damnatos prenſant manes, tumidumq; Typhœa,
Antimachum, Monychumq;, Lycochtona, Teleboantem,
Et ſimilem Lernæ Phlægrum, Druſumq; Chimæram.
Tum Stygiâ matrum circumſtipante catervâ
Incedet triplex Hecate, rapietq; micantes
Perſephone poſt ſe famulas. turba omnis in orbem
Anguipedes flectet greſſus, nec vultibus obdent
Tegmina, femineum prævelatura pudorem.
Quæ cùm prodiderit tenebroſi regia Ditis
Agmina, difformeſq; choros, ſe mitior illis
Offeret Æneadûm genitrix, matremque Cupido
Ponè premet, iaculiſque humeros inſignis & arcu
Aſpaſiæ ſimulacra manu radiantia ducet,
Non tamen Aſpaſiam. faciles tibi flectet ocellos
Umbra levis, cupietq; tibi conſueſcere ſpectrum,
Pronaque contemptis innectere colla lacertis.
Ne moveare, puer. conſtet fiducia cœpto,
Nec tantos horre ſtrepitus, ſpeciemque malorum,

F Aut

Aut improviſæ timeas ſpectacula pompæ.
Quin potius multo rurſum tibi bulliat iſte
Igne lebes, mergaſq; tuis lacerata ſub undis
Viſcera cornipedum, & metuendas viribus herbas,
Et mox depletas humano ſanguine venas.
Noſter in hoc ſucco Deus eſt. hoc gluten amoris
Illecebra eſt, ſtimulumque minus redamantibus addit,
Diſſolvitque gelu. tali conſperſa liquore
Deperiit Phædra Hippolytum, Briſeis Achillem,
Et Macareus Canacen, & Sappho docta Phaonem,
Salmacis androgynum, & factus puer Iphis Ianthen.
Hoc ſucco redeunt anni, roburque virile,
Et vigor in Venerem. potuit iuveneſcere tactu,
Seque virum ſtupuit rugis abeuntibus Æſon.
Hoc ſua Tithono toties reparata iuventa eſt,
Hoc Erycina ſuum toties adſperſit Adonin,
Hunc ubi torva ſuis contingit virgo labellis,
Dilutum patera cuſtoditoque Lyæo,
Illi delicium, Damon, & ſola voluptas,
Et ſpes omnis eris. ſolum te flumina iuxtà,
Aut denſos inter corylos aut tecta corymbis
Antra vel umbriferi depoſcet vela liguſtri.
Audiit hæc lætus Damon, ſperataque fovit
Gaudia, & Aſpaſiam votis dum præcipit, auro
Fatidicam demulcet anum, veſteſque decoras
Adiicit, & pulchris fallacia carmina donis
Theſſalicaſque artes redimit. capit ille furoris
Materiem cauſaſque ſui; quæcunque parari
Iuſſerat, herbarum genera & quæ gramina ſparſim
Vulſa manu partim, vel partim falce reſecta
Legerat, & vario turgentia pocula lacte.
Dumque levat manibus tantæ perverſa magiſtræ
Munera, ridiculaſque dapes, miratur eundo,
Atque oculos animumque ſtupens per ſingula ducit.
Sic

Sic graditur, cum ſe venienti fortè Palæmon
Obtulit, indomitæ moderatus frena iuventæ,
Et comes & cuſtos quondam. qui ferre tenellum
Sueverat, & genibus ludentem aptare paternis.
Qui ſimulac ſtudium iuvenis, curaſque, viæque
Edidicit cauſas, tantique exorſa laboris,
Et malè quæſiti molimina ſubdola lecti,
Sic ait increpitans: Quis te maleſanus amantem
Error agit; cœloq; facit peccare relicto,
Et ſpreviſſe Deos? fatis flectuntur amores,
Et thalamus res eſt Superûm. non ludicra tedas
Sors movet, aut iſtis amor eſt quærendus in herbis.
Scilicet hęc, Damon, credis curare ſepultos,
Et Styga Lethæumque Iovem? cur, improbe, curas
Noſſe domos Erebi? delubraq; Ditis operti
Conſulis? & ſtolidis imploras infera votis
Numina? nos genus exoſum furialibus umbris
Et ſoboles inviſa ſumus. malè poſcis ab hoſte
Præſidium columenq; tibi. falleris amator
Fraudibus ipſe tuis. diſces miſer eſſe, rogando;
Quos rogitare nefas. non adſpicit æquior æther;
Qui Diti debere volunt. noviſſe futurum,
Numinis eſt. ſenſuſque & corda inflectere cœlum;
Non Styx atra valet. quanta mercede parantur
Damna tibi, meritaſque luet veſania pœnas!
Si thalami poſcis ſociam, res iſta parentum eſt.
Agreſtem ſi paſtor amas, paſtoris amici
Conſilia expendas potius, precibuſque iugales
Flecte Deos. quòrſum hic omnis ſine fine paratus?
Quid ſibi vult pars iſta lupi? pars iſta leonis?
Quid teter hic bufo? quid rapta volucribus exta?
Feraleſque epulæ & crudę cum floribus offæ?
Quid vitulus de matre recens? & turgida ſuccis
Cymbia, detonſæq; comæ? tun' illa, ſacerdos,

Sacra tibi ludoſque facis? talemque puellæ
Te geſtis præſtare virum? num talibus aſtra
Officiis placare ſtudes? facileſque mereri
Cœlicolas? heu, quid Veneri cum partibus iſtis.
Non placet huic matri bubo, non cauda lacertæ,
Non crucibus detracta cutis, non livida tabo
Viſcera, & exanimes artus. procul illa faceſſant,
Cœpta precor. Superos credas plus poſſe, Deumque
Coniugii curare modos, & pabula amori
Sufficere & tetricam iuveni lenire puellam.
Pronubus eſt homini Rex Iupiter. annuit illi,
Et thalamis moderator adeſt. His optima coniux
Auſpiciis poſcenda tibi eſt. venerabile cœli
Depoſitum inſanus nunquam donabit aruſpex,
Impia non Manto, non quæ penetralia terræ
Scrutatur, Stygiiſq; litat mala Theſſalis aris.
  Horruit his monitis Damon, geliduſque cucurrit
Ima per oſſa tremor, pollutaque carmina damnans,
Nunc artes timet ipſe ſuas, nunc damna revolvit,
Et credit periiſſe ſibi, quod ſolverat, aurum.
Stat titubatque miſer, veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi. cecidere manu frugeſque liquorque,
Et volucrum quodcunque fuit, quodcunque ferarum,
Fanda, nefanda ſimul. calcat proiecta magorum
Fercula, collectumque irato numine virus,
Et formidatos excuſſit pectore ritus.

Cas-

CASPARIS BARLÆI
DAMON,
ſive
Nuptiarum Cyri & Aſpaſiæ
LIBER SECVNDVS.

In quo de vitæ aulicæ ac ruſticæ commodis
ac incommodis diſceptatur.

DIſpulerat Memnõ tenebras, & lutea coniunx
Tithoni, croceum linquens Aurora maritum,
Oceano flectebat equos; iam tempora Morpheî
Nocturnaſque faces mundo ſubduxerat ardens
Phoſphorus, & patulis rorantia gramina campis
Abluerat primo ſoboles Hyperionis ortu:
Lanigerum cum virgo pecus, cupidaſque capellas,
Tardaque laſcivis permixta armenta iuvencis
Duceret ASPASIA, & pratis laxaret apertis,
Tutelæ ſecura ſuæ. comes ibat eunti
Chloris & Hypſipyle. quarum prior illa procorum
Neſcia contemptos referebat Thyrſidis ignes;
Hæc flammam confeſſa fuit, tactumque Philæni
Illecebris animum & primi ſecreta furoris.
Illi pulchra leves altè ſtringebat amictus
Faſcia, ne madidam precioſior orbita terram

Verreret, aut lentos traherent veſtigia greſſus.
Dextra pedum portans humeris ludebat in ipſis,
Quo ſulcos iacere & ſegnes urgere bidentes
Sueverat. haud alto ſuras perone tegebat,
Frondifera geniale caput velata cupreſſo.
Dum graditur, capiti ter florida lapſa corona eſt,
Imperii præſaga novi. ter Iupiter altâ
Intonuit de nube pater. dumq; altera cœlum
Sceptra parat, ter vile pedum, quòd fortè gerebat,
Excidit è manibus. ſummo Iovis armiger ales
Æthere ſigna dabat, regumq; afferre tiaras
Viſa fuit clangore gravi. ſed neſcia fati
Lactiferas virgo matres agnoſq; petulcos
Ponè ſequebatur. Superûm quem deſtinet aris,
Deſignat, duris modò vocibus increpat hœdum
Cornipetam; quêis lana pedes deſcendit ad imos
Mulcet oves; quæ pallentes benè ruminet herbas,
Obſervat, campoſq; ſuos & prata pererrat.
Non alium Zephyrus radiis melioribus orbi
Viderat illuxiſſe diem; non ſuavius unquam
Paſcua fecundis purgabant flatibus auræ.
Ver erat, & pingues trudebant gramina glebæ
Acrius, & multis natura coloribus agros
Pinxerat, innumeriſq; dabat primordia rebus:
Cum procul accelerans currus de montibus altis
Harpalus, inſtiganſque rotas, rimatur in agros
Sollicitus, quæritque ſuo nova gaudia Regi,
Quæq; thoro poſſit formâ meliore probari.
Fervida præcipiti prolabitur orbita curſu,
Sævaque quadrupedum geminantur verbera dorſis,
Fumat ager, ſtrepituque ſuo & velocibus umbris
Attoniti terrentur equi. levis aſſilit unda
Vndique, concutitur tellus, & turbine anhelo
Viſa ſimul, correpta ſimul, ſubductaque raptu

Aſ-

Aſpaſia eſt. clamant comites, manibuſque ſequuntur
Exertis, ſociamque vocant, precibuſque repoſcunt
Incaſſum. Quis te, raptor ſcelerate, Deorum,
Chloris ait, Stygiis audacem excivit ab oris?
Quis flammis accendit Amor? facibuſque profanis
Impulit infeſtis rura infeſtare quadrigis?
Sunt aliæ innuptæ Medo & florentibus annis,
Nec Regi indecores. non unam Laida ſervat
Perſepolis. veniant iſtæ mercede puellæ.
Sufficit impuræ meretrix mercabilis aulæ.
Linque lares noſtros, & quas ſine crimine ſedes
Pan colit. hîc paribus nubet paſtoribus illa
Aptius. agreſtem cur peſſimus advena divam,
Dilectamque rapis? non hæc rapienda virago,
Sed potius poſcenda fuit. confundite terras,
O Superi; non tuta ſuis ſunt regna colonis.
Captivæ ſumus, & ſpolium prædonis iniqui.
Sacrilegas lacerate rotas, curruſque protervos
Solvite, & infracto, quiſquis ſiet ille potentum,
Axe ruat. duris raptorem illidite ſaxis,
Siſtite equos, celeres, Fauni, diſrumpite habenas
Ocyus. hanc charo ſobolem ſervate parenti,
Reddite ruricolam. ſic ſe clamore fatigat,
Verbaq; profundit nil proficientia Chloris.
Aſpaſia, ut pavidæ rediit vultuſque colorque,
Inque gravem coram torſit ſua lumina Perſam,
Ingemuit, lachrymiſque genas dum tingit obortis;
Heu, quæ me tellus, inquit, quæ me æquora raptam
Accipient? quò, quâve feror? quò turba ſororum,
Quò comites abiere meæ? cur deſeris unam,
Hypſipyle? cur ſola truci ſum viſa tyranno
Digna rapi? mater, genitor, ſuccurrite natæ,
Exaudite preces. veſtris ſi filia iuſſis
Paruit, exitio faciles ſuccurrite noſtro.

Quis ſcelus antiquum revocat? quis crimina raptus
Nulla putat? caſtæ quæ virginitatis honorem
Impietas læſura venit? num miſſus Averno
Rurſus in errantem per florea prata puellam,
Pluto, furis? geminaq; frui conſorte laboras?
Num Lapithas impellit amor? num paſtor ab Ida
Tyndarin Eöis aliam ſibi quærit in agris?
An Dryopen me credit Hylas? Minoida Theſeus?
An terras Titanes habent? ruptiſque Typhœa
Faucibus evomuit calidis fornacibus Ætna?
Ah, rapior. dubiumque, cui captiva marito
Debear. inviſas Erebi deſcendet ad umbras
Aſpaſia? atque tuis vivam Proſerpina fatis?
An regum ſervor thalamis? num ſtructa caminis
Mœnia Cyclopum & Liparen miſeranda ſubibo,
Phlægræoſque ſpecus? etenim, quocunque dolentem
Me fortuna feret, tellus Acheronque placebunt
Sorte pari. nuſquam cuſtodia tuta pudori.
Quantum virginitas potuit ſuadere malorum!
Dum loquitur, laxo volitat per devia freno
Perſa ferox, monteſque & ſaxa minantia cœlo
Traiicit, & Zephyros ipſos poſt terga relinquit.
Iamque Lycum Tigrimque vagum tranſvectus, & alta
Ecbatana, & celſi nemoroſa cacumina Zagri,
Et qui præcipiti ſpectatur rupe, Niphaten,
Depoſuit mediis ſpolium venerabile Suſis.
Hîc ubi flammanti fulgent accenſa pyropo
Atria, & Aſſyriis rutilant palatia gazis,
Fultaque Mygdoniis regalia tecta columnis.
Audiit hos motus Damon, nec credulus illis
Quæritat Aſpaſiam, campoſq; & iugera pernox
Scrutatur. luſtrat villas, nemora omnia oberrat,
Invocat amiſſam. ſperat, pavet; optat & horret;
Aggreditur quoſvis, caſus ſcitatur acerbos,

Quis

Quis raptor, quis currus, equis quæ forma colorque,
Quæ via prædonis. Talis circumvolat ales
Proxima, cum fœtus ſubductaq; pignora nido
Adſpicit. excelſas illic circumſpicit ornos,
Illic ſaxa videt, num quis decuſſerit Eurus.
Nunc hominum radit latus, aut in vertice tecti
Mœſta ſedet, querulisq; replet garritibus auras,
Furtaque vel pueris, vel ſævis exprobrat Auſtris.
  Arſacidas tum fortè ſuis flectebat habenis
Cyrus, & Aſſyrii victor faſtigia regni
Subdiderat Medo. nihil ultrà Lydus habebat,
Iöniuſque ſuum. magni patrimonia Crœſi
Perſarum rectoris erant, & Phocidis urbes,
Euboicique ſinus. Arabaſque & Bactra tenebat,
Et claræ Babylonis opes, Regumque feroces
Exuvias. felix, tantos ni cruda triumphos
Mater, & illuſtres fœdaſſet femina lauros. *
Non illum galeæ fulgur, non dira minantes
Terruerant clypei, non tractæ è crine ſagittæ.
Inter ſigna puer, ſtrictaſque adoleverat haſtas
Intrepidus. per tela Ducem, cuneoſque globoſque
Fulmineoſque furens Mavors raptaverat enſes.
Ergò ubi ſe longis exolvit Perſia bellis,
Armaque Gradivo ſuſpendit feſſa parenti,
Et centum fulgens gemino ſub Sole trophæis
Bellacem placavit Halyn, & Caſpia regna,
Et Phaſim & verſo pugnantem tergore Parthum:
Ibant tranquillæ luces & marcida luxu
Tempora peccantem fregerunt ſordibus aulam,
Maſculaq; in molles fluxerunt pectora curas.
Tum litui ceſſêre lyræ, tum claſſica feſtis
Vocibus, & cunctos laxavit regia faſtus,
Et rigidum pepulit torpens ignavia Martem.

* Thomyrin intelligo Scythiæ reginam.

Iamque aderat feſtiva dies, epulæq; paratæ
Ante oculos, patrioq; Duces pro more ſedebant,
Et ſolio ductor Medus ſpectandus eburno.
Parthica cui totum velabant ſerica corpus,
Regiaque ornabant dignos diademata crines.
Obtulerat læto ſpumantia cymbia ſucco
Bis genitus puer, & decerptas collibus uvas;
Alma Ceres fruges, longiſque obſonia menſis
Ferculaq; exactum dederat poſcentia guttur.
Cum Venus hos ipſos inter Dea candida cœtus
Extulit os, movitq; gradum. non ſquallida tabo
Arma ferens, rigidiſq; truces mucronibus enſes,
Non avidos pugnæ Thracas, nec Amazonas arcu
Terribiles, durumve Getam. ſed Principe coram
Virgineos Erycina ſtitit blandiſſima vultus,
Mortali ſub carne Deas. non gratia vitę,
Non Charitum deerat decor, & ſine fraude venuſtas,
Mixtaque non ficto comis reverentia geſtu.
Tales Naïadas ſacris incedere feſtis
Fama fuit, modò des cultus ſimileſq; paratus.
Hæc poterat Cypris virgo formoſa videri;
Hæc Iuno, generoſa gradu. pro Pallade fulget
Aſpaſia, audacem referebat quarta Lacænam.
Digna Deo cunctis facies. ut lumina Cyrus
Flexit in adſtantes nunquam ſaturata puellas,
Non ſecus exarſit, quàm ſi, ſpirantibus Euris,
Agricola arenti flammam ſupponat ariſtę,
Aut exſiccatas cremet in fœnilibus herbas.
Exſtimulant omnes Regem. diſtincta voluptas
In plures unum trahit, & divellit amantem.
Et quia Memnoniis regionibus acrius urit
Sævus Amor, flagrat vitio gentiſque ſuoque.
Ut pudor abſceſſit, viniq; licentia ſuaſit,
Quæ reges feciſſe nefas; orditur amores

Pur-

Purpura, & Aſpaſiæ, quæ non renuêre ſorores,
Baſia figit amans, iteratque, & ludit, & ignes
Ipſe ſuos nutrit; ſumitque alimenta libido,
Invaluitque furor. rabies effrenis amandi
Seceſſum vitio quærit, latebraſque nocendi.
Iamque moras ſpernens rogat, & ſua vota reponit,
Quodque petit, ceu lege petit. complectitur, urget,
Arridet propius, præcontrectatque videndo.
Verba, ioci, riſus, facies, motuſque manuſque



Mille modis produnt maleſanæ incendia flammæ,
Illicitaſque faces. ſed non conatibus iſtis
Annuit, at totum contemſit maſcula Cyrum
Virgo, nec, illuſtri quanquam, conſenſit amanti.
Dum pergit, crimenque iubet, viſque addita verbo eſt,
Facundam facit ipſe timor. greſſuque reducto,
Quid, Princeps, moliris? ait. ſim ruſtica quamvis,

Caſta

Caſta mihi mens eſt. non hæc poppyſmata mater,
Non docuit nos iſta pater. ſim ſubdita quanquam,
Non cogar peccare. tuis ſine crimine iuſſis
Obſequar. & quamvis regum placuiſſe tiaris,
Eximium, magnumque putem; tamen illa favoris
Diſplicet & ſordet ſpecies, quam damnat honeſtas,
Et divæ pietatis amor. parebimus aulæ,
At Superis cœloq; magis. cum deficit illa,
Deficit obſequio populus. nil iuſſa moratur
Improba, relligio. mihi ſimplex vita rudiſq; eſt,
Luxurioſa tibi. mihi connubialia cordi
Iura ſacerq; thorus. pellex proiecta vocari
Nolo, nec hęc noſtri victrix erit aula pudoris.
Te gravitas, te, Cyre, decet reverentia vitæ,
Nec qui cuncta iubes, veniam ſortitus iniqui es.
Plus virtus in Rege micat. conſpectius omne
In te crimen erit. quantaq; in luce gubernas,
Committes tanta facinus. Te civibus æquum eſt
Vivere in exemplum & leges pręſcribere factis.
Hæc tua, quę toties hoſtili ſanguine dextra
Immaduit, tetigiſſe volet, quos abdidit æther
Occuluitque ſinus? oculis ſcortaberis iſtis?
Quos ferus Euphrates, quos belliger horruit Indus,
Armeniuſq; celer. quod duri militis auſus
Contudit os, laſciva poteſt & mollia fari?
Ne viola, ſim rapta licet. ſum rapta parentum,
Nec tua ſum, niſi flagitio. ſi ſufficit, agris
Subduxiſſe, tuum eſt, quicquid prędator habebis.
Sic iuris vis norma tui eſt; & regula facti,
Quicquid velle libet. libertas regia fines
Virtutis tranſire cavet. ſervitque poteſtas,
Quam domat imperioſa Venus. ſub rege modeſto
Tuta pudicitia eſt, & iniqui crimen amoris
Caſtigant, qui ſceptra gerunt. te, Cyre, parentem,

Te

Te civem facilemque proba. ſuccurre puellæ,
Et me redde meis. pater eſt mihi vilior Ægon,
Et Mycale genitrix. potius mulctralibus apta
Inveniar, rurique meo, quàm grandibus aulis,
Quàm thalamis, rex magne, tuis. me Phyllidas inter
Linque meas. alia recreent ſe Thaide Perſæ.
Subſtitit ad promtas generoſo pectore voces
Rector Achæmenius; monituſque & verba recondens
Optima, maiores animos à virgine ſumit,
Et peccare timet. nec iam ſibi pellicis optat
Obſequio ſervire malam, ſed iure maritæ.
Diligit Aſpaſiam titulo meliore, thoroque
Iungit & illicitos longè proſcribit amores.
Intereà Damon poſt tædia longa viarum
Suſa petit, magnamque vagus pervenit in urbem,
Quò furor impulerat Paphius. ſpes lactat inanes,
Et ſe quæſitæ ſolatur imagine ſponſæ.
Regia tecta ſubit. mediis ſeſe ingerit audax
Porticibus. quà turba Ducum ferventior, intrat,
Diſſimiliſq; habitu, fragrantem murice Medum,
Sidoniaſq; ſtupet chlamydes, aulęa, penates,
Et mores alios, & non exercita ruri
Officia & tantæ miratur nomina pompæ.
In manibus detracta recens ex ilice virga eſt,
Solamen fulcrumq; vię. de vertice palmæ
Pendebant folia & ramus viridantis olivæ.
Laxa viro veſtis, ſed lanea. pendula nullo
Ordine cęſaries, facies incompta rudiſque,
Qualem paſtor amet. talem ſe Heröibus addit,
Et Ducibus graditur comes & magnatibus adſtat.
Utq; coruſcanti procedere vidit in auro
Aſpaſiam, Regemque; & amicas iungere dextras,
Et populo aſſurgente coli: velamina ſterni:
Vt feſtas audit voces, & verba rogantum:

Erep-

Ereptamque ſibi meliori ſorte puellam:
Infremit irato ſimilis, cauſaſque doloris
Adſpicit ipſe ſui. ſubmurmurat, invidet, odit.
Dumque loqui timet, occulto plus muſſitat ore,
Et quaſſans caput adſtanti ſubſibilat oſtro.
Ambulat, itque reditque frequens; circumſpicit omnes,
Spectat ſpectaturque ſimul. pendentia iactat
Brachia, diducitque manus. iam ſigna dolentis,
Nunc indignantis ſpeciem, nunc edit amantis.
Tandem compreſſam rupere ſilentia vocem,
Verbaq; præcipitat, ſed paucula. Tu mihi, dixit,
Iampridem dilecta vale. præ regis amore,
Sordet amans paſtor. tenui plus fulgida cannâ
Sceptra placent. humili præfers palatia tecto,
Magnificaſq; trabes. potuit tibi teda probari
Splendidior, viliſque fui præ Principe Damon.
Cyrus, ut arrectis hæc cominus auribus hauſit,
Conſtitit, Aſpaſiamq; rogat: quis paſtor, & unde,
Quid velit. Illa procum non indignata fatetur,
Et ſpretum toties iuvenem. nunc vota iacere,
Spemque thori periiſſe viro. ſe Rege beatam
Coniugioque frui. nihil huic ſupereſſe, quod optet,
Quod ſperet, minus. hinc queſtus, hinc murmura naſci.
Advocat intrepidum Cyrus Damona, iubetque
Plura ſibi, ſine teſte, loqui. ſecedit & aulæ
Dum ſecreta ſubit, iuveni blanditur amicè,
Ingenium probat, & ſinceræ pignora flammæ,
Innocuos queſtus. Thalamis, ait, optime, noſtris
Aſpaſiam iunxere Dii, tibi fata negarunt,
Et potior iam cauſa mea eſt. mihi debita coniux
Incedit, cunctaſque audit regina per urbes,
Maior ſorte ſua. ſed enim tu dignior aulæ
Pars quoq;, Damon, eris. quod ſi non coniuge, ſaltem
Principe me poteris felix diveſque vocari.

Jam

Jam tibi vileſcant villæ, iam ſordida ſperne
Rura lareſq; tuos, & noſtris vive beatus
Auſpiciis. maiora dabo. plus regia ſpondet,
Quàm benè cultus ager. ſurgunt mihi ſplendida centum
Poſtibus & Phrygio conſtant laquearia ſaxo,
Aurateque domus. tuguri tu pauperis hoſpes
Squallida tecta colis. ſternunt tibi vilia lectum
Stramina, vel graciles decerpti è flumine iunci.
Hîc tibi lecticæ grandes & ſtrata parantur
Mollia, quæq; gravem prolectet pluma ſoporem.
Hîc aulæa nitent, picturatoſq; tapetas
Adſpicis & regum poſitos hoc ordine vultus.
Rure vagâ tenuis diſcurſat aranea telâ,
Et nitor omnis abeſt. hîc dulcis gratia fandi,
Hîc decorat noſtros laudata modeſtia mores.
Ruſticitas veſtra eſt, atq; omnis neſcia cultus
Simplicitas, neſcitq; tuos fortuna penates
Ardua. nos titulos & magni nomina cenſus,
Præturas faſceſque damus. decernit honores,
Et confert regalis apex. hîc area laudi
Materieſq; patet. patriam defendimus armis,
Vos imbelle pecus. rutilum nos ſtringimus enſem
Dum vobis ſulco attritus ſplendeſcere vomer
Aſſolet. infeſtum muris depellimus hoſtem,
Subruimus Graiûm portas, invadimus urbes;
Vobis gleba labor. vos ferro ſcinditis agros,
Et brutam laceratis humum. paupercula meſſis
Cum ſolatur opus, noſtras Daphnæa coronant
Serta comas, ſcribuntq; omnes præconia faſti.
Ingentes ſi poſcis opes, mihi copia rerum
Suppetit & dites laſſant æraria gazæ.
Paupertas, immunda domus, ſervilis egeſtas,
Sunt procul à nobis. quod ſi tibi grata voluptas,
Invenias hic mille modos, ſeu ludere diſco,

Seu

Seu libeat teretes contorto verbere fundas,
Aut haſtas vibrare manu, torquere ſagittas,
Aut ſternacis equi duris premere ora lupatis.
Ipſa ſuo gravis eſt veniens Aurora colono,
Multo rore madens. medii lux alta diei
Concoquit agricolam. pluvię, ventique hyemeſque
Frigus & immites tibi ſunt pro dote pruinæ.
Eſt inviſa filix ſegeti & Cerealibus herbis,
Et ſperata ſeges vanis illudit avenis,
Fœtaque difficiles proſternunt culmina Cauri.
Non his aula malis, non his mea regia curis
Frangitur. æſtivas ſua fallunt otia luces,
Et lætæ currunt hyemes. hîc vina bibuntur,
Hîc lautæ pellunt ieiunia triſtia menſæ,
Et magis ingenioſa gula eſt. Quàm lacte, cumino
Vivere, vel beta, miſerum: vel ſectile porrum
Mandere, vel lento dentem vexare lupino!
Quid tondere iuvat graveolenti vellere lanas?
Cogere palantes pecudes? ſupponere totum
Armento mammiſque virum? virgulta capellis,
Aut ſalices monſtrare? ſues deducere paſtum?
Nunc apibus donare favos, regemq́; notare,
Nunc fucos arcere graves? hic altera regni
Apparet facies; & digna negotia curat,
Quiſquis homo eſt. alia ſe maieſtate tuetur,
Quem ratio, pulchriſq́; beat prudentia factis.
Quod ſi privatis præſtat res publica rebus,
Vita mihi melior. modici te cura peculî,
Immenſi nos orbis habet. Tu iugera claudis
Imperio vix bina tuo. me Phœbus adorat,
Quà cadit & ſurgens calido ſe tollit ab Indo,
Thrax timet, extremi venerantur nomina Seres,
Atq; alibi Chalcedon amat, formidat Araxes,
Et gelidi ſinus Euxini, & Mæotidis undæ.

Hic famulas tibi quiſq; manus, hic pocla miniſter
Porriget, & multo implebit carcheſia Baccho.
Hic nutu mandata dabis. diceris amari
Regibus, & toto tibi plaudent oppida regno.
Sat ſtivæ raſtriſq; datum. mihi, candide, poſthac
Officiis ſtudiiſq; vaca. deſerta relinque,
Linque domos, campiſq; horreſcens culmen apertis.
Si non Aſpaſia potuiſti uxore potiri,
Me potiere. tibi Pariis ſuffulta columnis
Tecta dabo, & cultos apricis collibus hortos;
Arte laboratas veſtes, & textile tegmen,
Quodq; tibi talos ibit velamen ad imos.
Nobilium adiiciam titulos, auriq; talenta,
Quiq; vehent rapidi paſſim per compita currus:
Pluraq; ſi cupies, cupiam dare plura petenti.
Hæc Cyrus. cum facundo, iam lenior ore,
Damon ait: Ne fucatis ſermonibus aulas,
Cyre, proba ruriſq; mei præconia, Princeps,
Detere. quod primum eſt, pietas, candorque fideſque
Exulat his laribus. vos hæc privata putatis,
Et civis documenta boni. regnantibus omne
Quod libuit, licuiſſe; alia nec lege teneri,
Qui populo imperitant. Quanto imperioſior orbi eſt
Quiſq;, Jovem curat minus & contemtor Olympi eſt.
Aut nullos habet aula Deos, aut ſegnius illos,
Quos habet illa, colit. nec enim ſe numine egere
Autumat, in terris quiſquis pro numine habetur.
Quæ facienda iubet, leges quas purpura condit,
Condere vult aliis veniam ſibi criminis uni
Ipſa facit. vetitiſque audax prior annuit, & quod
Imperat iniungitq; ſuis, detrectat honeſtum.
Ingreditur, ſed ficta, gradu. dum comis haberi
Vult, ſimulat: geſtuq; levis mentitur amicum;
Et lætam didicit frontem prætendere fraudi.

Diligit, ut noceat: quem prona ampleƐitur, odit.
Et quos eſſe cupit miſeros, facit eſſe beatos.
Hac mala luxuries diſtentis prodiga cellis,
Et faſtus populator opum ſtabulantur; & exlex
Abſorbet noſtros regum laſcivia cenſus.
Rara pudicitiæ laus eſt. cum coniuge ſcortum
Accubat, & thalamos effrons conſcendit eoſdem.
Vilis adulator, quæ non probat, approbat. & quod
Dignum laude, notat. picto iacet ebrius oſtro
Delator, magnaq; bonos mercede flagellat.
Sunt vigiles ad lucra doli. divenditur æquum,
Et pretio proſtant trabeæ. Livorq; ſecundis
Anxius alterius rebus liveſcit opimis.
Promiſſis facilis ſua mox promiſſa retractat,
Sed levitate pari. rapiunt aliena potentes,
Nec proprii fines, nec regnum ſufficit unum.
Spes mundos inſana vorat, neſcitque libido
Imperii conſtare ſibi. mox ſæva miſellos
Exercet cenſura reos, pœnaſque relaxat
Divitibus. quoties indignis præmia cedunt,
Et probitas contempta luit! quàm limina Reges
Ambitioſa terunt! quàm ſe regalibus illa
Infert veſtibulis peſtis, quæ grandibus ęra
Faucibus & pandis deglutit rictibus aurum!
Hæc tua, Cyre, domus. tali penetralia fervent
Remigio ſcelerum. tales invitor ad artes.
His mea rura carent. non iſta piacula damnant
Agricolam. ſi ruſticitas tibi ſpernitur inſons,
Hac liceat, ſine labe, frui. venerabilis aula eſt,
At metuenda magis. multo ſpectabilis auro,
Nec minus & vitiis. quos vult, extollit in altum,
Vt modò præcipitet. Ne ſplendida tecta pyropo
Obiice, barbariciſque intexta monilia baccis.
Plus ſecura ſuo eſt agreſtis villa colono,

Nec

Nec cuſtoditum cataphracto milite limen.
Si te Perſa colit, ſi te veneratur Orontes,
Et qui Phryxæam Thrax accolit efferus Hellen,
Quos metuas, regnator habes. ſint fercula menſis
Illecebroſa tuis. capiti non una minatur
Sica tuo, lautiſque inſtat cervicibus enſis.
Plus mihi fumifero per brumam cocta camino
Perna ſapit, præſtatque tuis lac dulce placentis:
Nil moror ignota collectum carne minutal,
Libaque, vel tortis Cerealia cruſtula ſpiris;
Infectaſque dapes moſcho, lentiſque zibethi
Sordibus, & valido viduatos furfure panes.
Me melior natura fovet; ſine fraude miniſtrat,
Quicquid læta Ceres donat mortalibus ægris,
Piſa, fabas, miliumque recens, gratoſque palato
Seligo phaſeolos. Superûm bellaria ſordent,
Delitiaſque Iovis cocta ſat lente laceſſo.
Cœna mihi brevis eſt, properataque prandia laudo.
Et quoties genio iuvat indulgere, parantur
Iuſcula de rapto teneris ab ovilibus agno,
Aut olus, aut herbis maceratæ mollibus offæ,
Et pultes liquidæ & ventris buccella faliſci.
Paſtillos faſtidit ager, nardumque crocumque
Balſamaque & criſpis ſervata unguenta capillis.
Hęc oleat, malè quiſquis olet. mihi barbiger hircus
Suavius oppedit, quàm qui Ruffinus in aula
Ambulat & pinguem ſpargit per ſtrata Sabæum,
Viſcoſiſq; Arabum tingit ſua tempora ſuccis.
Bella probas, fuſoq; undantes ſanguine campos,
Commiſſaſq; acies, & caſtra minantia caſtris.
At bellare furor, rabies pugnare ferarum eſt,
Non hominum. nulla populos collidere cauſa;
Impia flebilibus miſcere incendia buſtis,
Crudeleſq; animos humano ſanguine paſci;

Turpe ferumque puto. non hæc mihi barbara laudis
Materies, non illa placet quæſita cruento
Gloria flagitio, & tot cædibus aucta poteſtas,
Quoſque ſibi ſtruxere nefas vitiumque, triumphi.
Exeat in cunctas diffuſa potentia terras,
Hic te Thermodon, illic agnoſcat Hydaſpes,
Ad Gangem tua caſtra loca, vel Phaſidis amnem;
De puncto labor omnis erit, ſpatioque ſub iſto
Sceptra, pedum, paſtor pariter concluditur & rex.
Sors privata mihi; tantoq; beatior omnem
Invidiam ſecreta fugit. benè vixit ab iſto
Qui ſemotus agit ſtrepitu. tutiſſimus ille eſt,
Qui latuit, notuſq; ſibi eſt. non ille favori
Servit adulator, regeſq; abiectus adorat.
Cum Iove res nobis. Superos oramus. amicos
Poſcimus Æolios fratres, Solemq;, Notumq;
Imbriferum. placidi nobis clementia cœli
Sufficit, atq; iſto rerum tutore beamur.
Sic primi vixere patres, & paſtor Amyntas,
Daphnis, & Admeti tauros qui pavit Apollo,
Et cum Pane Cyclops, & cuſtos Virginis Argus,
Iapetuſq; ſenex. Bobus diffindo paternis
Rus modicum, nec me ſumptis in fœnora nummis
Sorbet edax uſura. ferox cum concutit urbes
Odryſius, non me litui, non claſſica inermem
Sollicitant, armantq; manus haſtilia noſtras.
Non tumidum ratibus teritur mare. roſtra, curules,
Et quæ clamoſis fervent fora turbida rixis,
Et populi vito faſtus civeſq; ſuperbos.
Hoc potius curæ eſt: ulmis adiungere vites,
Aut procul errantes per roſcida prata bidentes,
Aut ſpectare alta pendentes rupe capellas,
Aut plantare pyros; vel falce recidere quicquid
Frugiferum minus agricolæ bis vota fefellit.

Cum

Cum libet, aërii mellis cœleſtia dona
Colligo, Cecropioſq; choros per prata, per hortos
Ponè ſequor, videorq; aliquid, te principe, Cyre,
Dignius adſpectare. ducem regemque ſeveri
Agminis, obſequiumq; noto, curaſq; volantum,
Iuratamq; fidem. domino cum mollia donant
Vellera lanigeræ pecudes, holoſerica ſperno,
Palliaq; & Tyrio vitiatas murice veſtes.
Cum caput Autumnus maturis extulit uvis,
Poma fatigatis carpo pendentia ramis,
Ebriaque aggeſtis ſpumant mihi præla racemis,
Quos tibi, Bacche pater, tibi vel, Sylvane, ſacramus.
Feſſus in umbroſis depono membra ſalictis,
Vel viridi recubans patulæ ſub tegmine buxi
Naturæ contemplor opus, Divumque labores,
Quæque fluant in nos mutato ſidere cauſæ.
Hæc inter celſis labentes montibus undæ
Lene ſtrepunt; captæque avium concentibus aures
Invitant placidos ad dura cubilia ſomnos.
Cum glacialis hyems imbres noctesque niveſque
Comparat, & mundi facies ignava colono eſt,
Retia rara plagas venienti tendimus urſo,
Auritos ſequimur lepores, damaſque fugaces,
Aut capreas pavidas, aut altum in cornua cervum.
Tunc candent ſilvæ, tunc formoſiſſima tellus
Albicat, & niveâ canent arbuſta pruinâ.
Tunc epulæ cellaq; dapes promuntur inemptæ,
Et noſtras recreant innoxia fercula menſas,
Nunc patuli caules, nunc tutæ à frigore rapæ,
Nunc raphani & variis ovum tractabile formis.
Non magis Eöo collectis littore conchis,
Aut Afrâ delector avi. nil picta muræna eſt,
Nil faſtiditi Damonis gutture mulli,
Et ſcarus atque alio venientes æquore rhombi.

Eſt aliquid, fateor, Regi placuiſſe. ſed ille
Quàm præceps fluxuſq; favor! vicinior oſtro,
Proximior tumulo eſt. magnæ ſunt regibus iræ.
Difficile eſt lenire graves. ſine ſanguine neſcit
Placari vindex animus. ſaturabitur hoſte,
Quem necat. & pœnas repetit vindicta feroces.
Tu tibi rex ſis, Cyre, tibi proſperrima currant
Secula, perpetuiſq; fluant applauſibus anni,
Damoni ſua rura placent. nihil amplius opto.
Voti ſumma mei eſt, cultura feracis agelli,
Et pecus & pleno turgentes ubere vaccæ.
His ſtudiis beor. haud alium me ruſtica mater
Edidit, atque iſtas genitor produxit in artes.
Deliciæ, luxus, Rex, purpura, ſceptra valete.
Hæc poſtquam Damon fuit opportuna locutus,
Quæ quondam docuit ſenio venerandus Amyntas,
Deſerit Aſpaſiam. facieſque auguſta theatri
In iuvenem converſa fuit. Rex ipſe ſeveras
Horruit ad voces & acuti verba bubulci.
Ante fores pilenta ſonant, curruque ſuperbo
Ad patrios vehitur Medo comitante penates
Magnanimus paſtor. cui munera congrua Princeps
Adiicit, in media ſignatos fronte caballos,
Iugeraque & villas & prædia. quicquid amari
Agricolis ſolet & ſtudiis agreſtibus aptum eſt.
Diditur in terras rumor, nupſiſſe Monarchæ
Aſpaſiam, & ſtivam impoſitâ regnare coronâ,
Reginas à rure peti, cum falce tiaras,
Cum ſtabulo mitram, cum vomere ſceptra coiſſe,
Immenſumq; regi ſocia ſub Phyllide mundum.
Ringitur impatiens Livor, per regna, per urbes
Muſſitat, & forti nimis invidioſa ſecundæ
Improba garrulitas, celeris mendacia famæ
In partes vocat, & rapti ſcelerata pudoris
Arguit Aſpaſiam. thalamis regalibus, inquit,

Ruſtica ſubrepſit pellex, pro virgine lenam
Cyrus habet, recubátque iſtis nova Thais in ulnis.
Hæc iterat, voceſque ſuas exaggerat audax,
Nec ſibi ficta timet cunctas deferre per oras,
Spargere per vulgus querulum, cœtuſque loquaces,
Patricias implere domos. aſſibilàt aulæ
Ocyus. ingentem percellunt murmura Regem,
Credulaq; admittit mendacem regia culpam.
Quid faciat? nec enim famæ temerarius audet
Rector habere fidem; & potuit modò tale vereri
Suſpicio, dubioque hæſit ſub iudice cauſa.
Ad ſuperos itum, occultaque numina. ſummos
Sollicitat mens cæca Deos, verumque repoſcit
Ex adytis. Nam lucus erat, quà maxima ſpectat
Icarios fluctus Epheſus, lucoque propinquus
Mons ſacer, Oceanus cuius latus alluit unum,
Præcingunt aliud frondes hîc pendula celſo
Canna loco, & ſervata diu vocalis arundo
Edebat vel acuta ſuos vel rauca ſuſurros,
Si foret inſontis nulli temerata puellę
Virginitas, ſuaves reddebat tibia cantus,
Abſolvitque Deus culpâ. ſi mollior illa
Succubuiſſe viro potuit; ceu conſcia pravi,
Tibia funeſtum ructabat arundine carmen.
Hanc iſto Deus Arcadiæ ſuſpenderat antro,
Pan ovium cuſtos. hæc lęſi ſigna pudoris,
Hæc voluit caſtam miracula prodere nuptam.
Huc abiit, magnâ matrum ſtipante catervâ,
Nil metuens Regina. Duces comitantur euntem,
Speſque ſuas frangunt mixta formidine Perſæ.
Interea dum carpit iter, velocior antrum
Occupat impoſtor, cannaſque & arundinis omnes
Sordibus & craſſa ductus uligine complet;
Mutaque iam poterat vocalis canna videri.
Ut venêre viri, propiuſque in limine rupis Con-

Conſtitit Aſpaſia, & iam conſcia numina ſupplex
Et teſtes vocat ore Deos. patuêre cavernæ
Illicet, & ſtreperi, laxato cardine, poſtes
Monſtavere viam; latebriſque admiſſa profundis
Fare, ait, atque meę fatalis fiſtula cauſæ
Accine. ſi noſtis Superi & mortalia facta
Adſpicitis, virtuſque Deo rectumque probantur;
Rumpe tuam, iubeo, gracili modulamine vocem.
Dixerat: extemplò modulis cœleſtibus omne
Inſonuit latè ſpecus, & vocalis arundo
Facta fuit, vomuitque ingeſtas tibia ſordes,
Virginis illæſam cunctis confeſſa pudorem.
Non alios cantus udis in vallibus Hęmi,
Strymona vel propter, vates Rhodopëius olim
Threicia luſit cithara, non clarus Arion,
Non Linus, & plenis inflans pulmonibus utres
Marſya. concurrunt captę dulcedine tigres,
Et rabiem poſuere feræ. ſtetit unda Męandri,
Ripaque oloriferi ſtupuit vicina Cayſtri.
Mitior adſpirat Zephyrus. circum omnia fœtu
Pubeſcunt virgulta novo. quin pollice nunquam
Attactæ cecidere roſæ, violæque decentes
Aſpaſiæ cinxere comas. quacunque modeſto
Incedit generoſa gradu, grex caſtus Amorum
Advolat, & calathis fundit violaria plenis,
Innocuos teſtata ſinus. hic candida ſpargit
Lilia, narciſſos alius floremque liguſtri.
Sic Cyro dilecta redit, tot teſtibus orbi
Extulit inculpata caput. diadema reſumit:
Scandit ebur regina: ſuis ſe gentibus unam
Conſiliis factiſque probat: cum Rege marito
Ius loquitur populis: in partem femina regni
Accipitur. ſolus conſpectu læditur iſto
Livor, & iniecto conſtricta Calumnia freno
Muteſcit, mordetque ſuas irata catenas.

CAS-

CASPARIS BARLÆI
CYNISMVS,
SIVE
Cratis Thebani, Cynici Philoſophi, & Hipparchiæ Thebanæ,
Cynicam Philoſophiam amplexæ,
NUPTIÆ.

QVID ſeptemgeminas miraris, Græcia, Thebas?
Sidoniique ſtupes bellacia mœnia Cadmi,
Et natos tellure Duces? diriſq; recentes
Cædibus immaduiſſe viros? quid regna profanis
Decertata odiis fraternaq; iurgia iactas
Oedipodæ confuſa domus? nec Tydea famæ
Eximis, Argiæque thoros, multiſque miſellam
Cladibus Antigonen? quid mixtam coniuge magno
Alcmenam, Thebane, crepas, & fulmina molli
Fracta manu teneriſq; Jovem latuiſſe ſub ulnis?
Creta, ſile; quamvis fœdi ſolentur amores
Paſiphäen, fallatque ſuum regalis amantem
Femina. non ultrà Stygio nuptura Tonanti
Perſephone formoſa timet; diſparque cubile
Cyclopis Galatea fugit. confundere fas eſt
Corporaque & thalamos; nec vult iam forma paciſci,
Sed ratio; lectumque ſibi Sapientia ſternit,
Dum ſponſum cupit eſſe Craten. Quæ monſtra iocantes
Portendunt populis Superi! quis devius error

Naturæ pervertit opus? quonam omine ludit
Cæca Venus? poſcitq; ſibi deforme cadaver
Virgo decens, rigidiſq; optat complexibus abdi?
Des quemcunq; virum, nullo diſcrimine Cypris
Æſtuat. in tetricis inventa eſt gratia membris,
Et ſplendor ſuus in turpi eſt; maculaſque notaſque
Laudat amor, diſtorta probat, viliſſima conſtans
Diligit; & forti ſpernens mortalia riſu,
Indecori ſub pelle Deos Hipparchia prudens
Reperit, ac laceræ trito ſub tegmine veſtis
Non hominem, ſed numen amat; ſecretaq; Divûm
Conſilia & Cynicæ ſcrutatur dogmata ſectæ.
Dicite ſublimes Thebæ, quibus arſerit illa
Ignibus, & quali ſapiens flagraverit æſtu,
In ſolum converſa Craten. Tuq; optima mundi
Diva, proceloſi ſoboles clariſſima Nereî,
Da fontes, Citherea, novos; portentaque rerum
Concubituſq; truces aperi. ne balſama nuptis
Aut flores adſperge meis, myrtumque crocumque
Pallenteſque feras violas. non ante penates
Pompa ſonet, vel cincta ſuis pilenta miniſtris
Præradient ductura nurus. non turba coruſcas
Attollat feſtiva faces, madeantque Lyæo
Atria, non opibus precioſa cubilia ſurgant,
Barbaricis dubiiſque errent opſonia menſis.
Paupertas de fonte bibet, dapibuſque fruetur
Simplicibus generoſa fames; quin pera, bacilli
Dos omnis Sapientis erunt, tenuiſque ſeveri
Umbra ſupercilii noſtros abſcondet amantes.
Poſtquam parta quies Graiis, ſummumque cacumen
Nacta fuit magnis Sapientia nixa magiſtris,
In partes abiêre ſcholæ; verumque videri
Non ſimplex potuit. ſolvit diſcordia mundum,
Autoreſque ſuos rixans doctrina diremit.

Nam-

Namque aliis errare animas per corpora menti
Immotum fixumque ſedet, nec viſcera condi
Viſceribus lenes cupiunt. pars omnia naſci
Credit aquis, rerumque uni primordia debet
Oceano. terræ potius natalibus alter
Incubat, aut mundi deducit ſemina flammis.
Huic placitum fortuna facit; nec gnara Deorum
Relligio incerto volvi vult omnia caſu.
Alligat hic fato cauſas, hominumque labores
Subdit ſideribus melior. quæ cura beatos
Reddat, an humanas tranquillet gloria mentes,
An luxus populator opum, vel ſæva cupido
Indomiti cenſus, vel plauſus neſcia Virtus,
Quæritur. ille Cleantheæ ſubſellia portæ
Et Stoam tonat. ille ſui pręcepta Lycæi
Colligit. ancipites triplex Academia voces
Ventilat. ingenti ſe iudice quiſque tuetur,
Quodque tenet, doctore probat. Diſtinguitur ordo
Porticibus, limenq; ſuum diviſa ſequuntur
Agmina, Socraticâ quotquot fluxere cathedrâ.
Nec ſolum ſors iſta viros & maſcula torſit
Pectora; ſe tantis illuſtris fœmina miſcet
Partibus, & Cynico præſtans Hipparchia tandem
Annuit, ac duri thalamoſque ac ſenſa mariti
Occupat, & miſeri felix fit coniugis uxor.
Illa Cupidineos inter pulcherrima cœtus,
Centum adamata procis, centum prælata puellis,
Tot potuit ſpreviſſe procos. deſpecta potentum
Fœdera patritiæque preces. non fulgida veſtis,
Implicitumque comis aurum, non dives Hydaſpes,
Magnificæque trabes picturatęque columnę,
Imperii decus & conſors promiſſa poteſtas,
Spem fecêre thori. non illi ducere doctâ
Fila manu, aut tenues peccurrere pectine telas,

Aut ſaturata croco velamina texere pernox
Cura fuit. monitis animum cœleſtibus implet,
Socraticoſque bibit mores. non volvere libros
Deſinit, antiquis veſtigat prodita ſeclis,
Cunctaque Cecropiæ relegens arcana ſenectæ,
Naturæ rimatur opes, cœlumque Deoſque
Et vitæ melioris iter; cur fleverit orbis
Fata ſenex, noſtros alius deriſerit actus,
Chryſippos, Stilponas, inexplicitoſque Platonas,
Italicique ſoli patres. ſordeſcit amator,
Hæc cum virgo legit. patitur Cadmæa repulſam
Nobilitas, nec grata ferunt reſponſa curules.
Sic præfracta ſtetit, ſolers cum ſperneret uxor
Dulichios Samioſque & quos tulit alta Zacynthos,
Antinoique minas. tales Atalanta Pelaſgos
Noluit. & quamvis Phœbus donaret Amyclas,
Mars Rhodopen, geminos renuit Proſerpina Divos.
  Fortè pater, dum læta parat convivia, longo
Ordine diſponit proceres, quos inter honorum
Contemptor ſedet ipſe Crates, nec dogmate diſpar
Filia, & arrectas præbet ſermonibus aures,
Uni intenta Crati. patrii primordia regni
Dixerat Archidamus, ſtructaſque Amphione Thebas,
Et fratrum crudele nefas ac neſcia ſceptra
Ferre parem. veteres Alcon reminiſcitur ignes
Exſtinctaſq; faces Herus, adverſaq; flammis
Æquora. laſcivas Ephyrææ Laïdis ædes,
Venalemq; levi precioſam Thaida Graio
Inter pocla refert Laſius. mox Iſthmia Chalcon
Præmia & Elææ recitat certamina palmæ,
Fumanteſque rotas attritaque littora curſu,
Et rapidos Hieronis equos. Tum docta reſolvit
Ora Crates, quantumque aliis deformior exſtat,
Hæc loquitur melius; quæ nos, quæ cauſa crearit

Si-

Sidera, quæ medio terras librarit inani
Abdita vis: quam ſe ſpatiis immanibus æthar
Explicet: ut vaſtos mens exporrecta per artus
Molem agitet: cur diſcretis cœleſtia currant
Corpora corporibus; varios Latonia vultus
Induat, & fratri mediis concurrere ſignis
Horreat; unde maris, quos hora reciprocat, æſtus;
Quæ tempaſtatem rabies Caurosque furentes
Præcipitet, cur flexa ruant devexaque ripis
Flumina, & illimes ſcandant faſtigia fontes.
Hinc aperit, quam ſint auräi ſimplicis illæ
Rectrices factorum animæ; cur ſola ſeipſam
Norit & aſpectet ratio, per regna vagetur,
Circumſcripta domi; parvaque recondat in aula
Rerum mille notas, quas mox depromere poſſit,
Cum volet: an membris hærens mortalibus unâ
Involvat ſe clade ream, num funeris expers
Ætherea felix cœli ſtatione locetur.
Nec nòn & mores hominum, deliraque falſo
Secula & immerſum vitiorum gurgite vulgus
Perfricat, utilibuſque monet præponere rectum,
Pauperiemque bonos doctor commendat in uſus.
His Sapiens cunctos dictis erexit, & omnis
Poſtquam exempta fames epulis, Hipparchia totum
Poſſedit commota virum. mens omnis inerrat
Vultibus, & quamvis poſſet timuiſſe docentem,
Ardet amans. hærent infixæ pectore voces,
Verbaque, & egregii gliſcunt occultius ignes.
Sæpius abſentem memorat velletque loquenti
Ire comes, magnos altis perſæpe medullis
Eructat gemitus, & primi ignara caloris
Diffidit maleſana ſibi. nunc damnat amorem,
Nunc probat. Inviſa eſt ſperati forma mariti,
Sed potior doctrina placet. contraria votis

Expe-

Expetit, atque animum nunc huc, nunc dividit illuc;
Quemque odit refugitque, cupit; culpamque fatetur
Confeſſus ſecreta rubor. nox ægra quietem
Surripit, & nullum miſeræ dat flamma ſoporem.
Abrumpat feſtina moras; ſed ſaucia caſtus
Corda pudor revocat. iam victa modeſtia ſexus
Succubet imperio Veneris; ſed iuſſa retractat
Virgineæ gravitatis honos. Ergò, Ibimus, inquit,
Amplectarque Cratem, & tumidis audacia labris
Baſia defigam ſupplex? non talia mater,
Non velit hoc charus genitor. quonam uſque, verende,
Cunctaris mea vota, pater? quid differo iungi
Nobilibus? tantaſque preces implere recuſo?
Ecquid Agenoreæ lectiſſima nomina gentis
Seligis infelix virgo? moremque ſecuta,
Eximium forma iuvenem & florentibus annis
Poſcis, & auguſta frueris iactantior aula?
Heu! quid agam? num luxuriam faſtumque iocoſque
Divitiaſque leves, irritamenta malorum
Experiar? rurſuſne procos contemta priores
Admittam facilis? non hoc calcator honorum
Suaſerit hic animus; tugurique habitator & hoſpes
Magnarum ſecurus opum; non doctor Hymetti,
Quem diræ inſontem dudum rapuere cicutę.
Te ſequimur, gibboſe Crates. tu pulcher haberis,
Tu dives, qua parte ſapis. te iudice parvo
Vivitur, & vili concedit purpura panno.
Tu nobis uno minor es Iove. pręſidet orbi,
Qui docet. Eöis ſe latius explicat agris
Cuncta ſciens. etiam ſubigunt hæc ſceptra rebelles,
Quæ motus ratione domant. te teſte triumphat,
Qui poterit rex eſſe ſui; non indigus auri eſt,
Qui caruiſſe volet. claro ſupereminet ortû,
Simplicitas cui ſtemma facit; neſcitque dolere,

Cui

Cui modicè gaudere ſatis. prçceptor honeſti,
Me cape conſortem thalami, me poſthuma dicat
Fama tuam, atque uno tecum iacuiſſe cubili,
Et ſocias iunxiſſe manus, foviſſe lacertos,
Teque ſinus tetigiſſe meos. Hæc ſæpius illa
Ingeminat taciturna domi, lentique videntur
Ire dies, curruſque ſuos non flectere Phœbe.
Cum ſedet, & tabulis quiddam conſignat, aberrans
Pingit dextra Cratem; dictis improvida miſcet
Lingua Cratem. fallax obiectat inania Morpheus
Somnia; dumq; ſilent homines, fugientibus illam
Ludit imaginibus; viſuſque eſt paupere amictu
Stare Crates, legeſque ſuas recitare iacenti.
 Tandem ait: Apta meis quærenda eſt nuncia votis,
Ingenio tentanda via eſt. ſi prodere ſemet
Horret amor, ſcribique vetat mea vulnera chartis,
Muta loquar. laus eſt etiam prudentis, amare
Cautius, & ſic ut poſſis celaſſe videri.
Eſt ſua vox oculis, eſt riſibus inſitus ardor,
Nutus verba facit. diſcunt ab amantibus artem
Plurima. nos Cynico noſtros teſtabimur ignes
Floribus, & pro me cupiet Pomona procari.
Hçc interpres erit taciti facunda doloris,
Arbitra coniugii. capta eſt Schœneïa pomo,
Et pia Cydippe. quin inter florida rura
Melliferoſq; thymi campos & gramina veris,
Sicaniam teter ſponſam Summane coronas,
Ignaramque rapis. Vix dixerat; ocyus omnes
Colligit Aoniis fragrantes montibus herbas,
Delitias, Aurora, tuas, quos Phocis odores,
Quos Parnaſſus alit, quæ pinguis Achaïa mittit
Munera, vel Sicula pubeſcunt lætius Hybla.
Colligit in calathis violas, caſiamq; roſaſq;,
Quales ipſa tibi Cypris donaſſet, Adoni.

Col-

Colligit hîc niveos, hîc luteolos hyacinthos,
Pomaq́; lecta manu, quæ vel Phæacia vincant.
Omnia quæ docta format ſolertia dextra,
Ut Veneri placuiſſe queant. ſua brachia nectunt
Implicitæ ſertis hederæ, promittit amores
Myrtus, & humidulis vaccinia mixta liguſtris,
Et quæ flammeolæ connivent vertice calthe.
Fortè alibi è pomo ſculptam circumdabat Ægon
Phyllida, vel pulchram tangebat Tityrus Æglen.
Forſan vimineo Martem cum Cypride loro
Strinxerat, aut timidam Daphnen prendebat Apollo.
Tum Cydnen vocat, & nitidis digeſta caniſtris
Mittit dona Crati; quo ſe cognoſcat amari,
Vel donis illectus amet. Stat torvus Alexis,
Et tantas faſtidit opes & dona ferentem.
Dumque apinas hominum, dum Divûm cogitat iras,
Aut Superûm mediis mentem penetralibus infert;
Nec dominæ ſecreta capit, nec munera curat,
Aut, quę Dędaleis vafra occultaverat herbis
Sedulitas commenta, notat. Cythereia riſit,
Riſerunt unà Charites. hæc molle ſeveris
Eſſe iecur negat. hæc ſucco meliore creatum
Dicit Ariſtippum. frigent ſubſellia, clamat
Euphroſyne, ſęvumque refert Polyphemon amaſſe.
Ipſa ſuis fertur riſiſſe Hipparchia cœptis,
Invenitque ſtupor veniam. non congrua ſentit
Se miſiſſe Crati. nec enim vel pectine Mavors,
Aut Juno frameis, vel diro fulmine Pallas
Debeat, aut viridi placari Stoa liguſtro.
Quid faciat? quæ lenta prius celaverat æſtum,
Jam decepta furit. Supereſt, ut cominus (inquit)
Bœotum Paphiis cor impenetrabile telis
Adſpectu propiore domem. flagravit Jäſon,
Ut vidit. Telamona oculi traxere procaces

He-

Heſiones, Paridemq; Helenes, & Caſtora Phœbes.
Surgit, & extemplo patriæ pro moribus urbis
Eligit ornatus, quales venerabilis olim
Seſtia, Cecropidûmq; nurus geſſere ſuperbæ.
Stringit honoratos in nodum faſcia crines,
Et Tyria velat candentia tempora vitta.
Inſerit hîc gemmas, & eburnea colla monili
Circuit, & fulvâ ſubnectit iaſpide pectus,
Sic forſan placitura Crati. non dignior aulæ
Frontis honos; roſeo depictis ſanguine malis
Candida temperies inerat, laxataq; palla
Indignam verrebat humum, non improba geſtu,
Non tremulo laſciva gradu. Thaumantia nunquam
Pulchrius explicuit lætis mortalibus ora,
Aut Thetis Æmonii vadens ad limina Peleî.
Talis adit quæritq; Craten. occurſat eunti,
Per fora, per vicos graditur; modò lumina coram
Obiicit, & modò tranſverſis aſpectat ocellis.
Itque reditque viam toties, ſequiturque præitque,
Sî qua trucem mollire queat, viſuque ſeverum
Leniat. ut prudens ſtabuli pecoriſq; magiſter
Excitat armentis rabiem, cum primus amoris
Afflat odor nares propius penituſque medullas
Urit. At ille ſuis monitis immota gerebat
Pectora, non aliter, quam ſi Marpeſia tundat
Saxa vel Iönii latus implacabile dorſi
Adria. non unquam adſpectu dignatus euntem eſt,
Non caput obſtipum flexit, non obvius ire
Geſtiit aut placida gradientem voce ſalutat.
Ter conata fuit facti recludere cauſas,
Ter timuit. ter limen adit, ter deſerit excors.
Vix aberat, quin illepido ſua brachia collo
Iniiceret prior, & ſic inſtigaret inertem.
Lingua, manus titubant, nondum rationis & æqui

Immemores; coramque viro peccare verentur.
Deficiunt in amore doli, fraudeſq́; pudicæ
Deſtituunt dominam. geminis depulſa virago
Præſidiis, per tecta, domos lymphata vagatur,
Reſponſatque ſibi: Quæ me dementia cepit?
Quæ me Mænas agit? quo nos diſcrimine raptas,
Diva Paphi, miſeramq́; trahis? quænam iſta iocandi
Sævitia eſt? ſemperne meis bacchabere rebus,
Averteſq́; Craten? cur non uxorius ardet,
Aut flammis calet ille meis? ſine ſanguine, nervis,
Totus hebet, languet ſapiens, vitatq́; ſequentem,
Sarmatica nive vel gelida Mæotidis unda
Frigidior, placitoque mihi diſſentit amori.
Ah, nimium, Cadmæa, times, furtivaque ſenſus
Flectere nequicquam duros, Hipparchia, tentas.
Eloquar? an ſileam? Veniam ſi cuncta rogandi
Conceſſit Citherea viris, qua lege tacendum
Virginibus? cur diſſimiles, cur diſpare nati
Conditione ſumus? titulo ſi vivere certant
Nobiliore mares, ſi maior gloria ſexus,
Debebat magis ille coli, debebat amare
Virgo prior. dominis fas eſt occurrere matres,
Quas voluit lex priſca pati. num Colchis amavit
Æſonidem? num ſe profugo pulcherrima quondam
Confeſſa eſt Phœniſſa duci? num prima Phaonem
Leſbia deperiit Sappho? tot teſtibus ævi
Pandar tota Crati, exemplis peccabimus iſtis.
I pudor. occultis, duriſſima Numina, fatis
Cogimur. heu, quantis lecti conſortia conſtant
Motibus, & quam non una eſt fortuna cubilis.
Diligo, quem quævis Diris ultricibus uxor
Devovet, & ſponſum timeat male nubilis Ate.
Diligo, quem generum fugiunt materque paterque,
Affinem cognata domus, proavuſque nepotem.

Di-


Diligo coniugii pœnam, cui nubere nollet
Rancida, turpis anus. Vivum mihi poſtulo funus;
Inviſamque meis inferre penatibus umbram
Molior. hoc dignam ſperamus coniuge prolem;
Huic ridere libet. chari, precor, ite parentes,
Compellate Cratem, & veſtræ miſereſcere natæ
Si vacat, hunc ſociate mihi. ſit fœdera pridem
Diſſuaſiſſe ſatis. non nunc ambagibus ultra
Eſt locus. inſolito thalamos tentabimus auſu:
Aggrediar, cogamque virum, iurabit amanti
Dextra fidem; vel, fruſtrati grave pignus amoris
Ultrix dextera erit. reddar contempta tenebris,
Quamq; ſuus decepit amor, ſolabitur ira.
Sic effata, manu rorantia lumina terſit,
Subſeditque furor lachrymis. velut horrida quando
Vis Boreæ ruit & fluctus ad ſidera tollit,
Ilicet imbriferæ componunt flabra procellæ.
Nec mora. magnanimæ pręſens ante ora puellæ
Adfuit ipſe Crates, quem tum penetralibus imis
Abdiderat genitor, dictis ut flectat amicis
Pectora & inſano moneat deſiſtere cœpto.
Adſpicit Abſcondi ſobolem ſpectata Maronis
Filia, ſpeſque ſuas inter gaudenſque dolenſque
Conſtitit, attonitæ ſimilis. nunc præripit illi
Verba pudor, nunc reddit amor. fiducia linguæ
Fracta metu titubat. quæ mox collecta recepit
Robur, & hasorſa eſt pulſa formidine voces:
Si mea cum priſcis componam fata puellis,
Magne Crates, thalamum diverſa ſorte meremur:
Partes mutat Hymen. quam Di voluere rogari,
Coniugium rogat, & leges invertit amandi.
Non mihi Perſarum gazæ, Pelopumq; petuntur
Scrinia, non epulis volupe eſt accumbere Divûm;
Aut Tyrio recubare thoro. non dedita vivo

Corporis arbitriis, aut ſuadens prava libido
Virgineos hebetat ſenſus; nec amicta doloſis
Illecebris, altaque tumens cervice juventus
Diligitur. doctis iuvat impalleſcere chartis,
Et vulgo diſtare rudi, luceſque legendo
Fallere. diſcordes Graiorum expendere ſenſus
Cura laborque mihi eſt. per tot ſuffragia iudex
Æqua mente feror. dixi: Stagira, ſuperbis,
Virtutemque cupis plauſu clareſcere vulgi,
Atque opibus ſplendere magis. nec mollia nobis
Perſuaſit pręcepta ſenex, cui ſola voluptas
Dogma facit, dignoſq; viris effœminat actus.
Nec dubium Pyrrhona probo; iurataque cuivis
Vero verba ſequor; non delaſſata ſilendo
Atria, non Phariis pulſata vocabula ſiſtris,
Non vates, Chaldæe, tuos. non quicquid aruſpex
Garriit aut mediis Tuſcus quæſivit in extis,
Invenere fidem. Stoæ placuere receſſus,
Tuq; Crates. nullo conſtricta licentia nodo,
Exulat hoc animo, figendaque ſenſibus hauſi
Acrius; & cœpi, te præceptore, ſerenum
Indugredi virtutis iter. Poſtquam omnia magno
Plena Deo didici, puduit peccare Deorum
Ante oculos, pravumque ſequi. laſciva procantum
Ceſſit turba procul. recto poſtponimus, orbis
Quicquid grande putat. quicquid miſerabile, pulchrum
Cenſet inops probitas. erecta ſcientia cordi eſt,
Ignaros odiſſe. levi mutabile ſorte
Diſplicet ingenium, & ſuetum popularibus auris
Veſcier, & lætam ſpeciem prætendere fraudi.
Quo natura caret, modico ſaturata, repellam
Omne ſupervacuum. tenerum patientia corpus
Inſtruet, & nulli diſcet ceſſiſſe labori.
Fortunam quamcunque feram, nec læta ſecundis,

Nec

Nec deiecta malis. placet oblatrare profanis,
Et verbis mordere malos, mulcere benignos?
Nil in morte mali eſt, quia præſens deſinit eſſe,
Abſolvitque reos. ideò nec buſta rogique,
Non pœnæ inſontes, non flagra minacia terrent.
In genibus ſors iſta Deum eſt. ſuprema malorum
Grata ſuperveniet, ſi non ſperabitur, hora.
Diſcendum reor, ut iuvenes mens ſana gubernet,
Soleturque ſenes; eadem locupletet egentem,
Et dites ornet doctrinæ opulentia cenſus.
Neſcia adulari, nullis preciove metuve
Ad nutum loquar. hęc vite liberrima nobis
Sors erit. at populus quoties me ſibilat, ipſum
Sibilo. & humanum nihil eſt, quod ſeria mirer.
Hoc ſi dogma placet, cur non placuiſſe magiſtro
Virgo ſequax poterit? cur non cum dogmate poſſit
Arridere tibi iam plenis nubilis annis
Virginitas? in me nihil amplexabere, quod non
Sit conforme Crati. me, dilectiſſime, me me
Sume thori ſociam, & propria dotabere ſecta.
Tota forem Cynica, hoc unum ſi fœmina poſſem,
Non adamare Craten. uni huic ſuccumbere culpæ
Cogimur. hunc unum liceat ſperare dolorem.
Talibus orabat, tales Hipparchia voces
Edidit. aſt olli gelidus per dura cucurrit
Oſſa tremor, ſenſitq; ſibi præfracta moveri
Corda Crates, tetricum magno ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum. Quid me, nitidiſſima, quid me,
Inquit, amas? vivis cur iungi mortua poſcis
Corpora corporibus, ſtudiiſq; illudis amantum?
Nubendum, ſed ſorte pari. tam diſpare teda
Iurgia lectus alet. ſimilis concordia formæ
Nectit amicitias; inviſaque gaudia diſcors
Vultus habet. ſemper deformis vile mariti

Eſt precium. ius omne ſibi formoſior uxor
Vendicat. hæc metui cupit, hæc patrimonia cultu
Lancinat, hæc aliò peccantem flectit ocellum.
Hunc petit, huic petitur. complectitur Amphitrite
Nerea, ſed pulchrum. iuveni reſonabilis Echo
Commoritur. cur? pulcher erat. formoſa Lacæna
Formoſo rupſit Paridi. me territa mater



Horruit, ut vidit genitum. riſere propinqui
Has in fronte notas, hoc pandi dedecus oris,
Informeſque manus. defluxit gratia ſimis
Naribus, hæc turpi facies larvata colore eſt.
Prodigium eſt, quodcunq; vides. En, adſpice nudum.
(Et ſimul à fœdis proiecit pallia membris)
Hic tuus eſt, inſana, Crates. quocunque tueris,
Portentum ferale traho. quæ pagina talis
Ulla viri meminit? quibus unquam ſecula terris

Con-

Coniugio iunxere parem? quid? ne qua vacaret
Pars ignominia, ſcapulis intexuit error
Hoc onus. hunc preſſa validè cervice revinctum
Vix humeris portamus Athon. ſic rideor, alter
Enceladus Briareuſque vocor. ſum ſarcina partim et
Baiulus ipſe mei; &, qualis Berecynthia mater,
Turriger incedo, gibbo proſtante, per urbes,
Prægrediorq; mihi. videor de parte renaſci,
Et prodire novus. ſpecta diſtorta meorum
Crura pedum, curtumque femur; nec vergit in æquas,
Cum librare volo, corpus damnabile lances.
Non mihi Acidaliis fibræ caluere favillis,
Non Veneris luſus, Veneris nec pręmia novi.
Coniugis officio fungi, res proxima valde
Servitio eſt; nomenque patris, me iudice, vox eſt
Mancipii. creſcunt pariter cum prole labores
Ærumnęque noviq; metus. ſi femina mundi,
Si rerum ſtudioſa ſtudes cognoſcere cauſas,
Cælibe nil melius vita; nec, coniugis illa
Ingenium neſcire, nefas. Mihi ducitur ætas
Inconcuſſa malis; tu mollis, compta, venuſta es,
Apta iocis. tibi poſt fœcunda tot oſcula matri
Eſſe licet; mihi nunc in rugas flexit aniles
Annorum ſeries. Cynico plauſiſſe docenti
Res facilis; ſed iuſſa ſequi rigidiſſima, grandis
Eſt operæ. ſunt farra meis data fercula menſis,
Sunt pictæ lugubre fabæ, fatuique ſaporis
Beta. domus mihi nulla. vagor per rura, per agros.
Advena ſum, quocunque feror. calcare pruinas
Hybernaſq; nives, ſulcis committere plantas,
Sunt ſtudii documenta mei. mihi culcitra ſaxum,
Aut cunctis commune ſolum. pars una peculî
Palliolum eſt, pars una pera eſt, pars tertia ſtipes.
Quod reliquum, Tethys habet; omne à fluctibus aurum

Tunditur, abſtruſis effoſſa pecunia terris,
Ne noceat, rurſum cæca occultatur arena.
Vis turpem, vis virgo, inopem? vis pauperis hæres
Eſſe peræ? aut, mea quem circumfert dextra, bacilli?
Ne, mulier, tam dura tuæ præſcribe inventæ
Imperia. auſpiciis, reor, & Junone ſecundâ
Deberis procerum thalamis. hoc vota parentum,
Hoc audet ſpondere Crates. his annue, meque
Deſine teque tuis incendere, Diva, querelis.
Illa refert. mihi nudus, inops æriſque lariſque
Diligeris peteriſque, Crates. ſi forma laborat,
Forma bonum fragile eſt. ſi vultu credimur eſſe
Diſſimiles, hæc culpa Deûm eſt. ſi turpis haberis,
Nil ego turpe puto, quicquid ſplendeſcit honeſto.
Non ego formoſo quicquam debere marito
Sponſa velim. quæ forma negat, doctrina reſarcit
Pulchrior. incomptum certe dilexit Ulyſſem
Icaris, & nitidam torvus Minoïda Theſeus,
Loripedem regina Paphi. pro coniuge nonne
Bella Pelethronii Lapithæ geſſere, truceſque
Semiviri? & rutilos capulis radiantibus enſes
Pro ſexu ſtrinxere meo? cur vincula lecti
Diſpliceant? non fas ſapientem ſpernere, quicquid
Cœlicolæ ſanxere graves. ſi fœda voluptas
Crimen habet, ſine crimine ama. ſi tempora ſomni
Deploras periiſſe tibi, vigilabimus ambo,
Aut noctes partire mihi. quid fercla, fabaſque
Obiicis? hæc mea ſunt bellaria. porrige lentem,
Ambroſia eſt. da fontis aquas, venerabile labris
Nectar erit. natis malim, quàm vivere factis
A lixa dapibus. latices ſi vola miniſtrat,
Natura famulante bibis. ſic publica menſam
Sternit ſponte parens, ciceremq; apponit inemptum,
Et porrum & mixtâ cichorea ſalubria malvâ.

Si domus, hoſpitiumq́; tibi, ſi tecta negantur,
At cœli convexa patent, quæ fabrica magnum
Clauſit Alexandrum, nos fornice claudit eodem,
Nec dedignatur ſocios. Te pallia velant
Sordida, ſed doctæ radiantia lumina mentis
Illuſtrant aſta preſſas caligine gentes.
Si ſorpſit Neptunus opes, ſi gurgite merſas
Fluctus habet, non te gurges corruptior ævi
Tranſverſum in fraudes rapiet. communia Divis
Omnia ſolus habet ſapiens, quos fecit amicos,
Cuſtodeſq́; ſuos. qui ſummus regna gubernat
Iuppitur, & tuus eſt. paribus diſtamus ab illo
Paſſibus. agnatus Superûm eſt, & proximus hæres
Iuſtitiæ cultor. baculo quo niteris, æquat
Sceptra Ducum, & regum trabeis ſecurior audit.
Macte Crates, nec te pigeat pepigiſſe iugales,
Thebano plaudente, manus. miſerere puellæ,
Quam neque luxuries vitiis, nec gloria fregit
Improba flagitiis, odiiſq́; audacia vertit.
Tres ſumus imbelles numero. ſine coniuge virgo,
Hinc pater, hinc genitrix. tres ſolus perdere in unâ,
Tres ſervare potes. per conſcia numina iuro,
Socraticumque Deum & Cynicæ ſubſellia turbæ,
Coniugio me, magne Crates, dignare ſuperbo,
Ut dicar vixiſſe tibi. ſin flectere nondum
Vota preceſq́; valent, tedas miſera inter & enſem
Abrumpam cum morte preces. ſeiungar amanti,
Cui iungi me, ſæve, vetas. amplectere ſponſam,
Aut ſi, quam vivam voluiſti ſpernere, perges
Poſt obitus odiſſe meos, age, barbare, calca
Exuvias, pedibuſq́; exoſum trude cadaver.
Sic moriens merear veniam, facinuſq́; cadentis
Excuſabit amor. pro me deſpecta loquetur
Infelix Dido, & ſociâ circumdabit umbrâ

 Py-

Pyramus, & Thiſbe, tumulataque fluctibus Hero.
Dixit, & impatiens gladium, qui veſte latebat,
Arripuit. tum membra Crati formidine ſolvit,
Arrectæque ſtetêre comæ. pater obvius unum
Exorare Cratem, genitrix lenire precando
Nititur, & rigidis extorquent fœdera pactis.
Omnes, triſte per augurium, quid femina poſſit
Sollicitis volvunt animis. gens mollis Amorum
Advolat, & celerem, quà pars eſt læva, ſagittam
Torſit, & admiſſâ labefecit cuſpide gibbum.
Ceſſit Sponſa Crati. Cynico matrona paratu
Ambulat, & tali gaudet comes ire marito.
Ilicet impexi fluitant per colla capilli.
Frons auſtera minis, horreſcit dextera fuſte.
Sordida rugoſam conſtringit faſcia veſtem,
Explet fonte ſitim. nudis per compita plantis
Ingreditur. non inviſæ mala frigora brumæ,
Solſtitiumque timet. deſignat tempora cœnæ
Sola fames. patulo placidè condormit uterque
Sub Jove, & humanæ ſubſannant crimina ſcenæ.
Iam rident Criticos, genus implacabile nugis,
Grammaticaſq; tribus; quæ dum ſcrutantur Ulyſſis
Fataque fortunaſque, ſuæ diſcrimina vitæ,
Et caſus neſcire volunt. iam murmure mordent
Queis ſua compoſitos modulatur tibia cantus,
Vitâ modos violat; qui cœlo tempora donant
Sideribuſque vacant toti, nec proximâ curant,
Quæ ſunt ante pedes. etiam facundia fallax
Vapulat, & quicunque palam declamat honeſtum,
Nec facit. agnoſcunt Cynicum palatia dentem,
Privatique lares. his currit moribus ætas
Ambobus, vivunt hac paupertate beati,
Pallioloque Crates recubat coniuxque ſub uno.

CAS-

CASPARIS BARLÆI RHADAMANTHVS mollior,

Sive de Raptore duarum Virginum Melitenſium, Tryphoſæ & Jocaſtæ,

JVDICIVM.

ÆACE, cui rigidæ radiant
 antè ora ſecures,
Nec peccant impunè mali; qui triſtibus Umbris
Fata legis, vitaſque animarum & crimina diſcis:
Da veniam, Judex, miſeris, cauſaſque nocentum,
Et formidatæ differ ſuffragia vocis.
Laxent terribiles immania Tartara pœnas.
Non iecur abreptas Tityi ſibi creſcere fibras
Sentiat. æternis feſſum diſſolve catenis
Theſea. Tantalicis ceſſa ſubducére labris
Pocula; nec præceps Ixiona torqueat orbis.
Eumenidum compeſce faces, crebrique parumper
Sedentur gemitus, nulloque frementia luctu
Condonent ſonti Furiarum verbera turbę.
Mitius ingenium eſt violatę Virginis. omnes
Pro roſtris abſolvet Amor. ſi fœmina litem
Advocet, effrenis poterit iam raptor amari,
Et ſua reddentur ſceleratis præmia flammis.

Quid

Quid laqueos, Rhadamanthe, paras? quid vincla, cataſtas,
Flagra, cruces? quid terribiles pallentibus angues
Manibus intentas, Hecate? mœſtamque Eriphylem,
Aut Phędram damnas tenebris? Procrinque, feramque
Paſiphaën, ſua vel lacerantem viſcera Prognen?
Iam minus eſt, peccaſſe viros. iam lenius audit
Flagitium, rapuiſſe duas. connubia ſtupris
Succedunt, duplexq́; nefas facundia mollis
Diluit, & pulſo tandem lictore triumphat.
Non iam rapta velit Phrygias exſcindere matres,
Argolicas armare rates, evertere ferro
Pergama & iratas odiis implere Mycenas
Virginitas, oblita mali. non arma repoſcat
Calcatus funeſta pudor. placabilis ipſum
Exorat Minoa Venus, tetricumq́; tribunal
Flectitur, & peccans Sponſa donatur amator.
  Aurea, Virtutum genitrix, effluxerat ætas;
Sanctaque ſimplicitas, recti reverentia terris
Ceſſerat. horrebant ſub duro ſecula ferro,
Et ſcelerum totis ſurgebant caſtra maniplis.
Quos inter vitium rebus ſolenne ſecundis
Luxuries, priſcos corruperat improba mores,
Exemplis animoſa ſuis. tunc undique legum
Incubuere minæ populis. hîc iura Lycurgus
Spartano veneranda dedit, gemuitque ligata
Arctius improbitas. illic tremuere Solonas
Cecropidæ, & rigidi Locris edicta Zaleuci
Officii ſcripſere modum. ſe Creta tuetur
Iudicibus terretque malos. rubet ipſa Draconis
Littera, ſanguineiſque riget conſperſa lituris.
Tunc Gallum Dryadæ, Pœnorum regna Charondas,
Chaldæos docuere magi, ſtrinxitque Zamolxis
Lege Scytham, Siculiſque ſuis præcepit Eleuſis.
  Cernitur Iönio circumvallata profundo

Inſula, quam Meliten dicunt, vicina Pachyno,
Adverſos ſpectans altis è fluctibus Afros.
Cui citharæ ſegneſque ioci & genialia cordi
Orgia, laſcivique ſales audaxque voluptas,
Pigraque mollities & inertia parca laboris.
Utque fuit petulans & nil non auſa iuventus,
Et ſceleri patuere viæ, viſque effera fraudes
Iuvit, & invitos rabies extorſit amores,
Succenſere Themis potuit. dumque altera lances
Librat & appendit culpas, manus altera ferro
In ſontes armata ſuo eſt: raptoribus enſis,
Aut thalami facit arbitrium. iudexque puella eſt,
An gladio cædi cupiat, vel nubat amanti.
Hærent ancipites raptæ, dubiaſque fatigat
Pœna duplex. nunc ira ferox condemnat amorem,
Nunc iram condemnat amor. nunc lictor amatur,
Nunc Hymen. exercet legis ſententia partes,
Et ſequitur diverſa dolor. Non illa Menandrum
Terruit impavidoſque viri compeſcuit auſus
Horrida lex. laxat Veneri veſanus habenas,
Et ſuadet peiora furor. Tryphoſa ruenti,
Mox rapitur Jocaſta, duas perverſus amator
Polluit alternoque reus fit crimine raptor.
Litem cauſa facit. geminata iniuria pœnas
Implicat. adverſis diſſentit Curia votis,
Dum raptis diverſa placent, nec nubere poſcat
Utraque raptori, merito nec deſtinet enſi
Utraque; ſed legis partem ſibi vendicet una,
Partem alia; una thori ſperet ſolatia, mortis
Altera, confundantque ſuas clementia voces
Infractuſque rigor. Tu, quæ mortalia vindex
Facta notas, Aſtræa, & per tot crimina iuſtos
Circumfers pernox oculos, mitique ſeverum
Edulcas, mihi Diva refer, qua voce Menander

In-

Induerit ſceleri ſpeciem; qua fronte timentem
Terruerit Tryphoſa reum; quo numine ſævas
Contuderit Jocaſta minas. conſcende tribunal
Arbitra, diſponant grandes ſubſellia Patres,
Atraque ferales attollant limina faſces.



Ecce venit raptor, manibus poſt terga revinctis,
Pallor in ore ſedet, facti mens conſcia vultum
Verberat, ut poſſit populo peccaſſe videri.
Quà graditur deſpectat humum, non lumina tollit,
Cuncta timet pavidus, magni pars ipſa doloris
Eſt metus, & pœnæ gradus expectatio pœnæ.
Detergit mœrens lachrymas, trepidanſque labanſque
Flebile ſuſpirat, formidanteſque capilli
Canitiem terrore bibunt. deformat amictum
Luctus, & ante oculos lethi præſentis imago
Hoc unum ſperare ſinit. cum roſtra tuetur,

Ge-

Genua tremunt; turbam cum circumſpectat & agmen,
Se contra muſſare videt, nutuque furorem
Præcipit. iratę lugubris ſcena puellæ
Nuncia ſupplicii eſt. metuit, ne lætior iras
Diſſimulet Jocaſta ſuas. ſic ſquallidus, excors,
Exanimis ſtetit Albanus, cum, iudice Tullo,
Ultrices raperent Metium in diverſa quadrigæ.
Talis erat facies, cum cultros inter & aras
Pallida ſpectaret Græcorum caſtra Mycenis,
Aut coram immiti iugulanda Polyxena Pyrrho.

At poſtquam timidæ rediit fiducia linguæ,
Diſcuſſitq; metum: Non me rapuiſſe negabo,
Raptor ait, nec ſi miſero ſors obtigit iſta,
Mendax eſſe velim aut vanus periuria fingam.
Si vitiis blanditur amor, ſi neſcia recti
Eſt Venus, & iuvenum ſubvertit ſubdola mentes,
Peccavi minus, & culpam imperioſa libido
Elevat, & quicquid feci, ſum paſſus amando.
Non meus in iugulos inſontum ſævIit enſis,
Non crudæ maduere manus, non ęre nefando
Vendidimus patriam, aut cœlo iurata fefelli
Fœdera; non trabeæ, non hîc violata curulis,
Turpiaque inceſtant alienas auſa maritas.
Me, fateor, pravi pellax laſcivia ſecli,
Subruit, & calidę ſubnaſcens flamma juventę.
Cogitur omnis amans, & duro crimen amori
Imputat, aut fatis. rapitur ſeducta voluntas,
Quò trudit natura procax. delinquimus ipſis,
Quę Superi tribuere, bonis. cur lumina nobis,
Virginibus cur forma data eſt? cur gratia vultû
Picta nitet? cur membra decor nativus honorat?
Cur rubuere genæ? frons exporrecta iocatur?
Illicibuſque oculis tot fraudum arcana Prometheus
Occuluit? ſi quiſquis amat, ſceleratus habetur.

Si

Si rapui, dos rapta viri eſt. ut amabilis eſſet,
Obiicitur maribus mulier. plus munera Divûm
Æſtimat, hanc ipſam quiſquis furioſius ardet.
Si pudor eſt, adamaſſe duas; bis dona Deorum,
Bis dicam placuiſſe Deas. ſum raptus & ipſe,
Et ſenſi me poſſe trahi; velut abdita ſaxo
Invitat cupidum virtus magnetica ferrum,
Aut levibus paleis ſe ſuccina pulchra maritant.
Hinc Tryphoſa gravis ſopitos ſuſcitat ignes,
Acceditque faces; hinc ſe Jocaſta medullis
Inſinuat formoſa meis. hęc frangit ocello
Pectora, & accenſos conſpectu ventilat æſtus;
Illa verecundis ſapiens prȩcordia verbis
Faſcinat, & quoties facundo diſſerit ore,
Poſt ſe corda trahit. non vult Jocaſta timeri,
Blandiloquis arguta iocis. Tryphoſa modeſtis
Alligat imperiis animum; moreſque decuſque
Ipſaq; virtutum, cauſa eſt erroris, imago.
Quod ſi homini ſit fas exemplis ire Deorum,
Quæ feci, fecere Dii. qui fulmina torquet
Iupiter abducta Tyrio de littore quondam
Mugiit Europa, & teneros immanior artus
Libravit pandis humeris. quin tertius hæres
Saturni, dum Sicaniam ferus inſilit Hyblam
Fumanteſque rotas caliganteſque relaxat
Acer equos, magnæ Cereri venerabile pignus
Eripuit; tantique Jovi arriſere tumultus,
Nec Parcæ vetuere malum. Sic maximus ille
Incaluit princeps Erebi, mundique potentes
Audaces ſumſere animos, Acheronque poluſque
Semideûmque patres me peccavere priores.
Nec, ſi rapta mihi fuit utraque, deſiit eſſe
Utraque caſta ſibi. manſit ſine crimine mentis
Pars melior, liberque animus divortia mecum

Fe-

Fecit, & in ſolo deliqui corpore raptor.
Quod ſi iura reum faciunt, patriiſque refellor
Legibus, & pœnam ſuffragia veſtra repoſcunt;
Excedit iam pœna modum, pravique colorem
Lex crudelis habet. num gaudia fluxa cruentâ
Morte luam? an Paphias ferro temerabimus aras?
Baſiaque invitis aliquot preſſiſſe labellis
Nomen erit fatale mihi? quæ femina philtro
Extinxit iuvenem, vos abſolviſtis, Athenæ,
Incolumiſque evaſit amans. deprenſus adulter
Mars fuit, & toto iactata eſt fabula cœlo.
Attamen hoc riſu facinus, non enſe, piavit.
Gaudent pulchra rapi. ſecat obvia gramina meſſor;
Invitaſque licet ferro detondet ariſtas
Triptolemus. rapidis ſpumans vindemia dextris
Diripitur; pleniſque legit decuſſa caniſtris,
Nec matura ſatis Cerealia poma colonus.
Pabula flamma rapit, facibuſque ſequacibus urit
Proxima. vim paſſim patitur natura, facitque,
Inque vices ſolers cogique & cogere geſtit.
Incubat Oceanus terrę, ſed laxior aër
Oceanum premit. immenſis complexibus ignis
Aëra circumdat propior, ſervatque fovetque,
Ingenteſque ſinus mundi fecundat Olympus.
O, quoties lactante gemens à matre iuvenca
Abripitur, tenera cui nondum cornua ludunt
Fronte; vel imbelli lupus inſidiatus ovili eſt.
O, quoties cultos dum virgo perambulat hortos,
Hîc violam rapit, hîc fragrans avellit amomum,
Aut metit excelſis argentea lilia cannis,
Necdum facta nocens. totus raptoribus orbis
Fervet, & haud una rapiuntur cæde tiaræ.
Virginitas intacta diu, nec rapta, fatiſcit,
Et ſenio marceſcit honos, deſpecta ſenilis

Gratia deformeſque ioci. ſpecioſa venuſtas
Quo nos cunque vocat; ſequimur, velut impete, turba
Luxurioſa proci. Vos vitę lubrica, Patres,
Condonate meæ. leni plus voce tribunal,
Quam terrore valet. Melite, bis me hoſpita ſervas,
Si ſupereſſe ſinas civem & reſipiſcere vivum,
Sin me vis, Tryphoſa, mori; moriare Menander,
Abſciſſumque humeris caput atque exangue cadaver
Tryphoſæ mitte inferias. tunc forſan amabit,
Raptoris cum fruſta leget. Sin vivere me vis,
Et pateris, Jocaſta, virum; venerabor amores
Prona mente tuos. thalamo ſacrabo pudoris
Damna tui, & mecum exemplum memorabile ferę
Poſteritatis eris. facinus prudentia clemens
Corriget, & cupient nobis plauſiſſe nepotes.
Hæc ubi dicta dedit, compreſſa voce quievit,
Seque pavor damnavit iners, pulſoq; timore
Arrectæ ſedere comæ. Nec diſtulit inde
In iuvenem Tryphoſa loqui, ſed ſquallida luctu,
Funereoſque induta habitus. non priſca decentem
Mordebat medio ſuccinctam corpore pallam
Fibula, neglectæ pendebant vertice vittę,
Torva minis facies, gladio truculenta rigebat
Dextera, magnanimaque ægrum cor bile tumebat.
Jam memor ingenio rabiem, feritate dolorem
Auxerat. haud alio Phrygium conſpexit Eliſa
Ore ducem, Libycis aliquem cum poſceret amens
Oſſibus ultorem. ſimilis Caſſandra Chorœbo
Reſtitit, & Phædra Hippolyto, cum pectore forti
Sperneret inceſtę temeraria vota novercę.
Ut ſtetit, & totam ſeſe collegit in iras,
Talibus illa modis ora indignantia ſolvit:
Improbe, ſæve, nocens, genitrix ſi lena fuiſſet,
Si Circe Laiſq; mihi, ſi fœda Calypſo

Ip-

Ipſa forem, aut quovis mercabilis ære Philœnis,
Largirer facilis veniam. nunc læſa querelas
Orditur probitas & caſtæ filia matris
Heu, polluta dolet. centum digniſſime pœnis,
Me pereunte, peri. non una eſt culpa nocentis;
Bis, ſcelerate, rapis. crevit ſucceſſibus ardor
Efferus, & gemina de pubertate triumphas.
Nil iuvat errorem, ſpreta virtute, fateri,
Nil gemitus commiſſa levant. cum raptor abires,
Tunc decuit ſentire nefas. ceu navita ventos
Proſpicit, & ſcopulo deflectit vela latenti
Incolumis. non te fatorum ſanctior ordo
Impulit in ſcelus, aut formæ quæſita venuſtas,
Eloquii decus & quicquid mortalibus æther
Optimus indulſit. Superos abſolvimus omnes:
Tu, tu cauſa mali es. fingat mentita vetuſtas
Furta Jovis raptuſque Deûm; num fabula vitę eſt
Regula, iuſtitiæque modus? quid inania fundis
Verba? vel exemplis audes pugnare ſiniſtris
Infelix? pœnæque ſtudes differre rigorem?
Omne tuis levius, quod iam decernitur, auſis
Supplicium eſt. non vipereo metuenda flagello
Eumenis atque novis acuens incendia flammis
Sit ſatis in pœnam. laquei, nervique rotæque
Verberaq; & tracti loris crudelibus artus,
Et virgę lenes fuerint. Te ſtupra parantem
Attoniti fugere Dii, perculſa Dione
Horruit, exclamavit Hymen, Sol palluit orbi
Defecitque ſibi. turpis quin conſcia facti
Terra ſuos circum maculis adſperſit honores,
Et noxam afflavit foliis. marceſcere flores
Vidimus, expirare roſas, decreſcere rivos,
Et retrò cum fonte trahi. Quò iura Deorum,
Quò leges cecidere hominum? quid vivere nobis

Proderit? an mixtæ ſociis raptoribus uſque
Ibimus expertes thalami? nec tuta puellis
Sors erit aut noſtri ſtabilis reverentia ſexus?
Quid latuiſſe iuvat, cuſtodiviſſe parentes?
Tarquiniis ſi præda ſumus? ſi vecta quadrigis
Sum ſpolium & nullo ſeſe ſecura tuetur
Vindice ſimplicitas. cur cœli dicimur eſſe
Nobile depoſitum, terrarum gloria, mundi
Sidera, ſpes & cura virûm? ſi quælibet in nos
Obvia graſſatur rabies furtoque patemus.
Stupravit geminas audax, unamque caloris
Eſſe ſui voluit ſolamen, ut altera præſtet
Virgo patrocinium, & defendat rapta clientem.
Ne pereat, bis audet idem. ridentur honeſti
Cuſtodes tabulæ, vitioque obducitur ipſi
Per vitium color & iudex eluditur aſtu.
Una dies ambas rapuit. jam tertia forſam
Rapta foret, niſi nox melior rapuiſſet Olympum.
Ploravere domus geminæ, genitrixque paterque
Et meus &, Jocaſta, tuus. tabeſcit uterque
Flebilis. in quantum ſervaris, nata, dolorem,
Mater ait, cui te genui miſeranda furori?
Poſcite vindictam patres, ne filia vobis
Sorte pari pereat. vindictam poſcite fratres,
Ne vitiata ſoror generi ſtirpiq; ſuperſit
Opprobrium. cunctos animet vindicta maritos,
Ne pavidos admiſſa thoros audacia ſcandat.
Talia ſæpe gemens dixit Lucretia Bruto,
Talia, Collatine, tibi, ſoceroq; patrique.
I lictor, conſtringe manus, obnube ſceleſtum
Veſte caput, gladioque vices ulciſcere noſtras.
Cæde, feri. luat enſe malus, quo concidit hoſte
Fama pudicitiæ. ſaturet ſe ſanguine, quem non
Flectere virgineæque preces lachrymæque dolorque

Non

Non pietas potuit. dic, poſt tua fata, Menander,
Dic Paridi, ſceleri quoque ſuccenſere nepotes.
Phœbe pater, quo me rapuit furibundus amator,
E faſtis expunge diem. ne buſta rogumque
Irradia, æternis lateat ſtuprator in umbris,
Abſcondat caligo reum. ne poſthuma norit,
Peccari ſic poſſe, Venus. Quid parcere demens
Raptori, Jocaſta, cupis? ſperaſque maritum
Improba? quem leges, quem damnavere curules.
Hoc violentus amor precium, dirumq; cubile
Emeruit? tali infamis ſcortator honori
Sepoſitus criſtas corrupta virgine tollet?
Apponetque nefas lucro? Vah, prodiga famæ es
Ipſa tuæ. nec enim crederis paſſa, quod optas,
Quod laſciva petis. te conſenſiſſe loquetur
Quilibet, & raptam magna ratione negabit.
Publica ſic fies ridentis nænia vulgi,
Atque iterum nutabit honos. meretricis inuret
Nomina ſuſpicio, pellexque vocabere genti
Vel proſtans Erycina tuę. quæ læſa putatur
Virgo, dolet; nolenſq; truci quę ceſſit amanti,
Hæc ſpeciem plorantis habet. tu florida Sponſo
Serta paras, plaudiſque tuis improvida damnis.
Compta ſalis, lepidiſque infamas roſtra ſuſurris,
Et Sponſæ ſpem cœca foves. miracula narro.
Omnia iam fient, fieri quæ poſſe negabam.
Siſte gradum, nec plena redi Latonia terris,
Et vaga converſo ſe trudant flumina curſu
In caput acta ſuum. concurrat bruma Leoni,
Perreptetq; hyemem Cancer, ver terminet ipſum
Amphora, & autumnos adeat cum Caſtore Pollux.
Heu cœli terræque pudor. virguncula væcors
Oſcula ſacrilego pendet, nova fœdera iunget,
Ut plures periurus amet. Si rapta fuiſſes

Sola, thorus poterat morti prælatus amari.
De geminis lex noſtra ſilet. certumque meretur
Supplicium bis ſpreta Themis. ſuperaddita noxæ
Noxa riget, facinuſque capit momenta reſumptum.
Ultio debetur binis, ſed nubere binas
Iura decuſſ q; vetant. ſupereſt, ut victima binis
Occidat, & thalamo excuſſus moriatur utrique.
Si Judex ignoſcere amas, quis criminis horror,
Maieſtas quæ legis erit? ſi dextera vindex
Langueat, illecebras præbebit ſontibus excors
Mollities. quænam hæc ſpecies? non poſſe perire,
Qui meruit bis morte mori, bis enſe recidi.
Dicite, ſi plures rapiat, ſi templa Deorum
Involet, aut querulæ ſit parricida novercæ,
Sat fuerit raptam molles optendere tædas?
Lictor, colla ſeca. mox tu, Jocaſta, protervis
Exuviis nube, gelidumq; amplectere corpus,
Baſiaque in putridis figas graveolentia membris.
Prima ego dum violor, legis diviſa voluntas
Arbitrii ſit prima mei. Tryphoſa Menandrum
Damnat, ut, extincto nobis raptore, deinceps
Fauſta coronati peragant convivia Manes.
  Sic dixit Tryphoſa gravis, vinctumque catenis
Frenduit in iuvenem. Tum blandè lumina torquens
Promovit Jocaſta gradum, cui gratia diſpar,
Diſpar forma fuit. mitra radiante capillos
Strinxerat, & variis Gangetica bacca figuris
Ornabat diſtincta caput. non pulchrior aſtris
Vultus erat, plus labra roſis arguta rubebant.
Ignea vis oculis inerat, poteratque videri
Divorum nurus aut Tithono nubilis Eös.
Rubra pererranti fulgebant ſerica byſſo:
Queis precium donabat acus. prænuncia lecti
Flammea geſtabat manibus. redimita coronis

Frons

Frons erat. hîc cunctos quos tellus dædala flores
Parturit, & vernas filo diſtinxerat herbas.
Has nardum & grata pingebat amaracus umbra,
Coryciumq; frequens & olentis vimen acanthi,
Et caſiæ halantes immortaleſque amaranthi.
Vix fuerant ſtreperæ mandata ſilentia turbæ,
Arrectumq; ſtetit compreſſo murmure vulgus,
Cum ſic orſa fuit felix Jocaſta profari:
Non ego cum ſocia Melitenſem exſcindere gentem
Virgine iuravi, ſubiectaque colla ſecuri
Nobilium feriiſſe velim. non funus acerbum
Molior, aut triſtes duri Buſiridis aras
Imbuet impatiens animus, lethique repertrix
Verba meo quæram nimis immanſueta dolori.
Non me Pentheſilea furens, non barbara Colchis
Horribilem genuit, nec quæ regalia quondam
Ora cruentatos Thomyris demerſit in utrès.
Fœmina ſum. lenis miſero & placabilis adſum.
Sæviat in tauro Phalaris, in carcere Sciron,
Occulta ſub rupe Scinis, diruſque Procuſtes.
Naſcitur ad fructum mulier, proliſque futuræ
Argumenta capit. ſaturari ſanguine nolo,
Quem cupiam genuiſſe mihi. non præfica, verum
Pronuba ſum. thalamoſque mihi manſuetior opto,
Non tumulos, Tryphoſa, tuos. Libitina faceſſe,
Collige per crudos mortis ſpectacula Thracas,
Aut annis effęta neca. mihi læta iuventus
Serviat, & famæ reparet diſpendia lectus
Innocuæque faces. ſtuprum lanugine prima
Diluimus. venis ſaliens iuvenilibus ignis
Bulliit & ſtimulos peccanti ſubdidit ætas.
At rapuit. fateor. raptu peccamus & ipſæ,
Quemque prior toties virgo clam deperit, aufert
Conſilio, votiſq; rapit. medicina malorum,

Et quærenda mali correctrix flamma caloris.
Cui placeam temerata? thoro ſecludor ab omni.
Indignam fugiunt comites, innoxia quamvis
Rideor à populo, generis fortuna domuſque
Mecum tota labat. mœſtorum cauſa parentum
Juncta meæ eſt. liceat fato meliore mereri
Coniugium, & raptum titulis expungere nuptæ.
Tyndaris Idęo quamvis paſtore Lacæna
Rapta foret, tamen huic ipſi conſuevit amanti,
Solverat Oebalio poſtquam de littore claſſem
Dardanus, & magnę quererentur furta Mycenę.
Heſionem Telamon, Briſeida cepit Achilles,
Eurytus Hippodamem, Boreas ferus Orithyiam,
Ægides Gnoſin, facilem Tirynthius Augen,
Victoremque ſuum tepidumque cubile ſecuta eſt
Quælibet, officiiſque procans iniuria victa eſt.
Nec quę Pyrenes tranſcripſit nomina monti,
Hoſpitis Alcidę raptum fuit ulta virago.
Flectitur obſequiis, omniſque ferocia languet,
Cum placida noſtros ſolantur voce dolores,
Qui nocuere, mares. Stygii pręda nis habenas,
Et dotale Chaos Plutonia poſſidet uxor,
Ac ferrugineis Erebi complexibus hęret.
Pone minas, compeſce tuum, Tryphoſa, furorem.
Si plecti vis lege reum, non ſemper iniquos
Pœna vocat. patitur molli ſe interprete flecti,
Æqua reo; ſenſuſque ſibi Clementia ſervat.
Hæc hominem ſuperis æquat, faciliſque moveri
Supplicibus, miſeris nunquam implacabilis obſtat.
Ignoviſſe cupit, flagrantes increpat iras,
Subducit fomenta odiis, & parca cruoris
Pręfractum calcat terrarum Diva rigorem.
Quin potius nunc noſtra virum Lex aſſerit anceps.
Cur? geminas rapuit. tuus eſt ex parte Menander,
Et meus eſt. debet nobis mortemve thorumve,

Anx-

Anxia libertas contraria ſeligit. adſto
Blandula donatrix veniæ. Tu filia Martis,
In cædes irata ruis. nec nubere binas
Res ſinit, aut binis poterit bis enſe feriri.
Si tibi vis reddi, quicquid ſubduxit honori,
Cur non & noſtro vivat ſervatus honori?
Si tibi diſſectus placeat, mihi totus amatur.
Si ſperata paras triſtes ad funera taxos,
Ipſa levem nectam geniali in vertice myrtum.
Si tibi barbaricus tumidæ diſtringitur enſis,
Ecce manu contra ſtrictos amoliar enſes.
Tu truculenta feri, ferienti maſcula me me
Obiiciam, & tanta ſervabitur obſide raptor.
Sic dum diſtamus votis, & numine dextro
De geminis edicta ſilent, evadet amator.
Quid? magis in raptum tu conſenſiſſe videris,
Irarum quia plena furis, culpamque ſuperſtes
Exprobrare poteſt. motus compeſcuit inſons
Cauſa meos, totoque mihi blanditur in actu.
Quæ nolens ſum paſſa, volens admittere coniunx
Non renuam. melius poſthac Melitæus amabit,
Oſcula nec rapiet, quæ mox libabimus ultro.
I lictor, diſſolve manus, obnubito frontem
Floribus, atque iſtam capiti ſuſpende coronam.
Sponſa vocer. celebri ſi, Collatine, piaſti
Exilio regale nefas, ſi ulciſcitur ultor
Virginiam: plures bellatrix Roma Sabinas
Prædonum in gremium vidit deſcendere nuptas.
At vos raptori, Patres, ignoſcite, ſi quid
Intumuit Cypris; ſi quid flagrantius actum,
Quam decuit. veſtris ſupplex atq; innuba virgo
Advolvor genibus. Sit fas ſanctiſſima lecti
Iura ſequi, & placido nunc conſentire marito.
Fortunam, ſim rapta, feram. cognomine pulchro
Involvam ſceleris labem. cum neſcia mentis

Ipſa ſuæ lex eſt, iudex clementior audit.
Hæc effata ſinum lachrymis implebat obortis,
Mixtaque inerrabant ſolatia multa timori.
Nec minus ambiguum diverſo iudice vulgus
Scinditur, & vadunt odia intertexta favori.
Ille ferox animi pro virginitatis honore
Verba facit, certæque probat ſuffragia mortis.
Mitior hic pœnis hominum vel ſanguine paſci
Turpe ferumque putat. diſcordes Curia voces
Edit & infracto occurſant reſponſa rigori.
Tandem legiferis ſubrepſit inertia ſegnis
Patribus, & ſtrictæ roſtris ceſſere ſecures,
Juſque datum culpæ eſt. incuſat inania iura,
Et conculcatas in ſonti corpore leges,
Et ſpretam Tryphoſa Themin. Jocaſta Menandro
Nubit, & (ô mores!) fruitur raptore marito.
Indoluit deſpectus Hymen, flammęque iugales
Defecere ſibi. viſa eſt Aſtræa moveri,
Et gladium vibrare manu. qua lance reatus
Ponderat, en, levibus ſubſidunt crimina pœnis.
Tunc medios inter Proceres miſereſcere cœpit
Conſtantis Tryphoſæ aliquis, ſociamque popoſcit
Conſortemque thori. fulgent genialia paſſim
Limina, Sponſarumque habitus, epulæque faceſque
Ocyus oblitæ irarum legiſque ſeveræ.
Formoſos religant crines, vultuſque ſerenos
Obnubunt alium prævelatura pudorem
Flammea, compoſitiſque minis iam lene canentes
Immergunt veteres in pocula plena dolores.
Gaviſa eſt omnis Melite, propiuſque procellis
Annuit, & toto ſonuerunt feſta profundo
Carmina Nereïdes. ſed grandior Amphitrite,
Dum raptum legeſque alternaque iurgia verſat,
Increpuit tetrica maleſanum voce tribunal.

CASPARIS BARLÆI CHEIROMANTIS,

SIVE

Virginis cuiuſdam, ordinis mendicantium, quos Ægyptios quidam, vulgus Gentiles vocat, (Itali Cianos, Aſiatici Sigaros appellant) & nobilis Hiſpani Matrimonium. Vbi Phyſiognomicæ & Cheiromanticæ artis, cunctaque ordinis iſtius dogmata, ritus ac vivendi ratio explicantur.

IAM nova fatidicæ ſumant exordia tedæ,
Et Peluſiacæ veniant in verba Sibyllæ,
Et terras obiens Manto, præſagaq; ſortis
Femina, & inſpectis ſapiens Ægyptia dextris.
Quas verſas, Erycina, vices? quo crimine damnas
Nobilium maleſana thoros? fœdiſq; potentes
Illaqueas thalamis, pulchroque illudis amori?
Quàm turpes arſere faces, quàm flammea tetrum
Velavere caput, quàm formidata virago
Ivit in amplexus, depictaq; fecibus ora
Et paſſo diſcincta vagans per regna capillo
Tiſiphone, dignum conſcendit ſponſa cubile,
Illuſtri dotata viro. mihi, maxime CATSI,
Sæpius attonitam veterum miracula mentem,
Et caſus tenuere truces, celebriſque ſeveris
Exemplis mulier: ſeu ſtrictas ſęva ſecures
Pentheſilea quatit, medioſq; effuſa per hoſtes
Agmen agit; ruptis ſeu fortis Clœlia vinclis
Enatat, & ſocias ducit per caſtra ſorores,

Et

Et vallos, Porſenna, tuos: ſeu Tullia demens
Improba per patrium raptat carpenta cadaver;
Aut toto ſolers Tanaquil involvitur oſtro,
Sublimis matrona animi. canit antra Calypſus
Mεonides Scyllæq́; canes fauceſq́; Charybdis
Sirenaſq́; leves & iniquæ pocula Circes,
Atq; agamemnonio maculatam ſanguine mœcham.
Quale audes, Roſimunda, nefas. ultrixq́; pudoris
Et viſi regina ſinus; quæque æmula faſces
Eripis incauto coniux Babylonia Nino.
Iſmenis irrubuit Lernæo ſanguine Dirce,
Sæva viro. Oenomao belli deterrima cauſa
Hippodamia fuit. Thebanum irata maritum
Prodidit Eryphile, Pterelamque inſana parentem
Polydice. furiis adverſa Volumnia mater
Ivit, Coriolane, tuis. quæcunque revolvas
Secula ſcrutator, magnum & memorabile nomen
Femineo in ſexu eſt. neſcit mediocribus ille
Conſiliis fatiſque regi. virtutibus omnis
Aut vitio præcellit amans. hîc omne Cupido
Explicat ingenium & gaudet ſtatuiſſe trophæum,
Huic gravis, huic facilis. ſtupuit natura furores
Ipſa ſuos turpique infames fœdere nexus
Difformeſque thoros. Tu tantis addere, Virgo,
Ordinibus famæque patens conſcende theatrum,
Et perſonato trepident ſubſellia vultu;
Seu Precioſa velis dici, ſeu priſtina ſervas
Nomina, & arcanas aperis Conſtantia fraudes
Fortunæque vices, & quicquid corpore noſtro
Scripſit adorandis Divûm prudentia ſignis.
Ibat Barbaricâ matrum comitante catervâ,
Pallarum diffuſa ſinus, Gordonna; peruncti
Dux gregis & tetricam ductabat prævia turbam.
Sordida ſubfuſcum velabant pallia corpus,

Et circum fluidis ſquallebant crinibus ora.
Huic ſuus è mammis pendebat putribus infans,
Aut matri incumbens humeris ſurgebat ab ipſis.
Huic olidus trita pendebat cantharus anſa,
Huic panda heſternam lambebant labra polentam.
Illi ruga cavam criſpabat pendula frontem.
Mucidus immundis ſtillabat naribus illi
Humor & oppletæ turgebant ſordibus aures.
Pars nudas duro firmabat frigore plantas,
Pars laceras, pars villoſas incompta trahebat
Exuvias. non hic nitidis holoſerica membris
Tegmina ſuſpendi videas, veſteſque ſuperbas
Murice vel Tyrio velamina ſplendida cocco.
Hæc annis panniſque rigens veſtigia ligno
Fulcit anus. vix hæc tunica paupercula mater
Molle tegit gremium, cuſtoſque pudoris egeſtas
Parca fuit. tales quondam Rhodopeïus Orpheus
Traxit Threïcias, furiarumq; agmina ducit
Per Phlegethontæas coniux Plutonia ſedes.
Sic Bacchas iviſſe putem, cum Mænala circum
Flexa Mimalloniis implebant cornua bombis.
Omnibus hic labor eſt, anceps prædicere verum,
Et cuivis ſua fata loqui. quacunque viator
Ambulat, horrendas præſago numine voces
Eructant, rapidaque rotant oracula lingua,
Eventuſque hominum varios, caſuſque futuros,
Quę ſunt, quę fuerant, quę mox ventura trahentur.
Ut rabie fera corda tument & pectus anhelum
Excuſſit totum lymphato turbine Phœbum;
Hæc grandes promittit opes, Pelopumque talenta,
Et faciles in vota Deos, ſecuraque vitę
Otia. crudeles aliæ Rhamnuſidos iras
Adverſumque Iovem recitant, ſterileſq; hymenæos,
Aut querulam aut multa fecundam prole maritam.

Tu

Tu Seianus eris, tu terra paupere (dicunt)
Ibis in imperium magnum, figuloque parente
Iura dabis latè populis. Te gemma beato
Æquabit miranda Gygi. tu Sylla triumphis
Tranſcendes abavûm titulos. tibi baſia figet
Regis amor, tibi fullo gravis. tu ſordida Thais
Ad coitum allicies alienos fœda maritos,
Et cœlebs bis mater eris, legeſque cubilis
Calcabis matrona ſalax. Te iuſta Superbum
Excutiet ſolio Nemeſis. te canna paluſtris
Abſcondet Marium. Tu, dux Pompeie, Photini
Enſe cades. tibi, Crœſe, rogi flammæque parantur.
Fatalis te furca manet. te gurgite vaſto
Æolus & tumidis mergent irata procellis
Æquora. quin propius vultus cum femina luſtrat;
Invenit ex altis lapſurum Elpenora ſcalis,
Invenit Andromachen, raptumque à matre miſellum
Aſtyanacta. videt mulier veſtigia fatis
Prępia, & ambigui prędicit damna veneni,
Quos enſis fodiet iugulos; quę ſica tyrannum
Expectet, quæ pœna reum, quique Hectora currus
Hippolytumque rotæ rapient. quo ſidere quiſquam
Auſurus ſit quodq́; nefas. quem ſera ſenectus
Spectatorem operum multorum reddet, & annis
Sufficiens vix vita ſuis. Tithonia narrat
Secula Neſtoreoſque dies. huic contrahit ævi
Curriculum, terris quem ſolum oſtendere Parcæ
Immites cupient, nec ſpes implere ſuorum.
Ambulat has inter charæ Virguncula matris
Depoſitum, quam dum centum vaga permeat urbes
Dux turbæ Gordonna, choro permiſcuit iſti,
Et patriis audax tectis avertit euntem.
Illa novæ patiens ſectę, dociliſque, furores
Hauſit & ingentes artes; potuitque iuventus

Mag-

Magna loqui & veris rimari ſingula cauſis,
Ingenio monſtrante viam. non forma decuſque
Deerat, in humidulis vernabat gratia labris,
Et lepor in verbis inerat, blandumque loquendi
Pondus & attonitas aliquid quod flecteret aures.
Os humeroſque Deæ ſimilis venerabilis ibat
Terribiles inter matres; & lurida quamvis
Egregiam pingui faciem turpaſſet amurca,
Emicuit gradientis honos, frontiſque venuſtas
Ardua & amoto generoſa modeſtia fuco.
Quin omnis ſecura thori, fraudiſque dolique
Neſcia, non veræ fruitur ſermone parentis;
Et rerum ſecreta capit; quæcunque ſub antris
Mugiit & Phœbi quondam cortina recluſit,
Euboicuſque pater; quicquid Caſſandra ſcienſque
Carmentis Latium docuit, vel filia grandis
Tireſiæ, vitreoque furens ſub gurgite Protheus.
Noverat & quicquid Thuſcus ſcrutatur aruſpex;
Interpreſque Tages Superûm; venaſque calentes
Fibrarumque edocta ſitus, aviumque volatus,
Signabat motus volitantis in aëre pennæ.
Quicquid in humanis Superûm ſapientia membris
Abdiderat, potuitque loqui pars quæque tacendo,
Gnara aperit; ſorteſque notat facunda futuras
Garrulitas; dictant graciles portenta figuræ,
Inque ſuos corpus mores aſtuta reſolvit.
Principiò ſeptem radiantia ſidera luſtrat
Orbibus, erranteſque Deos, Solemque Iovemque,
Saturnumque patrem durique habitacula Martis,
Infauſtaſque domos Lunæ, celebrataque mille
Tecta dolis, quę mercator Cyllenius altè
Incolit; & qua ſe cœli ſtatione tuetur
Vecta Dionæis petulans Citherea columbis.
Hæc aſtris ſuppoſta videt, coëuntia fixis

Lu-

Lumina luminibus; nunc occurſantia rurſum,
Adverſaſque faces facibus. conſpectibus iſtis
Gaudet & immenſos diſtinguit vultibus orbes.
Morbos Cancer alit, trux aſperat ira Leonem,
Emicat in Tauro probitas, & dedita ſacris
Relligio veneranda ſuis. felicia prolis
Signa, favens cauda, portendit matribus ardens
Scorpius, atque ipſo fecundi frigore Piſces.
Sub Geminis pulchro donat nos corpore Titan,
Tyndaridiſque facit ſimiles. ſub Virgine docti
Naſcimur, & criſpo prudentia multa capillo
Tuta latet. fidos Aries largitur amicos
Proſcribitque malos. appendit Libra labores
Ærumnaſque graves. acuunt ſtudioſa Sagittæ
Pectora, & egregiis victuros artibus implent.
At Caper impuros animis inſtillat amores
Corniger, & vetitis urit præcordia flammis,
Emollitq; viros. irrorat Aquarius annum,
Et faciles primis mores natalibus infert.
  Hæc ait, hæc didicit vafra præeunte magiſtra,
Sic recitat Precioſa Deos, totuſque puellam
Zodiaci labor exercet. Mox noſtra pererrans
Corpora, formarumque modos, habituſque ſonoſque,
Hæc probat, hæc damnat. pars noſtri quælibet illi
Fit ſchola, & articulis myſteria carpit ab ipſis,
Et ſummo præcepta ferunt à vertice tali.
Frons anguſta cui eſt, & plus contracta, Corœbi
De genere eſt, fatuique ſatus de gente Meneñ.
Longa ſapit; ſublata nimis vel turgida, fallit.
Sed rugoſa gravem curis vafrumque rotunda
Arguit; & lætis donantem vocibus, ampla.
Grande ſupercilium tumidos, piloſaque balbos,
Immundos protenta notant. cui triſtia torvum
Ora vident, animam tacitis ſervare videtur

Con-

Conſiliis; fraudeſq; ſuas macilentior abdit.
Plana cui multum facies, certamina, rixas
Litigioſus amat. cui plus carnoſa, venuſtus
Eſſe cupit faciliſque puer. quadrata diſertis
Auricula eſt, ſtultis parva, imprudentibus ingens,
Flaccida degeneri, nitide purgata peritis.
Nec patulæ ſervant audita fideliter aures.
Plurima vis oculis. dixit Precioſa, probari
Humidulos hilareſque ſibi, fixoſque doloſo,
Fallaci glaucos, prægrandes eſſe voraci,
Attentis ad rem modicos. tremuloſq; vagoſque
Arentes, altè merſos, caligine ſeptos
Vult non eſſe bonis. laudat ſublime tuentes,
Nictantes in amore, truces ad bella paratos.
Omen habet naſus. bilem demonſtrat acutus,
Craſſus depreſſuſque malos; vicinior ori
Magnanimum, ſimus Venerem; ſed nare rotundâ
Attonitum, diductâ alacrem, ſolidâque ferocem:
Os latum bellacis erit, vaſtumque loquacis,
Melleaque è parvis manat facundia labris.
At quoties dentes attollunt labra canini,
Illa parum fidos memorat; cumque aſpera vox eſt;
Hic, inquit, nugator erit; cum blandula, terris
Altera Meſſalina redit; cum tarda, remiſſus
Cunctator; cum dura, ferox. cervicibus altis
Adſpectat pavidos, craſſis bardoſq; rudeſque
Difficileſque ſibi. curtâ temerarius audis,
Sordidus incurvâ. lævum cum pendula vergit
In latus, es petulans; dextrorſum flexa, modeſtus:
Laudabat pectus magnum, mammaſque fluentes
Leniter, & ſtricti ſub pectore ventris honorem.
Longaq; dum præfert ſuccinctis brachia, narrat
Pingues eſſe manus furum, vafriq; puſillas.
Cum pedibus furę turgent, inviſa notatur

Aſperitas; cum ſubtilem ſe tibia verſat,
Mens hebet. in pando generoſum tergore robur
Hæret, avarities curvo. Tu Zoile, toto
Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus
Haud bonus es. parvos humiles, rufoſque fideles
Eſſe negat. nitidis ubi ſurgit denſior ordo
Dentibus & ſpiſſo manducant agmine fratres,
Neſtora deſignat. cum rarius adſpicit agmen,
Lanificas perhibet præcîdere fila ſorores.
Iupiter humanos, genus intractabile format
Falciger, audaces Mavors, molleſque Dione,
Infelix Phœbo eſt. ſapiens natura caveri
Signatos monet. Hæc parvo Virguncula vendit
Ære viris. hæc femineis præſagia turbis
Ingeminat repetitque iterum. narrantis ab ore
Dependent paſſim pueri innuptæque puellę.
Inde artem Manus una facit, conſpectaque gignit
Dogmata, fatidicaſque legit Memphitica ſortes.
Palma docet. dant ſigna volę. ſua munia pollex
Exequitur; legeſque capit, qui proximus illi
Indicat. eſt mediis etiam connata poteſtas,
Eſt quarto minimoque fides. hos pręſcia veri
Cheiromantis amat. pugnus, iunctura, manuſque,
Monticuli tot pondus habent. hæc linea vitę
Dicitur, hæc hepatis, Martiſque triangulus illis
Clauditur. hæc eſt Menſa manus. Si linea vitę
Longa colorato ducat veſtigia fuſco,
It nobis longęva dies. Secat Atropos annos
Ocyus, atque actę per mille pericula luces
Incuſant Superos, brevibus ſi linea gyris
Hic illic diſciſſa fluat. ſi ſtricta vagetur
Inque ſinus abeat medios, mens provida recti eſt.
Si pallens, ſi lata, dolet ſe gnava jacere
Sedulitas, totumque imbellis inertia corpus

Frau-

Frangit & in ſtupido mens inconſulta cerebro eſt.
In miſero ter ſecta via eſt. in Thaide crux eſt.
At quæ per mediam naturæ linea palmam
Tenditur, & nullis horret diſſecta figuris,
Incolumes nos eſſe ſinit. quæ parvula quando eſt,
Immemorem culpat. ſunt quæ ſuſpendia ſignant,
Quæ fluctus pelagique minas, quæ toxica, morbos,
Vulneraque & diro minitantes enſe latrones.
Peſſima nodoſa eſt, ſed cædibus horrida livet
Rubra manus. donec Menſæ ſe linea pandat
Longius & robur membris iuvenilibus addat,
Iraruinque faces. eadem rubicunda maligni
Delatoris erit. ſed rectis prædita ramis
Regum apices tituloſque Ducum trepidaſque ſecures
Et faſces humili ſpondet. cum linea triplex
Permeat hanc, lætæ dictat præconia mentis,
Et iuſti ſtudioſum animum, pectuſque pudicum,
Veſtituſque graves & factum corpus ad unguem.
At quibus illa deeſt, duræ inclementia mortis
Portendit turpes obitus, gladioq; ſecandum
Terribili lictore caput. ſorte illa Cethego
Defuit & Gracchis inconſultoque Philotæ.
Has inter variis ſerpit ſucceſſibus anceps
Linea Fortunę, miſcetque adverſa ſecundis,
Opprobrium decori, fera, deſultoria, fallax,
Noxia, nec cœptum conſtans ſervare tenorem.
Nec minus & Reſtricta valet, vicinaque carpo
Pars devexa, triplex quam pingens ſtella labantis
Oſtendit famæ precium. progreſſa ſub ipſum
Grande Iovis tuber, dominum diſcrimine grandi
Mactat, & infelix caſus, Germanice, monſtrat,
Vel, Dolabella, tuos. cum Solis linea montem
Bis tranſverſa meat, Reſtrictæ ab origine, rerum
Magnarum geſtator adeſt, qui pondera regni

Suſtineat prudens & tanta negotia ſolus.
Obſtupuere viri concluſum in pollice fatum,
Et ventura loqui digitos, nexaſque potenter
Sideribus cœloq; manus. namq; ordine nullo
Cum fiſſura frequens celſo ſe pollicis effert
Collo, ſalax Cleopatra venit, vel Julia peior
Adſtat, & in quoſvis ardeſcens Flora maritos.
Cum tumuli læves ſpectantur in Indice, virtus
Emicat ingeniique decus. cum ſectio craſſa
Lucidaq; hunc dirimit, primi ſuſpiria partus
Aſperat & gratos tardat Lucina dolores.
Adde cruces, ſpes eſt ut ſacros purpura honores
Nunciet, & triplicem merearis Papa coronam,
Ac ſupplex te Roma colat. Iovis ille voluptas
Et ſtatio eſt digitus. Medio ſtat ſævus & acer
Falce ſenex, colleſque ſuos crudelius orbi
Explicat, indiciiſque riget; tuberque ſeverum
Saturninus habet, pravaque ſub indole trux eſt.
Ille beans thalamo digitus connubia Phœbo
Devovet, & ſulcos pallentes odit; & ora
Facundis aperit, quoties hîc linea Menſam
Radit, & haud longis pervadit proxima filis.
Denique qui minor auriculas & tempora ſcalpit
Mercurio ſacer, à verrucis liber & expers
Squalloris fœdæq; cutis, conſtantibus armat
Exemplis ſtudiiſq; viros. Hæc omnia Virgo,
Hæc docuit Precioſa Tagum Bætimque graveſque
Aſturas. has audis, felix Hiſpania, voces.
Illa laboranti cauſam perſæpe puellę,
Occultoſq; ignes, & quos Galatea furores
Diſſimulat, ſapiens aperit, iuvenemq; furentis
Advocat in gremium, & caſto adblanditur amori.
Illa malas ſociarum artes, fraudeſq; doloſque
Caſtigat, cœciſq; alibi defoſſa recludit

Fur-

Furta locis, raptiſq; frui formidat honeſta.
Moribus ars precium, mores erectaque virtus
Addebant arti precium, ſociataque pulchrè
Vis animi vitæque decor fulſere decenter.
Fortè pruinoſas præſes Gordonna per herbas
Et valles colleſque inter conſederat. altè
Dives ubi virides proſpectat Murcia campos,
Et Seguram Staberumq; bibit, pelagoque ſonorum
Obiectat ſecura latus. conſederat una
Feſſa viæ Precioſa, & dum pars magna ſororum
Concipit ignavum per marcida membra ſoporem,
Pars tenui reficit confectum corpus oliva:
Illa per irriguo veſtitas gramine terras
Mollia textilibus nectit violaria ſertis,
Roranteſque roſas, floreſque ignara maritat,
Præluditq; thoro. mox tinnula ſiſtra peritâ
Percutit ipſa manu, latrans quæ poſſit Anubis
Mirari, Iſiacæ quoties ſacraria Divę
Pandit & erecta veneratur mentę ſacerdos.
Vox concinna ſonans numeris difformibus aptat
Docta modos, propriiſque attemperat organa mirè
Cantibus, & Superis venerandos accinit hymnos.
Conticuit nemus omne, & circum attenta ſtetere
Numina Hamadryades, Fauniſque fugacibus hæſit
Impetus. adverſis ſonuit convallibus Echo,
Et rediit reditura iterum. dulcedine captę
Lentius ex altis ſalierunt fontibus undę.
Non aliud melos Amphion, non ſuavius olim
Biſtonius cecinit vates, cum redderet orbi
Coniugis Eurydicæ manes. non doctior illâ
Arte fuit, vel, quem vexit delphinus, Arion,
Vel cui multifori cecinit Pan tibia buxo.
Ipſa lyrę citharæq; potens per cymbala velox
Præcipites egit digitos; & gnara canoram

Ad choreas inflare tubam, nunc barbita pulſat,
Nunc modulos reddit media inter pocla monaulo.
Tympana nunc, variis modò ſurgens fiſtula cannis
Advocat agricolas. etiam crotaliſtria ludit,
Cum cupit. at potior cunctis argutula vox eſt,
Qualis non hominum, ſed vox ſolet eſſe Dearum.



Audiit hæc veniens blandæ modulamina vocis
Nobilium de ſtirpe aliquis. quem collibus actum,
Dum cervos curſu ſequitur venator anhelo,
Huc ſua ſors, vel truſit Amor. dumque adſpicit omne
Agmen & intento perluſtrat lumine cunctos, (hunc
Quod genus hoc hominum eſt? inquit. quę barbara morem
Produxit regio? matres puerosque vagari,
Neglectos errare viros, vix corpora pannis
Pallioloque tegi, vultus ferrugine tingi,
Impexas fluitare comas. ſic iſſe furentem
Fa-

Fama fuit Cybelen, Phrygiaſque per oppida matres,
Et rabidas duxiſſe nurus. non una Megæra eſt,
Plurima Tiſiphone eſt. caput hoc crudele Meduſæ eſt.
Ille virum facie deformem Prothea reddit,
Therſiten magis ille. iacent, quos corpore claudos,
Quos genuit natura breves. hîc luſca Philene eſt,
Gellia rufa, loquax Phryne, ſtat calva Marulla.
Gibboſum video Galbam, cervice recurva
Zeuſippum, & parva Zenonem fronte reductum,
Chryſippum ſtrictis digitis, laxiſque Cleanthem.
Dum videt atque oculis Pharia agmina circumſpectat,
Apparet Precioſa viro. vox faucibus hæſit,
Arrexitque comas ſtupor. admiratur euntis
Lene gradum, raræ fulgur venerabile formæ,
Flammanteſque oculos & membra decentia, pondus
Eloquii nectarque merum, modulamina, luſus,
Ingenii vernantis opus. pulcherrima non iam
Antiope fuerit, Spartanaque laudibus infra eſt
Hermione & claris Candaulis nupta tiaris.
Ut vidit, iam totus amat. non retia cordi,
Non ultra phaleratus equus. mens priſca receſſit.
Dat veniam iaculis; ſubitò miteſcit amando,
Erectus laſcivit apex, vitæque prioris
Horror abit. non cura canum eſt, non rura viaſque
Scrutari, qua cerva abeat, qua ſpargat odores
Dama graves. totum iuvenem regina Dione
Occupat, atque ſuo iammox ductura triumpho,
Vulnerat & cordis telum penetralibus infert.
Sed poſtquam cœpit fari, & confeſſus amorem
Ore fuit, tantaque optat Iunone potiri:
Reſpondit Precioſa: Mihi vix nubilis ætas
Labitur, & Paphiis minus apta puertia curis.
Mater ero, matri quam fas parere? cubili
Ingerar, imperii patiens? & nata parentum

Obſequio, mandata loquar? ne tempora, quæſo,
Ærumnis præverte ſuis. hæc federa adultas,
Illa nurus grandeſque decent. quin ſæva pudoris
Sum cuſtos vindexque mei. tibi fortè voluptas,
Poſthabita probitate, placet, ſurreptaque furtim
Baſia. nobilitas quales effrenis amores,
Inferior virtute, probat. Te celſa poteſtas
Erigit atque attollit humo; me fata minorem,
Me vatem fecere Dii. tu ſanguinis ortu,
Tu generis ſplendore potens illuſtrior exſtas.
Eſt genitrix contempta mihi, contemptior ordo,
Has ſocias, has conſortes venerorque coloque
Sordida. Tu molli vivis laſcivior aula,
Tu ſpumantis equi exerces calcaribus armos,
Pulchraque magnanimi moderaris frena caballi,
Tu frameas haſtaſque quatis: mihi conficit ævum
Fatiloquæ doctrina manus, & ſcripta figuris
Sors hominum. nunc lætum aliquid, nunc triſte rogata
Eloquor, & gracili ſolor mercede laborem.
Sunt aliæ innuptę & vitæ florentis Iberæ,
Nobilitate pares. mihi fuſca coloris imago eſt,
Coctaque ſum Solis radiis & turpis olivo,
Tu niveo candore nites. ego Cynthia credor,
At tenebris oppreſſa ſuis. tu Cynthius ora,
Tu melior vultus aperis, quos neſcia legis
Indulſit natura meę. tibi vita laborum
Plena, mihi tranquilla fluit. me damnat egeſtas,
Maieſtas te tollit opum. concordia lecti
Nulla foret, tam diſcordi ſub iudice rerum.
Ille verecundæ placidiſſima verba puellæ
Hauſit, & ut dubiam vota in contraria mentem
Flexit, & hinc generis decus & præfulgida volvit
Stemmata, nataleſque ſuos; hinc vincula gentis
Barbaricæ, rituſque truces, & pauperis Iri

Rel-

Relliquias, Cynicæque affinia dogmata ſectæ,
Tandem ait: Heu quò non mortalia pectora cogit
Imperioſus amor! quæ non connubia nectis,
Iupiter! hanc ſi vel cupiam non velle, iuberes
Me, pharetrate, ſequi. ſtringunt me lumina captum,
Stringit lingua, pudorque decens, frontiſque decora
Cæſaries, vinctum pars pertrahit omnis amantem.
Eſtque aliquid, quod amare facit; quod ſentit amator,
Nec, quid ſit, memorare queat. Me reſpice, Virgo,
Non veni intactum famæ rapturus honorem,
Non ſceleri involvam tedas. meliora petuntur
Federa, nec ſævi flammas patiere mariti.
Coniuge dotari cupio, non virgine rapta,
Ne mihi diſpliceat vitio maculata feroci
Integritas & iniquus Hymen. En, dextra fideſque
Coniugis, & noſtri non lævum pignus amoris
Annulus, Eoa radians ab iaſpide munus.
Nec minus apta thoro iuſtis tibi vernat ab annis
Virginitas. tenerum tibi præcox flamma pudorem
Sollicitat, poſſitque virum perferre iuventæ
Succreſcens vigor. his Thyſbe nuptura ſub annis,
His Sappho periere. ſenis deſpecta puellæ
Gratia. commendat novitas & nata recenter
Pubertas. Sic vere novo decerpitur inſons
Floſculus; & prima ludunt cui cornua fronte,
In vitula ſe prodit amor. quid ſtemma genuſque
Obiicis? hæc tua ſunt. noſtro dotabere ſponſa
Sanguine, nobiliumq; tibi tranſcribet honores
Lex thalami. ſi pauper eges, me coniuge, mecum
Dives eris. potuit mitratis ruſtica Phyllis
Arriſiſſe Deis, regumq; cubilia ſcandit
Felix pauperies. imbelles inter Achilles
Nevit fila colos, magnoq; adamata fuere
Rura Panomphæo. nulla eſt, in amantibus æquè,

Diſparitas. fiunt ſimiles, quos corpore iunctos
Lectus habet. cunctos confundunt oſcula mores,
Nec feſtiva ſuos Cypris diſtinguit amantes:
Hæc ubi fatus erat, primo ſuſpirat amori,
Inſolitaſque ſuis ſenſit Precioſa medullis
Exarſiſſe faces, totoque incanduit ore,
Admiſta geniale fovens formidine votum.
Tum verò Gordonna gravis, cui credita cura
Virginis, acceſſit; paſſuque ſuperbior adſtans,
Infremit, invalidis anus enervata lacertis,
Callida, marceſcens ſenio, rugoſa, tremenſque.
Utque pererrantes per ſquallida colla capillos
Diſpoſuit, ſic orſa loqui eſt: quid talia demens
Moliris, ſpecioſe virûm, cœcoque furori
Indulges? compone animum, propiuſque voluta
Dura rudimenta & noſtri decreta Senatus.
Si Precioſa placet, talis ſi poſcitur uxor,
Talem te fieri fas eſt. hæc regula vitæ
Amplexanda tibi, parendum legibus iiſdem
Obſequioque pari. Solem, vaga ſidera, noctes
Didicimus brumamque pati. per regna vagamur
Omnia, nec certa Nomades regione moramur.
Omne ſolum nobis patria eſt. non ſufficit Afer,
Non Aſiæ ſtamus ſpatiis. Europa colonos
Excipit ampla ſuos. toto diſcurrimus orbe,
Cum Phœbo mutamus iter. ſunt oppida & urbes
Arcta nimis. norunt palantes Gallia cœtus,
Auſonius, potor Tameſis Rhenique bicornis,
Græciaque, & cunctis noſtri celeberrima terris
Fama viget. nulla eſt nobis diſtincta peculî
Cura, bonis fruimur pariter communibus. omne
Quod lucramur, habet quiſquis. lis nulla movetur,
Nam res nulla mea eſt, nulla eſt tua. credimus omnis
Iniuſtè nobis naturæ dona negari.

Quic-

Quicquid alit tellus, nobis alit. arbor agerque
Omnibus ex æquo conceſſę munere Divûm,
Publica ſunt undæ, famulantur flumina cuivis,
Squamigerumque genus, nec ſolum publicus aër.
Carpimus iniuſſi pendentia ab arbore poma,
Sunt etiam noſtræ meſſes, quantum indiga victus
Turba ſumus, cur non nobis bos feſſus arando
Mugiat? aut lanas ſolis ac vellera ſceptris
Donet ovis? mundi dominos Deus ille Deorum
Conſtituit, quoſcunque creat. quod poſſidet alter
Eſt uſu fructuque meum. qui primus avaras
Poſſeſſor diviſit opes, in commoda raptor
Publica peccavit. damnamur crimine furti
Inſontes. Sibi quiſque petit, quæ pluribus æther
Conceſſit. quid enim? Rex Iupiter omnibus idem,
Et Iove non alio nati, nutrimur eodem.
Vita proba eſt, thalamique fides conſtanter amatur
Coniugibus. ſparſas Veneres & pocula Circes
Odimus & quotquot venerandi federa lecti
Audaces violant. qui fecerit, hoſtia cunctis
Mactatur, iuguloque luit. non vincla, cataſtę,
Non vexat tortura reos, laqueique trabeſque.
Virgo vices lictoris obit, ſontemq; trucidat
Ocyus & pœnas ſcelerato à ſanguine ſumit.
Nulla levat noſtras veſana ſuperbia mentes,
Luxus abeſt, livorq; malus, parvoque potentes
Inſidas ridemus opes. non bella, triumphos
Quærimus, aut diris læſi concurrimus armis.
Non dubios pelagi tractus fluctuſque ſecamus
Lucripetæ. nulla eſt magni cuſtodia cenſus.
Non hîc antè diem tardantis buſta ſenectæ
Præveniat votis ſoboles, non quæritur hæres,
Non gravis eſt Quæſtura viris, non grande talentum
Poſcitur, aut timidis congeſta pecunia ſaccis.

Pau-

Paucula ſufficiunt, ſordet quæſita ſupellex,
Et pompę decor. hæc nobis velamina fulgent
Splendidius, laceras lampas Phœbeïa veſtes
Clarius illuſtrat. nullis æraria furtis
Noſtra patent, vacuæ coram latronibus imus.
Non animos mœror, non ſpes incerta fatigat,
Non angunt metus, & ſemper ſitibunda futuri
Vota. ſed ut tenui paſcuntur rore cicadæ,
Floſque bibit pluviam, ſecurę vivimus illis,
Quæ ſors cunque dedit. non duram vomere glebam
Scindimus, aut rigido Veſtam laceramus aratro,
Non occat manus. Et tantorum ignara laborum
Gens, Cereris nunquam vel puri fontis egemus.
Dum diverſa placent aliis, huic ſanguine livet
Dextra ferox, ſalſam bibit horridus Amphitriten
Navita, venator ſilvas indagine cingit;
Dum ſuus agricolis labor eſt, terramque fatigant;
Nos cœlo cœliq; plagis Superiſq; vacamus,
Pronaq; ſpectamus nobis erronibus aſtra,
Et quid quodq; ferat, membris ſcrutamur in hiſce,
Ac circumducti vires venamur Olympi
Exigua ſtatione manus. Si talia cordi
Dogmata ſint, ſi priſca placet, ſecuraq; Chriſti
Relligio, centumq; Joves, cultuſq; Deorum,
Uxor erit Precioſa tibi; ſed compare lecto,
Sed ſacri ſub lege thori. ſin fallere mens eſt,
Raptaque virginitas poſſit placare furentem,
Dîque Deæque omnes & conſcia numina perdant
Fedifragum, manibuſq; malus lacerabere noſtris.
Toxica te Neſſi tollent, vel tela ſequentis
Herculis, aut propria ſatiabere prole Thyeſtes.
Nec veluti Phrygius penetrat Lacedæmona paſtor,
Hanc patrias Helenam ſoſpes vectabis ad arces.
Dixerat. at ſublimus equo & conſpectior Heros

An-

Annuit. Hunc, Gordonna, tuæ iam gentis alumnum
Accipe, ait, veſtris iuvenem me ritibus omnes
Imbuite. ô domus, ô tellus, patriiq; valete
Dilectiq; Lares. tecum, Precioſa, vagari,
Tecum vivere amem. tecum per devia raptus
Sub Cancro cernam Meröen, ſub Piſcibus Iſtrum.
Quæ mihi relligio eſt, cupiat latuiſſe. priores
Diſſimulet Cytherea Deos. tibi corpus, Olympo
Ah victam, ſacrabo animam. violenta putanda eſt,
Sic præſcripta fides. minimum peccabitur, acer
Cum leges extorquet amor, rectorque Cupido.
Hæc ubi fatus erat, nuptis clamore ſecundo
Applauſit trux turba novis, faſtuque remoto
Strinxit Acidaliis genialia corpora vinclis
Improviſus Hymen. non iam generoſa frementis
Tergora ſcandit equi, pedibus per iugera nudis
Ambulat. Attalico non fulget Sponſus amictu,
Non pharetram geſtare libet, non balthea pendent
Ex humeris, capuliſque inſculpta minacibus horret
Gorgonis effigies propriiſque aſſibilat hydris.
Degeneres Iuvenem tunicæ, diſſectaque velat
Ad talos demiſſa ſtola & malè pendula palla.
Ungitur, & veteris proſcripto nominis uſu,
Andreæ iam nomem habet. per rura, per urbes
It iuxta ſocius, Furiarumque agmina ductans
Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis.
Dic mihi Calliope, quo numine reddita matri
Mox fuerit Precioſa ſuæ, clauſumque tenebris
Damnatumque, prius, patriæ, populoque ſuiſque
Reddiderit fortuna virum; quo prodita fato
Facta fuit ſupplex raptæ Gordonna puellæ,
Dicite Pierides, tantiſque oſtendite finem
Motibus, & feſſo numeros præcidite vati.
Errabat mutatus Iber, quà fera profundo

Ex-

Extollit Carthago caput, Balearica ſpectans *
Æquora. cui læto occurſans Virguncula greſſu,
Dum dignos propius generoſo ſanguine vultus
Adſpicit, occultam ſub pectore gliſcere flammam
Senſit, & ut ſenſit, culpam laſciva fatetur.
At fidei memor ille ſuæ, lectique piæque
Coniugis, inſanam dictis caſtigat amantem
Integer, invictaque preces probitate repellit.
Cum virgo ſpretos verſans crudelis amores,
Hæc ſecum: Si non potui te blanda potiri,
Ulciſcar mea probra dolis. convertar ad artes,
Et fiam Stenobæa ferox, terriſque redibit
Altera Phędra meis. Sic fata, monilia, baccas,
Sericaque & chlamydes per cæca ſilentia noctis
Tollit, & Andreæ (ut poſſent ſurrepta videri)
Ignara ſub veſte locat. ſimul acta per urbem
Bacchatur, civeſque ſuis clamoribus excit,
Donec furta viri rigidè diſcuſſa ſupellex
Oſtendit, viſuſque fuit peccaſſe viator.
Non tulit impatiens læſæ diſpendia famæ
Inſons nobilitas, infeſtaque militis arma
Dum patitur, ſtricto præcordia verberat enſe,
Immemor imbellis ſectæ. graſſatur in omnes
Lictor atrox, duris conſtrictus brachia nodis
Ducitur Andreas. capitur dux femina cœtus
Gordonna & charo Precioſa avulſa marito.
  Adſpicit hanc, quę mater erat, ferventius uxor
Iudicis, atque oculos nunc huc, nunc proiicit illuc;
Quamque videt, timet eſſe ſuam. ſe ſentit amare,
Nec tamen hoc audet. non vultus, non color unus,
Non eadem manſit vox interrupta parenti.
Ut cœpit Precioſa loqui, magis illa moveri,

* Carthago hæc caput eſt Murciæ. Hodie Cartagena. Voco Seram, ad differentiam Veteris Carthaginis. Hæc Nova dicta fuit.

Mi-

Mirari & tacito percelli verbere pectus.
Nunc levis attonitæ ſubrepit opinio menti,
Speſque fovet repetitque ſuas. nunc preſſa reſedit
Credulitas. præbent iterum fomenta puellæ
Forma, decus, maiorque ipſo reverentia ſexu.
Ambigit, ambiguęque gravis dubitatio matri eſt.
Nunc oculos, nunc illa genas, nunc brachia tractat,
Et veluti clauſos inimico vimine pullos
Circumcurſat avis, Precioſam neſcia veri
Mater obit, grandique comes malefida ſtupori
Suſpicio eſt. fugit ægra dapes, palatia, rarus
Sollicitæ invitat vigilantia lumina ſomnus.
Luctus acerbus adeſt, teſtantur verba dolorem,
Ora madent lachrymis, deſtillans ubere ſanguis
Progeniem ſobolemque notat. quàm plurima pernox
Cogitat & veteres raptæ reminiſcitur annos.
At Gordonna gravi iamdudum percita curâ
Hæret in ancipiti. nec quid faciatve vetetve
Invenit. hinc ſcelus & raptus audacia terrent
Exanimem. hinc triſtis miserandę ſcena parentis,
Et natæ ſuſpenſus amor ſperare fatentem
Et fraudes aperire monet. iamque ægra, fatiſcens,
Et dubiæ ſupplex genibus proiecta parentis,
Hæc ſoboles tua, Mater, ait. gaviſa teneto
Progeniem. affirmo, genitrix; deſiſte vereri.
Da veniam culpam faſſæ, miſerere precantis.
Me me, adſum quæ feci. in me converte furoris
Tela tui. vel ſi precibus clementia flecti
Se ſinet, hoc oro, extremæ placare ſenectæ.
Adſpice detractam iuvenili vertice baccam,
Adſpice fulgentes per colla argentea gemmas,
Adſpice, qua quondam religaſti ſindone crinem,
Cum raperem. ſunt iſta tuæ certiſſima prolis
Pignora, quæ monitis adolevit pronuba noſtris,

Et thalami conſors digno ſociata cubili eſt.
Ut dixit, rerum facies mutata repentè eſt,
Non matris titubavit amor; complexibus hæſit
Filia: quas luctus lachrymas, nunc gaudia cunctis
Extundunt: dicta eſt vero Constantia paſſim
Nomine, nec Precioſa fuit: laxata marito
Vincula: nobiliumque domus patuere genuſque
Et proavi: veniam meruit Gordonna; noviſque
Lætius auſpiciis clari coïere penates.

CASPARIS BARLÆI
Virgo 'Ανδροφόρος, ſive
EMMÆ, Caroli Magni filiæ,
EGINARDUM
Scriptorem, amaſium ſuum, humeris portantis, fata & Nuptiæ.

POST domitas Alpes debellatoſq; potentis
Inſubriæ Latiique Duces, pulſaſq; ferocis
Relliquias Totilę; cum latè Sequana terris
Jura daret, fractumque ſuis compeſceret armis
Saxona, Pannonioſque truces Iſtrumq; Savumq;,
Et victus CAROLO faſces ſubmitteret orbis:
Riſit Amor Veneriſq; puer, quatienſque pharetram
Et mihi ſunt faſces, inquit, mundiq; poteſtas
Francorum cum Rege mea eſt. hæc tela faceſque
Sceptra domant, regumque mei penetralibus ignes
Luxuriant, teneroſque ruens bellator in annos,
Virgineos mihi ſubdo ſinus; mitrataq; cogo
Colla Cupidineæ leges perferre tiaræ.
Nos quoque, nos Caroli ſumus, & non diſpare fato
Regnamus, quacunq; libet. ſi nomina Magni
Victores iactant populi, maiora meremur,
Maius opus princeps moveo. ſi barbarus Hunnus,
Si Gothicæ ceſſere acies & Gallica gæſa

Vandalus, & Myſis timuit trepidantibus Albis;
Sentiet aula meæ facinus memorabile dextræ,
Sentiet EMMA dolos, & fraudibus apta patebit
Virginitas auguſta meis, generoſa virago
Nubet & inſani ſpecimen ſe dicet amoris,
Veraq; ſcribetur victuris fabula faſtis.
Partiar illuſtres magno cum patre triumphos,
Dumq; illi longo devictæ ex ordine gentes
Obſequio ſe quæq; probant; mihi regibus orta
Progenies regumq; ſoror, celebriſque Pipini
Claraque Martelli neptis ſtipendia lecti
Solvet, & imperii maieſtatiſque ſuorum
Immemor, exuto quæret furtiva pudore
Oſcula & indigni calamum ſcriptoris amabit.
Quàm riſi, cum pulchra Craten Hipparchia coniux
Poſceret, & fœdi placuiſſet gratia gibbi,
Decrepituſque ſenex. quàm me moderante Menander
Evaſit crudele forum, gladioſque ſevera
Diſcuſſit Tryphoſa tuos. quàm bella coëgi
Corpora, cum rigidis Precioſam duceret Aſtur
Legibus, & lacerâ erraret per compita pallâ,
Ignarus priſci decoris. Nunc regia Virgo
Concipiet flammas; noſtriſque arſura favillis
Implebit terras famâ, documentaque mundo
Certa dabit, quàm nil timeat ſecurus honorum
Et recti contemptor amor, centumque libido
Nixa dolis. hæc fatidicæ ventura ſorores,
Iſta trahent tetricæ fatali pollice Parcæ.
Pax erat, & læto regnatrix Gallia vultu
Se poterat dominoque frui; cum feſta per aulam
Apparat ingenti Princeps convivia luxu,
Totaq; nobilium reſonant palatia plauſu,
Magnificas ductura nurus. Mavortia nuſquam
Signa, ſed Attalicis ſternuntur limina menſis,

Et

Et cunctos laxat maieſtas prodiga faſtus.
Non hic thoracum umbones, non fulgere cernas
Terribiles circum clypei ſeptemplicis orbes,
Non gladios ſtringit bellax vagina minaces.
Omnia proſcribunt proceres, in gaudia ſolvunt
Ignavos animos, horrendaque claſſica lenes
Demulcent citharæ, lituoſque obtundit & æra
Blanda chelys, pleniſque madent crateribus arma.
Sic, ubi iuratos cœlum reſcindere fratres,
Enceladum, Typhœa ferum, Briareaq; dirum
Reppulit ira Iovis; toto ſe lætus Olympo
Explicuit pater ipſe Deûm, curaſque metuſque
Titanumque minas hilari diſſolvit Iäccho.
Mille modis gaudent populi, procerumque ducumque
Diluitur riſu gravitas. ſuſpenſa ſuperbis
E dapibus vexilla volant, quibus aſpera belli,
Proſtratas Soraborum acies, arcuſque, ſagittas,
Oppida capta manu, raptoſq; ex hoſte penates
Pinxerat ingenioſa manus. Mox atria cernas
Larvatis trepidare viris. hic ſævus Achillem
Exhibet & fictâ Atridem trux adſpicit irâ.
Ille refert Pyrrhum & flammantes luminis ignes
Torquet in Andromachen: qualiſque animoſior olim
Graiugenûm accendit latè per littora claſſes,
Hector adeſt, quaſſatque faces. it lenior illis
Antenor comes, atq; humeris pia pondera geſtans
Troïus Æneas. ſequitur deſerta Creüſa
Aſcaniuſq; puer, ſcelerumq; inventor Ulyſſes,
Palladium dextrâ attollens. cui proximus Aiax
Arma videbatur frendens ſibi poſcere magni
Æacidę, ſævuſq; loqui. pulcherrima venit
Tyndaris & iuxtà gradiens famoſus adulter,
Attrituſque malis Priamus; Caſſandra prophetans,
Et nimium infelix Hecuba & Sichæia Dido

Enſe rigens, raptaq; miſer Briſeide Chryſes,
Quæ poſtquam tenuere oculos ſpectacula, tandem
Prima leves Diana choros & ovantia duxit
Agmina venatrix, ſtricta quæ veſte pharetram
Et curvos alte ſcapulis ſuſpenderat arcus,
Sic imitata Deam. calamis & arundine crinem
Collaque frondiferâ redimiverat alba coronâ.
Hânc nexis docte manibus comitatur euntem
Turba puellarum, qualis ſolet eſſe ſororum
Naïadum, vel Mænalii gens innuba Fauni,
Aut procul amoto petulantes Pane Napææ.
Hæc Daphne fuit, hæc Crocale, lepidiſſima iuxta
Ibat Callirhöe, Byblisq; Hyaleq; Rhanisq;,
Et quondam in florem Clytie mutata. ſuperbo
Mixta ibat Niobe greſſu, natasq; trahebat
Pone ſuas. hic Halcyonen, Syringa, Batillam,
Hic Dryopen videas. hic candida ſubſilit Iphis:
Leucothoëſque habitum virgo mentita vel Inûs,
Ad ſtrepitum citharæ ſummam pulſabat arenam.
Emicuere Deæ Charites, Aglaïa plantis
Mobilis, hinc tremula Euphroſyne, facundaq; Pitho.
Virginibus totidem, paſtorum veſtibus omnes,
Occurſant iuvenes. quos priſco more ſequentes
Pan Deus Arcadiæ duxit, cui cornua fronte
Surgebant, vultumque involverat horrida barba.
Montivagam rapuit Dictynnam ſemicaper Pan,
Iuncta fuit Phœbo Daphne, duroq; Menalcæ
Callirhöe, Byblis Cauno, Niobenque trahebat
Thyrſis. at Alcidamas Hyalen, Clytienque Palæmon.
Læta Rhanis ſaltat Mopſo comes, Halcyonenque
Agreſtis flectit Corydon, Syringa Marullus.
Allevat Alcmæon Dryopen, capit Iphin Alexis,
Leucothoën Daphnis. ſociantur Cycnus & Ino.
Silenus craſſo ductabat ventre modeſtam

Eu-

Euphroſynen, Melibœus amat concurrere Pitho,
Aglaïæ levipes Cephalus, Crocalæque Philæmon.
Mira chori facies. nunc intercepta virili
Corpora Nympharum turbæ veſtigia certâ
Lege regunt; nunc oppoſitis ſtant frontibus omnes
Atque adverſa viro virgo eſt. nunc dextera dextrę
Hæret & attollit generoſo brachia motu,
Nunc dimiſſa manus cuique eſt; errantque viciſſim
Et dominam mutant pueri dominumq́; puellæ.
Mox ſibi deſertas repetunt, & quæque priori
Saltando matrona coit. velut ipſa vagantur
Sidera, iamque ſtudent iungi, modo tramite longo
Diſſociata micant melius. levis area cunctis
Tunditur ad numeros. nunc hic, nunc ille caprizat,
Peſque pedi teritur quartò. rotat ille lacertos
In gyrum curritq́; trochus. directa moventur
Membra, nec inflexis fœdè ludibria debent
Poplitibus. prudens ſtrepitus motuſque feroces
Virgo cavet, lenique ferit proſcenia ſaltu.
Inde manus pulſant manibus, feriuntque, crepantque
Argutè digitis & ſolo pollice cantant.
Præludunt litui ſaltatriceſq́; choreas
Siſtra tubæque regunt. forma eſt diverſa canendi
Et diverſa chori. iam priſcum * Cordaca ſaltant,
Iam Lædam, iam Trettanelum, iam Pyrrica ſolos
Laſſat forma viros rutiliſq́; moventur in armis.
Nunc chorus Eumelia eſt, nunc inconcinna Sicinnis,
Hi Samios referunt motus, hi Cariatizant,
Illi Hormum alternis ſaliunt, Corybantiaq́; æra
Curetumque modos alii; moreſque vetuſtos
Phæacum aut variis imitantur Prothea formis,
Aut Salios, aut thyrſigeri modulamina Bacchi.
Quin agiles videas, imitantes omnia, mimos

* Genera ſunt ſaltationum, vide Lucianum in dialogo de Saltatione.

Currere & exactis pedibus pulſare theatrum.
Hic ſaliens fodit, hic textoris imagine telas
Proiicit, hic faber eſt, nentique ſimillimus ille.
Calcat fullo togam, fictus veſpillo cadaver
Baiulat, hic grandem ſaltans vorat ore placentam,
Hæc inſana furit, titubat paupercula Bauce,
Et ſaltu petulans Citherea notatur in ipſo.
Dumque tacent, oculis, motu, geſtuque loquuntur.
Hos inter miris flectebat corpora gyris
Spectantumq; oculos aliquis converterat in ſe
Conſpicuus forma iuvenis. non pulchrior ulli
Vultus erat. pars quæque tenax & gnara decori
Emeruit laudis precium. deſpectior illo
Mæoniis toties celebratus verſibus acer
Meriones fuit, & ſaltandi clarior olim
Arte Neoptolemus. poterat per ſumma volare
Atria ſaltator velox, & radere viſus
Vix tactam feriebat humum. demiſſa modeſtè
Hinc manus atque illinc pedibus monſtrabat in imis
Ingenii ſtudiique notas. nec doctior alter
Scribere, & eximiis teneram ſignare papyrum
Lineolis, bibulæque animum concredere chartæ.
Hic Eginardus erat. quem capta cupidine formę
Regia progenies, tunc, cum ſaltaret amavit,
Et ſenſit placuiſſe ſibi; tacitumque ſub alto
Igne facit votum & vehementius æſtuat Emma.
Tunc cupiat peccare & baſia figere membris
Mobilibus doctiſque regi; circundare collo
Brachia, complectique virum. quin ſanguinis odit
Nomina ſplendoremque ſui, tituloſque decuſque
Ipſa ſuum metuit. vellet contemptior eſſe,
Nec regum prognata domo. faſtigia regni
Demiſſus declinet amor, faſtuſque potentum
Negligat, ut tali fiat magis apta marito.

Spes

Spes tamen obſcœnas inconceſſoſque hymenæos
Non audet pepuliſſe animo. reſoluta quiete
Expetit abſentem. non primo avellere amori
Noxque dieſque queunt miſeram. cum fuſa per herbas
Mane ſuburbanos diſcincta perambulat hortos,
Saltantis verſat ſpeciem. cum clara pyropo
Limina conſcendit, centum ſtipata puellis,
Spectat inexpleto gradientem pectore formam,
Conſpicuaſque genas, & maſcula membra, decuſque
Oris, & ingenuo gratum candore ruborem.
Omnia miratur, quæ viderat, omnia iactat
Et maiora putat. fingit ſibi ſomnia, fingit
Tangere ſe iuvenem, viſa eſt ſibi iungere corpus
Corpori & erubuit. tandemque ita mente profatur:
Emma, quid eſt? cur grata viri ſaltantis imago eſt?
Nec conceſſa probas? cur hæc tibi fœdera demens
Promittis, geſtiſq; frui tam diſpare lecto?
Num par huic diadema thoro eſt? num tanta poteſtas
Contempti ſcriptoris erit? ſi filia magni
Non eſſem Caroli, poſſem non ægra potiri.
Nunc quia ſum, iuvenis non eſt meus, ipſaque damno
Eſt mihi maieſtas. plebeia beatior eſſem,
Et fruerer votis felix. quam nomina vellem
Mutari mea poſſe mihi! quam ſtemmata vellem
Eſſe minora mihi, aut lumen præluſtrius illi!
Tunc, Eginarde, tuo poteram nurus eſſe parenti,
Tunc, Eginarde, meo poteras gener eſſe parenti.
Omnia tunc cuperem fieri communia nobis,
Oſculaque & luſus & quæ ſperantur amanti.
Non tamen hic noſtro de corde fugabitur ignis.
Uror amore tui, cauſas circumfero mecum,
Et veluti candens Phœbo ſurgente pruina
Solvitur, ægra tuis ſenſim tabeſco favillis,
Attenuorque, vigor ſolitus vireſque fatiſcunt,

Dum ſecunda meo præbes alimenta furori.
Quid faciam? roger, anne rogem? ſi primus amares,
Poſſem caſta ſequi, flammaſque rependere flammis,
Et votis æqua eſſe tuis. nil tale petentem
Aggrediar prior? & poſcam, quæ poſcere fas ſit
Te potius? poteriſne loqui, poteriſne fateri,
Emma, faces? non illa placent. confunderet horrens
Ora pudor. potius, quæ neſcit muta pudere,
Litera ſecreto fallax præcurrat amori.
Sic ubi Demophoon ventis promiſſa dediſſet,
Per mare, per terras teſtatur epiſtola luctum
Phyllidis. abſenti ſcripſit Briſeis Achilli,
Pegaſis Oenone Paridi, regalis Oreſti
Hermione, & pulchro Sappho laſciva Phaoni.
Hæc etiam noſtræ ſedit ſententia menti.
Arte nova prodendus amor. non eloquar audax
Senſa, per ambages ibo, fictiſq; doloſe
Fraudibus ignarum aggrediar. conceſſit amanti
Multa Venus, prudenſq; caret ſimulatio culpâ.
Quid liceat, ſpectare ſenum eſt. fas omne nefaſque
Expendant, qui ſceptra gerunt. temeraria dici
Cypris amat, nunquam timidi ſtatuere trophæum,
Et toti trepidus populo ridetur amator.
Dixit: & hinc dextra calamum chartamque ſiniſtra
Arripit. & iamiam cupiens meditata notare,
Scribere formidat, tremit, incipit, abiicit excors
Et rurſum repetit tabulam, gaudetque doletque,
Et delet ſcribenda iterum; ſcribitque viciſſim,
Quæ deleta volet. ſic fluctuat, ambigit anceps,
Sic animi pendet. donec ſecura pudoris
Audet verba novis inſcribere talia ceris:

Quam tibi tranſmitto, referas, Eginarde, ſalutem,
Et iuſſis attende meis. nil poſcimus ultra,
Huc, ſcriptor celebrate, veni. te cernere coram,

Te

Te cupio ſcriptore frui. tibi dextera ſolers
Pingit adorandis abſentum verba figuris,
Et manus in foliis ludit dexterrima ſummis,
Ut Druidæ mirentur opus, ſuccoſque notaſq;
Et volucris pennæ officium. mihi talia mens eſt
Diſcere, te ductore. velim virguncula magnæ
Artis & ingentis doctrinæ arcana doceri,
Te præeunte. piget vili percurrere telas
Pectine, vel torto deducere ſtamina fuſo,
Aut veſtem diſtinguere acu, vel Gallica lætâ
Ad citharæ cantus modulari carminna voce.
Claruit & Manto ſtudiis, celebrata Sibylla eſt
Ominibus, viguit Latio facundia matris
Gracchorum, Pollæque decus. ſubtilis Arachnen
Extulit ars, doctam commendant fila Minervam,
Textaque magnificam ſtupuerunt ſerica Circen.
Me pulchrè ſcripſiſſe iuvat. nil penna, ſed uſus
Proderit. O dignum mortali gente repertum,
O Superûm labor! exigua ſe cuſpide terris
Explicat & tenui loquitur mens abdita rimâ,
Et procul extremis aperit myſteria Parthis,
Tranſque maris tumidos fluctus, Alpeſque niveſque
Intrepidum molitur iter. ſi cernere cordis
Intima & abſtruſos animi penetrare receſſus
Vis divina valet, nos hac interprete penna
Dî ſumus, & patuli motus cognoſcimus orbis,
Et Tanain ultra, & Libyæ deſerta, trucemque
Caucaſon, Hyrcanoſque ſinus, & Bactra vagamur.
O felix Cadmi ſtudium! quàm, littera, multum
Utilitatis habes! quàm prodes ſcripta decenter!
Te ſine ploret amans, nec Seſtos norit Abydum,
Non Graium Medea ducem, non Creſſa puella
Scribere Theſeæ poſſit periuria linguæ.
Tu vallos, tu caſtra latens, tu ſaxa feraſque

Perrumpis, clauſaſque ſubis validiſſima portas,
Et cœca vigiles fallis ſub nocte phalanges,
Nec te Luna videt. tu foſſas ſubter & undas
Tuta natas quærisq; viam. te pendula celſo
Aëre geſtat avis, portant tua verba columbæ,
Et bellatorem deridet epiſtola Martem.
Te ſine non fidus Pyladi ſcripſiſſet Oreſtes,
Te ſine non fido Pylades ſcripſiſſet Oreſti.
Te ſine quis Nini rabiem, quis Jaſona noſſet,
Victoremq; Aſiæ Macetam, tria fulmina belli,
Scipiadem, Pyrrumque & parvo vivere ſuetum
Fabritium? fœdis iacuiſſes, Brute, tenebris,
Adverſaſq; movens ſocero, Pompeie, cohortes,
Et tacitos premerent ingrata oblivia Paulos,
Marcellos, Craſſoſque & nomina digna Catones.
Annales, faſtoſque & quæ meminiſſe futuri
Tot monumenta valent, ſcribentis munere verſas,
Poſteritas; ſive hæc foliis inſcripſerit olim
Cura patrum, & ſicco ſteterit Sapientia grandis
Cortice, ſeu lenta legerentur prælia cera,
Aut niveæ caperent ſimulachra nigerrima chartæ.
Accedas, Eginarde, doce, quos linea ductus,
Et quales poſcat ſcitiſſima litera flexus,
Laudatuſq; ſua incedat ſtatione character.
Hæc iubet Emma, veni & facilis mandata capeſſe.
  Talia ſcribentem tandem pudibunda reliquit
Penna manum. dubitat, num quæ iam ſcripta fuiſſent
Confodiat. diſſuaſit amor. ſignare tabellam
Incipit & preſſa ſubſignat nomina cera.
Deque ſuis aliquam famulis accerſit, & illas
Trade, ait, has abiens Eginardo trade tabellas.
Nec mora, Cæſarea ſcriptor ſpectatur in aula,
Emmam lætus adit. poteras cogneſcere culpam,
Ut ſtetit ante oculos. non illi vultus & ora,

Non color unus erat. pallet, rubet: æſtuat, horret:
Vox tremula eſt conſtanſque iterum: vult diſcere, diſcit:
Scribere vult, ſcribit: rogat, errabunda rogatur,
Corrigiturque manus. laudat ſtudioſa magiſtrum,
Miratur celeres ductus, vocumq; mæandros,
Et per continuos remeantia brachia circos.
Ille verecundi mox obſervator amoris,
Et Veneris ſecreta notans, laudare laborum
Prima rudimenta & regalis cœpta puellæ
Incipit, & placida moderari exordia voce.
Dein propius verbis, propiuſque affibilat illi
Molle aliquid, feſtivum aliquid. paradigmata ſcribit
Callidus & totum chartis deducit amorem,
Quæque ſuo ſcripſit Byblis mœſtiſſima Cauno,
Laodamia viro, aut charam Leander ad Herum,
Seligit argumenta, & ſic accendit amantem,
Illecebriſque fovet. ſcribit ſine mente virago,
Atque aliò manus, atque aliò mens læſa vagatur.
Dumque piget chartas prono nimis ore tueri,
Reſpicit adſtantem iuvenem, vultumque retorquet
Crebrius; atque errare cupit, quò ſæpe monentem
Audiat & cupidos ſcriptori obvertat ocellos.
Diſcit amatq; ſimul virgo. cum littera Cadmi
Prima foret ſcribenda, levem ſcribebat Amorem,
Cum B baſiolum, cum C Citherea notatur,
Quinta Eginardus erat, ſit littera quarta Dione.
Artem turbat amor comes, ars perturbat amorem,
Et male concurrunt ratio & veſana libido.
Ergò ubi ſe oſtendit repetitis lucibus aulę
Scriptor, & accenſæ furor immanſuetior Emmæ eſt;
Labitur è manibus calamus, lachrymiſque papyrus
Mœſta madet, ſtillant oculis humentibus undæ,
Et dominæ crimen produnt. tandem incitus ardor
Litterulas inter furtim rapit oſcula, iungit

Am-

Amplexus; rident ambo, mirantur amantum
Eſſe ſcholam. iam charta, ſtylus calamique recedunt
Longius. officium ſpernit vulgare docendi
Præceptor, maiorque viro fiducia ſurgit,
Atque Emmam plus grata docet. non illa fateri
Rem timet. at cauſas aperit, morbumque doloſque
Quæſitumque diu ſimulato fine magiſtrum.
Utque ſuis vitium gradibus ſerieſque malorum
Incrementa capit, poſt tot prælucia miſcent
Corpora, & audaci ſcriptor belliſſimus Emmâ
Et lecto potitur. ſtupet exaltatus amator
Scribendi precium & pingentis præmia dextræ.
Nox erat & nigra tellurem involverat umbra
Demerſo natura die. Sopor altus habebat
Mortales, & feſſa ſuis ſe regia curis
Solverat. obſcuris virtus crimenque latebat
Occultum tenebris, Paphiiſque accommoda ludis
Tempeſtas illunis erat. non Heſperus ignes
Extulerat roſeos, non pleno Cynthia vultu
Lucebat cœli medio. ſua gaudia laxat
Filia victoris Caroli, fruiturque proterva
Præceptore ſuo. cui iam non littera ſegnis
Ducitur, aut totas metitur ſyllaba noctes,
Sed laſciva Venus. vellent caligine longa
Concubitus facinuſq; tegi, nocturna morari
Sidera, nec currus velocem volvere Phœben,
Auroramque ſuis fixam conſiſtere bigis.
Interea gravidus fecundis imbribus æther
Labitur in terræ gremium, diſperſaque ſurſum
Corpora cogit hyems, & quæ ſine frigore poſſent
Eſſe graves pluviæ, permixtus diſtrahit aër,
Et candere facit; nivibuſque adoperta caducis
Prata, urbes, monteſq; nitent. non iſta duobus
Apta fuit mundi facies, non forma procanti

Tu-

Tuta ſatis. ſurgunt ambo, ſua limina pandit
Emma, procum tepido tum dimiſſura cubili.
Utque vident niveo terras albeſcere vultu,
Stant ambo attoniti. metuunt, ne garrula crimen
Et thalami labem patri natura loquatur,
Certa viri monſtrans veſtigia. Vah, mala dixit
Nix, Eginardus, abi. crudelis amantibus obſtas,
Indiciumque mei facis. ô ſi Dædalus alas
Commodet, & levibus raperer trans æquora pennis,
Bellerophonve miniſtret equum! ô ſi vertar in undas
Et fontes, Arethuſa, tuos, vel marmore totus
Obrigeam fiamq; lapis! mihi terra dehiſce,
Abſorbe tam immane nefas. me tollite vivum
Eumenides, Stygioq; caput damnate profundo.
Quo fugiam, via nulla patet. ſi ſaxa niveſque
Affuſas calcare velim, pes fallet amantem;
Sin maneam, offendet genitor. nunc fertile fraudum
Deficit ingenium, nec habent mea vela recurſum.
Quam malefida meas exorſa eſt Cypria flammas!
Quam nox hæc inimica fuit, quę finiet illas,
Quas fuit orſa, faces! nihil eſt, quod fingere poſſit
Inconſultus amor. ſim taurus, Iupiter, Emmam
Ut rapiam fluctus ultra. mea corpora torque,
Artuſq; attenua, ut colubri ſub imagine parvus
Elabar, fac eſſe aquilam, nubeſq; ſecare,
Et vaſtum per inane vehi. ſim vilis Arachne,
Aut blatta tineaq; minor. Nec territa caſu
Palluit Emma minus, trepidat, ſuſpiria ducit
Anxia. nunc ſua fata dolet; nunc condolet illi,
Et multum perculſa tepet. deſæviit æſtus,
Et ſerò deprenſa ſapit. ſubit ira tremendi
Cæſaris, offenſuſque pater, generiſque domuſque
Splendor, & invictis aſperſum dedecus armis.
Tandem ait: Invenêre viam mihi fata Deuſque,

Nec

Nec me deſeruere doli. magis advocat artes,
Cum formidat, amans, gliſcitque induſtria, cum ſe
Angi credit amor. ne te greſſuſque viriles
Obſervent, Eginarde, nives, cervicibus hiſce,
His humeris librabo virum. ſublimior hæc tu
Colla premes celſuſque meis portabere in armis.
Magnus Atlas tremulo quondam ſuffectus Olympo eſt,
Suſtinuitque Deos. ipſum Iove natus Atlantem
Fulſiit, Anchiſen Troia flagrante parentem
Suſtulit Æneæ pietas. portata feroci
Neſſo Deïanira fuit, ſe Pelion Oſſę
Altior impoſuit. tot portavere maritæ
Obſeſſos cervice viros, charumque redemit
Quæque ſibi pondus coniux. hoc audiat omnis
Poſteritas, humeris magnum ſublimibus Emmæ
Inſediſſe procum, & neptim potuiſſe Pipini
Ferre marem, & pedibus iuvenem vexiſſe tenellis.
Cœpta placent. alacrem velox Eginardus in Emmam
Inſilit, illa attolit onus ſpectabile, portis
Egreditur calcatque nives. amplectitur ille
Virgineum caput & collo trepidantia nectit
Brachia, dumque gravis vehitur, ſibi pondera vellet
Diminui fierique levis. memorabile vidit
Et facinus Dictynna novum, nebuliſque fugatis
Extulit os, riſitque duos. plauſere supernè
Pleiades & raptæ ſibi virginitatis honorem
Excuſant grandi exemplo. ſpectabat ab aſtris
Suera capiſtratis vectari in tigribus uxor
Thyrſigeri formoſa Dei. cum coniuge Cepheus
Claraque Caſſiope fortem videre puellam
Ire per hybernas noctes, onerique miſellam
Ingemere & laxis hinc illinc pendula vittis
Crura tenere manu, nec faſtidire laborem.
Atque ea fallaci geminis dum nocte geruntur,

Quam-

Quamvis tranquillæ donaſſet membra quieti
Rex Carolus, iacet inſomnis. quin plurima verſans
Regnorum expendit caſus, diſcrimina belli,
Martis opus, quantis alibi ſe viribus Hunnus
Erigat, adverſaſque acies opponat Iberus,
Colligat Albis opes, quę poſcant fœdera Mauri,
Quas aras ſtatuat, quæ ſurgant templa Tonanti
In Sorabis, quibus occultæ manſueſcere gentes



Obſequiis iuſſiſque queant. hæc corde volutans,
Dum fugat ignavum pernox vigilantia ſomnum,
Proripit è ſtrato corpus, foribuſque recluſis
Adſpicit ignarus lepidæ ſpectacula ſcenæ,
Ut tenera grandem libret cervice tenella
Virgo virum, noctis medio, ventoſque geluque
Spernat & infeſtæ glacialia frigora brumæ.
Ilicet excubiis vigiles arceſſit, & ambos

Sta-

Stare iubet, nec ferre gradum. captiva tenetur
Infelix Emma, atque humeris decuſſus amicis
Incubus. obgannit deprenſo miles amanti,
Indulgetque iocis. tunicâ velata recinctâ,
Collaq; ſucciduo circum ludente capillo,
Adſtitit ante oculos patris mœſtiſſima virgo,
Oraque fixa ſolo retinens deplorat amores,
Conſiliiq; inopes & ſtultos devovet ignes.
Stat iuxta pavidus ſcriptor. prætendere neſcit
Ipſe ſui iudex animus, pallorq; nocentem
Arguit, & verſi commoto à Cęſare vultus.
At pater ingentem ſervans ſub corde dolorem,
Attonituſq; ſtupet, tantiq; in virgine caſus
Sceptra loqui prohibent. nunc lumina torquet in illam,
Nunc illum torvus formidanduſq; tuetur.
Ter pede pulſat humum frendens, adſpectat amantes,
Diſcinctas ab amore togas, velamina circum
Pendula, tot iamiam rapti argumenta pudoris;
Iratumq; caput quaſſans, horrenda remugit
Murmura, murmuribuſq; minas regaliter addit.
Utq; reos claudi tenebroſo carcere iuſſit,
Tales ſollicito depromſit pectore voces:

Heu, quam dura meas exercent fata tiaras!
Quę Carolum fortuna manet! venerabilis orbi
Totque Ducum maior titulis in prole fatiſcit
Maieſtatis apex. regni faſtigia noſtri
Depreciat ſceleratus Hymen. privata dolemus
Damna patres, vitiiſque ruunt immanibus aulæ.
Inclinat regale decus, culmenque flagellat
Filia, & auguſto ſcelus intertexit honori.
Proſpera Gallorum currebant tempora rebus,
Concuſſuſq; meis iam miteſcebat habenis
Mundus, & afflictis libertas reddita terris,
Et fuerat quoque, Roma, tibi. mihi ſigna genuque

Et Sclavus & Salæ potor, Rhenique Dravique
Accola, & indomitus pridem ſubmiſerat Aſtur.
Surgebant delubra Deo, meliorque vigebat
Relligio, cultique piis reverentia cœli.
Sed peccat, varioque domi ſe crimine quiſque
Polluit. En, quanto ſoboles mea maior habetur,
Maius crimen habet. patriis iniuria ſceptris
Dedidicit parere mihi, partiſque triumphis
Obſtrepit, & fulgens conſpurcat ſordibus oſtrum.
Quam genui, minus illa mea eſt. ſcriptoris iniqui
Facta fuit pellex. rapuit veſanus amator
Virginitatis opes & caſtę ſymbola famæ.
Gaudia ſic ſocio vadunt permixta dolori,
Gloria dedecori. nihil omni ex parte beatum
Adſpiciunt, qui cuncta regunt. ſors mœſta ſecundam
Diluit, & celebres infamant ſtupra coronas.
Jam dignos natæ thalamos regumque parabam
Federa, ſperabam noſtræ connubia ſtirpi
Splendida, quique meis eſſet (proh tempora!) regnis
Par gener. imbelles pervertit perfidus annos
Civis, & illuſtres exſtinxit ganeo tedas.
Quas, Eginarde, tibi pœnas, quæ iuſta rependam
Præmia flagitio? non ſimia, culeus unus,
Non ſerpens ſatis unus erit. diſcerpta merentur
Membra trahi, laceræque rapi per compita partes.
Et tu, Nata, meâ mox exerceberis irâ,
Et iugulo moritura lues; quę ſtemmata Patrum,
Quę claros abavûm cineres petulantibus auſis
Conſpuis & proprii ſubvertis iura parentis.
Pone modum victor Carole, & manſuetior audi;
Et differ punire reos. diſtingue duorum
Crimina. non peccant paribus vir, femina pœnis.
Huic ſexus pro parte favet, faciliſque moveri
Credulitas, molliſque levis laſcivia vitæ.

Exeat aularum ſpatiis regumque penates
Deſpiciat pietas. non hac in ſede morantur
Cum forma pudor, & mores ſine labe pudici,
Aut tantos inter non tuta modeſtia luxus.
Fortè aliquid cauſæ dedimus, dum regia natam
Educat applauſus inter luſuſq; potentum
Obſcœnaſque ducum voces. bibit inſcia ritus
Virgo malos, ſtudiiſque ſalax deſueſcit honeſtis.
Quin ſua naſcentem accendit Cytherea puellam,
Et creſcit, placitura viro. ſe nubilis ætas
Erigit & ſeros audet ſperare nepotes,
Ac tædet vixiſſe ſibi. ſi dulce mariti
Poſcitur officium, nimis eſt moroſa parentum
Cura; placent pauci, queis fas ſit nubere, reges.
Sic trahitur ſperata dies, lectuſque iugalis,
Et primos inter marcent matura calores
Tempora, nec metitur vernantis floſculus ævi.
Difficiles in amore ſumus, decretaque matrum
Lenta nocent. donec ſe grandis filia prodat
Ignibus inſanamque furor ſeducat amantem.
Expendam facti cauſas, quam quiſque ſecutus,
Aut quæ quemq; prior fuerit. ſuffragia poſcam,
Noſtraq; decident iſtos ſubſellia caſus.
Cęſar ut attentis facinus mirabile roſtris
Expoſuit, quamvis celaſſet nomina prudens,
Damnant illa reos & dira morte piandum
Cenſetur tam grande nefas. pariterque togatos
Ante patres Eginardus adeſt, & filia regis
Demiſſum velata caput. nil triſtius unquam
Poſt Phaëthonteos vidiſti, Cynthie, currus,
Leucothoëſque rogum aut crudelis fercla Thyeſtis.
Advolat ad nutum ſtricto mucrone miniſter,
Adſtat ſpectator Carolus, trabeataque circum
Pulpita, & auſtero Nemeſis metuenda paratu
To-

Tota riget. Tunc cernere erat pietatis amantum
Flebile diſſidium. memorandi teſtis amoris
Lis fuit, & meruit veniam diſcordia felix.
Namque ubi prima mali ſceleriſque rogatur origo,
Se vocat Emma ream. ſed contradicit amator
Adverſuſque ſibi eſt. pergit ſua pandere ab ovo
Crimina, certa mori virgo. pro virgine fraudes
Ille ſuas variaſque exaggerat ocyus artes.



Alteriuſque alter facti, ſpectante theatro,
Diluit invidiam. gignit concordia rixas,
Et partes facit acer amor, diverſaque ſuadet
Indivulſa fides, proprio de funere quiſque
Litigat, & tanto geſtit vehementior eſſe,
Quanto amat uberius. ſimul indignantur, amantque.
Culpa mea eſt, ait Emma. mea eſt, Eginardus. & hoſtis
Quiſque ſui eſt, cauſæque ſuæ contrarius obſtat.

 Mors

Mors geminis petitur, ſed quam ſibi poſcit amator,
Prævenit hæc; quamque illa cupit, cito prævenit ille.
Ecce, ſuos iuvenis cervici intenderat ictus
Lictor atrox, cum colla enſi velocior Emma
Suppoſuit, dixitque, Feri. me percute ſontem,
Parce viro, genitor. quoties ferienda ſeorſim
Emma foret, totus collo ſuperirruit Emmæ,
Meque feri, dixit iuvenis. complexibus hærent
Corpora, ſic moritura ſimul. dubiuſque ſatelles
Nec ſic iuncta audet, nec ſingula colla ferire
Enſe queat. rigidam Nemeſin remorantur amores,
Alternuſque in morte furor. ſtupet omnis & hæret
Hæc inter multum dubius ſpectacula iudex,
Et pœnam geminis animo vultuque remittit.
Haud aliter Tauros adiens Archivus Oreſtes,
Cum coram irato feralis victima ſtaret
Rege, ſuis vidit Pyladem intercurrere fatis,
Proque ſuis Pylades rurſum intercurrere Oreſtem,
Turbarique forum, languere ferocia Thracum
Pectora, barbaricumque iras poſuiſſe tribunal.
At Carolus, quanquam ancipitem præſentia mentem
In diverſa ferant, & iam plus parcere natæ
Exoptet, iuvenemque mori: iam iuſtior ultor
Eſſe velit, geminoſque mori: iam lubrica verſet
Corda hominum Veneremque levem, ſolùmque beatos
Non peccare Deos: iam ſpretis maxima pœnis
Regna quati, ſperni leges, ſuccreſcere pravi
Semina & occultos ſtimulos peccantibus addi;
Miteſcit, veniæque favet, leniſque ſecures
Ire monet, placat fractum clementia regem,
Componitque truces vultus, patremque ſerenat
Virginis, & tumidos ſedat manſuetior æſtus.
Orcheſtram conſcendit Hymen, Libitina fugatur,
Et triſtis lethi facies. puer aliger alas

Con-

Concutit attollitque faces. Pater Accipe, dixit,
Emma virum. ſi primus amor peccavit amando,
Nunc coniux, nunc uxor ama. cape nobilis Emmam
Et tabulas, Eginarde, tuas. adſueſce vocari
Progenieſque generque meus. tibi filia gignat
Martellos alios & nomina digna triumphis.
At mala venturi caveant exempla nepotes.
Undique conveniunt Proceres, gratantur, & omnis
Effuſis vacat aula iocis. connubia ſurgunt,
Concordeſque ligant animos. ſe Gallia totam
Lætius explicuit, ſeu quę Braccata ſalutat
Maſſylûm populos, ſeu trans-Alpina Togatis
Pandit rura viris, ſeu quę ſpacioſior exit,
Et ſparſum nodo ſtringit Crinita capillum.
Subſiliit Liger, & famoſis Sequana ripis
Plenior intumuit, ſua ſentiit Axona præceps
Gaudia, ſenſit Arar, Rhodanus rapiduſque Garumna,
Et tumido terras tunc Matrona proluit alveo.
Plurimus arſit amans. Emmam comitatur Amorum
Turba frequens, cingunt herbis redolentibus Emmam,
Erucaque comas & myrto tempora velant.
Tunc Glaucus Spathalen fertur, pulchramque Palæmon
Dorida dilexiſſe magis, Neptunus iniſſe
Tethya, Leucothöen Phorbas, Triton Panopæam,
Perq; patens Emmæ fraudes ceciniſſe profundum,
Et calamum ſcriptoris. erat, qui carmine longo
Feſtivum recitaret opus. ſperemus amantes,
Exclamat Melicerta. poteſt regalia vilis
Auſpiciis Divûm pulſare cubilia ſcriptor,
Et facili iam rege frui. ſibi maxima ſpondens,
Fit Superis propior. quicquid mens imperat, audax
Impetrat. ignavo nunquam fortuna timori
It comes. erectas conſtans fiducia nobis
Spes fovet, haud paribus ſemper palatia flagrant

Ignibus. admittat quemvis regina maritum,
Baſiolumque rudi cupiat libaſſe ſubulco.
Sic plauſere Deæ, ſic applauſere Deabus
Lætantes paſſim Druidæ. ſed celſior alta
Deſpectans res humanas de nube Menippus,
Dum regum luxus & ſtultas ventilat aulas,
Et naſo patrem Carolum ſuſpendit & Emmam.

CASPARIS BARLÆI AMPHITRVO Tholoſanus,

Sive Pſeudo-Martini Guerræ hiſtoria. Qui poſtquam ſub ſpecie veri Guerræ thalamo ac conjuge huius eſſet potitus, & ſtupenda audacia ac vafritie ſceleri ſuo obtendiſſet ſpecioſum patrocinium; tandem detecto dolo agnitus ad reſtim & flammas à Senatu Tholoſano damnatus eſt.

HActenus inſanos iuvenum cantavimus ignes,
Flagranteſq; faces & amantis vota puellæ,
Diſcordeſque thoros; quos mox, Junone ſecunda,
Lætior adſpexit vultu Citherea iugali,
Coniugiique fides vinclo meliore ligavit.
Si peccavit amor, ſapuit poſt mollia tandem
Crimina, & ut primum rabies deceſſit amandi,
Sera verecundis venit Sapientia nuptis.
 Iam mihi cernuntur Veneris delubra moveri
Sedibus, & fœdis horreſcere numina tedis,
Et trepidare Paphos, ſcelerique infrendere iuxta
Et Samos Idaliumque nemus, Cypruſque Gnidoſque

Et totus tragico impleri clamore Cithæron.
Fugit Hymen, fugere Dii, cum ſcævus adulter
Polluit abſentis thalamos & iura mariti,
Et conſtans in fraude ſua eſt. Plutonia circum
Agmina veſanos inflammavere furores,
Et ſuaſere malo. violatæ ſtupra ſororis
Tantaliden laudaſſe reor, facinuſque nefandum
Commendaſſe viro. ſtimulos Ægyſthus amanti
Subdidit, & patriis ardeſcens Myrrha favillis,
Quæque novum paſſa eſt genus Hippomeneia pœnæ.
Ne mihi Pantolabos Nomentanoſque nepotes
Obiice, Roma ſalax. Paridem excuſate Mycenæ,
Fallaceſque Deos Thebæ, fictoque latentem
Amphitryone Iovem. minus eſt à Cæſare lædi
Poſthumias Mutiaſque ſemel; mœchoque vacare
Druſillam, aut pravi matrem peccare Neronis,
Ac Meſſalinæ ſocias. his grandius audet
Impoſtor Pansetta nefas. aliena ſceleſtus
Tecta ſubit, ſcandit thalamos fruiturque tot annis
Non uxore ſua; ſcelerique obtendit & auſis
Acre patrocinium, & dubio ſub iudice peccat,
Suſpenditque forum. Vera erravere mariti
Nomina; complexus & baſia mille labellis
Erravere ſuis. patrem decepta ſalutat
Progenies, cupienſque ſoror germana videri,
Non fuit. in falſis hæſit cognatio verbis,
Et placuit ſpurcus gener, & malè notus amatur.
Improbe Amor, quę non humanis crimina ſuades
Mentibus! in gelidis arſit, pro virgine, ſaxis
Pygmalion, voluit qui frigida membra puellæ
Complecti, & calidis componere marmora membris.
Æſtuat & certo cuivis mercabilis ære
Chloris amat, laſſatque viros. lenonia fervent
Limina, & exili precio muliebris honeſtas

Ven-

Venditur. iſta domos Superûm pervertit & aſtra
Improbitas hominesque Deûm dignata cubili eſt.
Hæc furit, invitaſque rapit, curruſque miniſtrat
Et celeres ad ſtupra rotas. hæc impia miſcet
Semina, nec propriam timet inceſtare novercam,
Aut matri gravis eſſe ſuę, fratremq; ſorori
Conciliat iungitque duos. Hæc ipſa Güerram
Dum ſimulat, magnis animis mendacia roſtris
Vendit, & eludit rigidas præfracta curules,
Et ſecura diu eſt, & perfida coniuge gratis
Alterius potitur. Vos ô clariſſima mundi
Numina, quæ lento premitis mortalia greſſu
Flagitia & iuſtâ audaces contunditis irâ,
Siſtite ſucceſſus, dubiiſque recludite verum
Porticibus. Tuque ô Nemeſis, quam nocte ſilenti
Oceanoque ferunt natam de patre, verendum
Os aperi, & tantis obſta contraria cœptis,
Perque forum & Patrum rapta ſubſellia vatem,
Conatuſque leva, donec fatalis iniquum
Fibula conſtringat iugulum, fictique Güerræ
Semineces flammæ rabies abſumſerit artus.
Vrbs iacet, immenſos ubi dives Gallia campos
Pandit, & illuſtres animat, fecunda virorum,
Tectoſages. Druidæ veteres dixere Tholoſam.
Quæ frugum vinique ferax ſuffragia regnis
Dividit, & ſummi veneratur iura Senatus,
Æqua bonis, infeſta malis. ſpatioſior undis
Oceanus refluum ſpargit per culta Garumnam,
Et Pyrenæo lapſum de vertice ſorbet
Fluctibus. hîc teneris vixdum iam nubilis annis
Nec patiens Bertranda viri (voluêre parentes)
Nubit & infauſti præcox fit ſponſa Güerræ.
Non tamen hęc mater Iuno connubia ſanxit.
Non ſobolem geniturus Hymen. ſua ſacra duobus

Proſtitui Lucina dolet, ſterileſque fatigans
Ilithyia thoros. pereunt annique dieſque,
Et languent nullo recreatæ fenore noctes.
Dumque maritales coniunx ſuccreſcit in auſus,
Fit ſenſim mulier; nec nomine digna maritæ
Baſia carpit amans. ſed baſia, qualibus inſons
Innocuiſque vacat mellita puertia curis.
Lectus ludus erat; nec præmaturus amabat,
Ut debebat, amor. ſed poſtquam firmior ætas
Subdidit in Venerem ſtimulos, arteſque Dione
Perſuaſit grandæva ſuas, felicior infans
Naſcitur, & genitrix facta eſt, quæ vixerat uxor.
At poſtquam primus furor eſt excuſſus amandi,
Lentius alter amat; querulis diſcordia gliſcit
Vocibus, alterniſque ciet mala iurgia dictis.
Utque ſolet lætis comes ire protervia rebus,
Ipſaque flagrantes extinguunt ocia tedas,
Arma Tholoſanus capit, & ſub Principe miles
Ære meret parvo. lateri ferus alligat enſem,
Et faſtiditum caſtris proſcribit amorem,
Et mox pugnaturus abit. placet alea belli,
Et Jove ſub duro vigiles traducere noctes,
Alpinas potare nives, calcare pruinas,
Obiectare animam letho, viduare colonos
Meſſibus, & pavidis flammas immittere villis,
Atroceſque manus ſperatæ intendere prædæ.
Erigitur, cum Marte, ferox, diſcrimina neſcit,
Spirat Guerra minas. non illi cura relictæ
Coniugis aut chari diſſuadent bella penates,
Pacatique lares. Sed dum veſania Martis
Se probat; en turmas inter, cuneoſque globoſque
Iungit ſe lateri ſocium Panſetta ſodalis,
Et potuit meruiſſe fidem. mens una duobus,
Velle ac nolle ambobus idem, ſociataque dudum
Offici-

Officiis paribuſq; vigens concordia rebus.
In prædam pariter pariterque in bella ruebant
Conſortes cunctorum operum vitæque laborum.
Tales Niſus & Euryalus; Theſeuſque fuere
Pirithouſque comes; talis cum Caſtore Pollux
Ibat, cum Pythia Damon. pugnare, iocari,
Ludere, ſcortari, rapto gaudere, voluptas,
Et ſtudium commune fuit. quin forma colorque,
Vox, habitus, ſimileſque viris frons, ora, genæque,
Peſque graduſque fuit. faciles conſortia voces
Extorquent propius, fandique licentia quidvis
Egerit, & tacitos ſecreti pectoris ignes
Simplicitas incauta aperit, neſcitq; ſilere
Garrulitas, ignara mali ſortiſque futuræ.
Guerra ſuos recitat, quibus exarſiſſet, amores,
Quàm formoſa domi coniux, quàm filius eſſet
Pulchrior; enarrat ſtirpem, ſerieque vetuſtos
Sat longa deducit avos, matremque patremque,
Affines, fratreſque; quibus connubia quondam
Auſpiciis & prima fides lectuſque coiſſet
Conſiliis. quæ deſertæ fortuna maritæ,
Qualis in amplexus olim deſcenderit ardens,
Miſcuerat quos blanda iocos, feſtiva lepores.
Quid fugeret triſtis, quid rurſum læta probaret,
Quas ſervaret opes, quas non ſervaret ademptas,
Qua ſtatione domus precioſa monilia prudens
Abdiderat: quas illa togas vittaſque, peritâ
Diſtinxiſſet acu, quæ raris cingula baccis
Picta forent: quibus officiis manſueſceret, & queis
Indignata malis fureret. nil celat amicum,
Quæque aperire pudor prohibet, facundia demens
Effutit, ſcelerique novo fomenta miniſtrat.
Quippe dolos Panſetta animo fraudeſque volutans
Cuncta notat memor, atque alto ſub corde recondit.

Nec

Nec peccare timens (quid enim non militis audet
Luxuries ſævuſque furor?) ſcrutatur in omne
Arcanum, ſatagitque ſuum pernoſſe Güerram,
Natales, membrorum apices, nævoſque latentes,
Verbaque vel matri vel reddita verba parenti,
Et deteſtandæ quærit præludia ſcenæ,
Et vafrum meditatur opus, ſpeciemque futuri
Flagitii expendit, tantique exordia motus.
Ut tuba terribili ſonitu concuſſa coëgit
Caſtra Ducum, & permixta aquilis rubuere cruentis
Lilia, Cæſareiſque frequens ſuccumberet armis
Gallus & ingentes ſpectaret cædis acervos,
Inclinare acies, diſperſaque ſigna vagari,
Et laxis paſſim ſpirare cadavera campis:
Vertit terga fugæ pavidus Panſetta, ſuiſque
Dum ſupereſſe malis geſtit, ſe pulvere belli
Expedit, & Guerram grandi quia ſtrage periſſe
Autumat, ingenium fœdas convertit ad artes,
Et Güerræ titulos & falſa vocabula ſumens
Bertrandam ſceleratus adit. quæ læta maritum
Poſt aliquot reducem videt & miratur ariſtas,
Et fruitur gaviſa viro; cum fluctuat anceps
Sollicituſque pudor, narrat novus hoſpes amorum
Prima rudimenta & veteris veſtigia flammæ,
Quæque ſuas ſecreta olim miſiſſet in aures.
Sic ceſſere metus & ſuſpitioſa videri
Ulterius Bertranda timet. fit adultera coniux,
Nec peccat tamen. & mœcha eſt, ſine crimine. cuius
Nunquam ſponſa fuit, vocat appellatq; maritum,
Nulla duos promiſſa ligant. miſcentur amantes,
At contractus abeſt. formâ ſociantur honeſti,
Juſque datur vitio. non huic nox pronuba lecto
Præluxit ſolitæque faces. agnoſcitur uxor
Nunquam ducta domum. non primos Heſperus ignes
Æqui-

Æquior adſpexit, lachrymaſque abſterſit ocellis
Phoſphorus, ereptæ vel virginitatis honori
Condoluit. thalamos falſus non inchoat autor,
Continuat tamen. unanimes gratantur amici,
Ignariq; mali, poſt tot diſcrimina rerum
Deſertam lecti gaudent conſorte potiri,
Nec vacuo recubare thoro. pro coniuge vero
Paſſim audit non verus. amat, conſorſq; bonorum eſt,
Guerra ſalutatur, fervent convivia Guerræ
Vocibus, has iterant omnes, repetuntq; frequenter.
Naſcitur & ſoboles, ſed quam genitore Güerra
Se peperiſſe putat genitrix, ſibi vendicat alter,
Decipiturq; parens. non hanc natura fefellit
Certa patris matriſque ſatis; ſed cœca cubile
Exercet fortuna, doluſque in coniuge matrem
Fallit & in vero facit erraviſſe parente,
Oſcula dat natus patri, nec fallitur. at cum
Oſcula dat matris proles incauta marito,
Error agit puerum. thalami ſine lege puellus
Naſcitur, & patris eſt, cuius non credidit eſſe
Mater. at ut vero natus de patre Güerra
Aſpectat fratrem frater, mala nomina miſcent
Confunduntq; duo. nec enim quos unica mater
Eſſe ſinit fratres, fratres pater alter & alter
Eſſe ſinunt, vel iure pares hæredis haberi.
Sic plures iſtis lætus ſucceſſibus annos
Exegit Panſetta, ſuis animoſus & audax
Fraudibus; & toti licet ignotiſſimus urbi,
Se cunctis alium probat. unus ſtirpe Güerræ,
Et conſanguineo ducens de ſtemmate ſtemma
Fortè fuit, quo ſe veluti tutore tuetur
Bertrandæ domus. huic litem Panſetta bonorum
Impavidus movet, & dilectæ coniugis urget
Acer opes, expenſa acceptaq; poſtulat effrons

Sig-

Signari tabulis, & res agitare priores
Incipit, & quicquid geſtum ſe abſente fuiſſet.
Ille ſagax animi & fatis melioribus uſus
Eſſe negat Guerram & cognata vocabula falli
Aſſerit, & ſimilis Tillum ſub imagine vultus
Ingeniique notis alieno illudere lecto.
It contra intrepidus Panſetta, redarguit ingens
Crimen, & inſiſtit cœpto, parteſque Güerræ
Totus agit, neſcit Tillum, quæſita faceſſant
Nomina, ait. tu qui verbis mendacibus inſtas,
Et cives dubitare facis, rediiſſe Güerram
Non cupis, at ſparſas inter cecidiſſe phalanges
Contemptumque voles alibi iacuiſſe cadaver,
Diſtractoſque lupis præbere voracibus artus.
Scilicet ut propria depulſus ſorte domoque
Tutoris ſim præda mei; nec furta recludant
Aut mala fallaces monſtrent æraria cenſus.
Nec minus ille viri fraudes aſtuſq; propinquis
Conatuſque aperit, totque impoſtoris iniqui
Signa notat, recitatq; palam. Jurata cubili
Relligio calcatur, ait. reverentia lecti
Spreta dolet. non hic coniux, non illius hæc eſt
Uxor, ab ignoto mulier deluditur hoſte.
Tarquinii redeunt nobis, alioſque Phaones
Terra parit. rurſum paſtor dimiſſus ab Ida eſt,
Rurſus moechus amat. Tillo ne credite cives,
Hic aliquis latet error. habet iam Gallia culpam,
Famoſumque reum. cœpit Bertranda moveri,
Diffiditque viro, atque iterum ſubnata labantem
Suſpicio mentem flexit. faſtidit amantem,
Negligit, averſatur. atrox diſcordia iunctos
Dividit, & faciles detrectat femina noctes.
Sed celebres poſtquam tetigerunt roſtra querelæ,
Et vaga concuſſam bacchata eſt fama per urbem,

Pan-

Panſettam tenebris & cœco carcere claudunt
Cuſtodes magnæ Themidis, momentaq; rerum
Omnia & ancipites evolvit Curia caſus.
Ille dolis centum ſubnixus & arte Pelaſga,
Extendenſque manus, & vulgi ſtante corona,
Non vos, ô Proceres, inquit, non lumina fallam,
Aut nova per magicas obtrudam corpora technas.
Si furibunda patrem quondam Medea recoxit,
Si, qui virgo fuit, factus puer Iphis amavit,
Carmine ſi Circe ſocios mutavit Ulyſſis;
Semper Guerra fui. non hîc dubitare neceſſe eſt,
Aut verum admotâ Guerram explorare Sibyllâ,
Tum vitæ memorare ſuæ caſuſque viceſque
Incipit & totum populo deſcribere Guerram.
Quo natus genitore foret, qua matre, domoque.
Unde parens progreſſa, quibus maioribus ortus
Fluxiſſet Pater. ut generis fortuna vetuſti
Iverit. hinc natale ſolum, patriamque lareſque
Et cognatorum ſeriem deductaque longè
Nomina nominibus dictat facundus ad unguem.
Illa, ait, incultæ moderatrix prima iuventæ,
Illa magiſtra fuit. pueris colluſimus iſtis,
Illa palæſtra fuit nobis, hæc area luſu
Ferbuit, his vixi puer inconſultior annis.
Ut tenera malas lanugine veſtiit ætas,
Et calidus ſaliit circum præcordia ſanguis,
Has, illas iuvenis petiique adiique puellas,
Hæ iuvenem crebrò me tunc adiere puellæ.
Sed reliquas inter placuit Bertranda ſorores,
Compos ſola mei. lux hæc fuit, addit, & annus,
Quæ iunxère duos. faciles expertus amicos
Difficileſque fui. lenis fuit ille, ſed aſper
Iſte fuit duruſque mihi. cognoſcere ſponſæ
Si comites vultis, fuit hæc, fuit iſta. capillum
Strinx-

Strinxerat in tales nodos. hoc ibat amictu;
Candidaq; admiſſo fulgebat murice veſtis.
Has gemmas, hæc ſerta dedi. per ſtrata viarum
Florigeris pueri calathis & frondibus ibant,
Spargebantq; roſas læti. qui fœdera lecti
Nexuit, iſte fuit non pexo crine ſacerdos,
Nigra cui verrunt à tergo pallia terram.
Convivas ipſos memini, matreſque patreſque,
Sex cyathis Decius, ſeptem tum Galba bibebat,
Burra tribus. nimioq; Lyce temulenta Lyæo
Lapſa gradu mulier plenis ludibria menſis
Debuit. agreſtem ducebat Lyda choream,
Qua ſaliente chelyn noſter feriebat Jopas.
Verum furta Jovis tremulæ modulamine vocis
Feſtivus cecinit Thamiras. frendebat Aëdon
Horridius, Bacchiq; Theron Pęana canebat.
Inde cibos recitat digitis & fercla, dapumque
Condimenta. quibus variè diſtincta figuris
Saltarit larvata cohors, quibus horrida formis
Abdiderint proprios lamiarum tegmina vultus.
Quæ thalamum violis immortalique amarantho;
Quæ caſia Veneris primas aſperſerit aras;
Quis ſponſam malè difficilem, nec ſueta timentem
Duxerit in thalamum. quæ, cum proceſſerat Eös,
Pulchra verecundam velarint flammea frontem.
Singula narrator memorat. quæ, quidq; ſupellex,
Quæ tabulæ, cathedræque domus, quæ ſcamna, lavacra,
Quo biberit cratere, quibus carcheſia vinis
Spumarint, quali periſtromata tincta colore
Induerint circum muros. nunc priſtina monſtrat
Scrinia, quæque ſuo quondam cortina cubili
Fluxerit, & quali ſpeculo Bertranda capillos
Strinxerit. hæc umbella caput ſpacioſa tegebat,
Hæc, ait, hinc illinc (memini) pendebat inauris.

Ut-

Utque in amore ſolet, pulchris virtutibus ibat.
Iuncta mali diſpar facies. laſcivior illa eſt,
Caſta tamen. formoſa licet, tamen illice fuco
Plus rubuere genæ. cum nos committeret iræ
Impetus, audaci iaciebat fulmina lingua,
Succubuique miſer. tunc quid facundia poſſet
Irarum gliſcens ſtimulis & mobile plectrum
Eloquii ſerò didici. mutabile valde
Ingenium variumque fuit. motuſque feroces
Frangebat lachrymis. rurſum placata marito
Paruit officioſa ſuo. poppyſmata amorum
Torquebat limis oculis blandaq; ſuſurrans
Voce procabatur. loculis inſtructior ô quam
Ridebas Bertranda mihi! quam torva fremebas,
Cum mea vix modicis tinniret capſula nummis.
Sera mihi venit ſoboles, tandemq; roganti
Annuit æquus Hymen. & mox ignobilis otI
Impatiens, duris merui ſtipendia caſtris.
Ivimus ulterius. quin trans Alpina vagatus
Pyreneſque iuga Auſonios belliſq; potentes
Hiſpanos adii. nos altæ mœnia Romæ,
Tarpeiumq; patrem, Capuam, Præneſte, Tarentum
Vidimus. in medio lavi ſpumantia Bæti
Fræna, Tagumque bibi, & fontes turgentis Iberi,
Herculeæque viæ metam poſuere columnæ.
Hinc redii, terraq; diu iactatus & alto,
Verus Bertrandæ poſſeſſor coniugis adſum.
Audivere Patres, ſenſimq; ferocia roſtris
Languit, & captum timuit damnare Güerram.
Sed libet admota ſcrutari coniuge rerum
Dictorumq; fidem. venit Bertranda, ſtupetque
Verba viri, & dubiam mentem per ſingula volvens,
Natales, thalamique vices, convivia, mores,
Annuit, & confeſſa palam eſt, nec diffidet illis.

Hæc tamen, hæc, dixit, propius didiciſſe Senatum
Expediet ſecreta thori. licet ipſe ſilere
Me pudor & Lucina velint, incerta mariti,
Cogor cuncta loqui, & lecti renovare dolores.
Cum mihi vernantis fluerent primæva iuventæ
Tempora, coniugiiq; dies, & ſponſa Güerræ
Jungerer, illæſa coniux & inutilis uxor
Virginitate fui. iam tum ſeu ſidere tactus,
Seu mala prolificas hebetaſſent faſcina partes,
Nulla Cupidineis reddebat gaudia votis,
Nec miſer in gremium mœſtæ deſcendit amator
Coniugis, aut gelidum tepefecit flammula corpus.
Nupta licet, nondum uxor eram; vaniſq; vocabar
Nominibus coniux. ſic condormire ſorori
Intemerata queat ſoror, aut bona filia matri.
Cuncta tuli patiens, quamvis divortia ſæpe
Impatiens ſuaderet Amor, deſpectaque penè
Ceſſiſſet Veneri probitas. at reddita quando
Priſca ſalus rediit Guerræ, potuitque maritæ
Se præſtare virum, veteremque expungere culpam,
Facta fui mater, ſteriliſq; infamia lecti
Diſplicuit Superis. eadem Panſetta rogatus
Prodidit, & verbis præſens reſpondit iiſdem,
Agnovitq; ſuum frigus, multoſq; per annos
Extinctas iacuiſſe faces. dein vota preceſque
Pharmacaque ignavum membris pepuliſſe ſoporem,
Quem dederat cantus magicæque potentia linguæ.
Hærent ambiguæ docta ſub fraude curules,
Inq; ſuas ivit vulgus mutabile partes.
Excuſſę voces hominum, quis quemque tribulis
Noſſet, & ex omni populo documenta petuntur.
Hic ait, ille negat. repetunt cunabula cives,
Et ſic ora ferunt Guerram, vultuſque tuliſſe,
Sic flexiſſe oculos, ſic diſtorſiſſe lacertos,

Sic

Sic riſiſſe, gradum ſic ſuſpendiſſe pedeſque.
Hunc vocis meminiſſe ſonum, moremq; loquendi
Lentius; haud alio caput & ſua tempora ſuetum
Contorquere modo. vel Guerræ lumina coram
Cernimus, exclamant: vel in hoc ſe corpore Protheus
Exhibet, aut Stygiis homines illudimur umbris,
Atq; oculos malus error habet. pars altera Guerram
Eſſe negat; conſtanſq; ſibi, non illa Güerræ
Forma colorq; fuit, non hæc audacia, fatur,
Non illo inceſſu, non iſtis flexibus ibat,
Non tam torva illi facies, facundia nunquam
Tanta, nec in duris animi fiducia rebus.
Talis Tillus erat, tali ſe Tillus habebat
Ore, manu, motu, tali ſermone ſolebat
Tardius affari ſocios. ipſiſſima Tilli
Hæc ſpecies, hæc nota viri præſentis imago eſt.
Hos inter nullo perculſus pectora luctu
Magnanimus Panſetta ſtetit. non ulla timoris
Signa dabat, nulla titubant formidine verba,
Nulla cataphractum terrent diſcrimina ſcurram.
Qualis in Arctoo rupes immota profundo
Tunditur, & tumidis quatitur ſecura procellis,
Impulſoſq; Notis fluctus undaſq; repellit;
Inconcuſſus agit cauſam veterator, & unus
Sufficit. ut leo, quem cinctum venabula circum
Denſa premunt, iacula & contos & tela repellit
Solus, & in laxis impunè ferocit arenis.
At Bertranda metumque inter ſpemque anxia neſcit,
Num damnare virum velit, an ſuccumbere victa
Indiciis. ſic piniferâ frondator in Idâ
Stat dubius, num quam caput exertare cupreſſum
Adſpicit, & duro ſurgentem robore quercum,
An velit excelſam ferro proſternere fagum.
At poſtquam iactis fatalis litera ſaxis

Horruit, & nigrum præſcripſit Curia Theta,
Damnavitque reum. ſpreto Panſetta minori
Maius adit limen, Supræmaque verba Senatus
Invocat, atque alio renovat ſub iudice rixam.
Quæſitum in minima eſt, ſapienſque induſtria quidvis
Cogitat, ut pateant tantæ myſteria ſcenæ.
In tenebris lux eſt, redeunt à luce tenebræ,
Obloquiturque dolus vero. cum parvula fraudum
Apparet ſcintilla, tamen ſuſpecta putatur,
Et ſuus in vero labor eſt. ait eſſe Güerram,
Ubera quæ puero dederat mitiſſima nutrix,
Atque illos artus & talia membra fuiſſe.
Surgit ad hanc alius Guerræ de ſanguine teſtis,
Obiectatque nefas, & ficti nomina Guerræ
Imputat. in pleno dicturus verba Senatu
Sutor adeſt, hominiſque pedem menſurus, iniquus
Clamitat hic pes eſt. non hæc menſura Güerræ eſt.
Pes fuit iſte viri. non hæc mea pertica fallit.
Hinc ſervata diu producit cingula ſartor,
Quæque fuit corpus crebrò dimenſa Güerræ
Faſcia, fallacis loquitur mendacia Tilli.
Non humeris ea forma fuit, non inter utrumque
Tanta obſervavi ſpatia, aut à vertice fluxit
Linea tam grandis. non hic femoriq; pediq;
Ambitus, aut lumbis. diſpar dimenſio fraudem
Arguit. hoc Ithacum, Patres, ſub corpore claudi
Credite, verſutus ſpeciem mentitur Ulyſſes,
Diſſimulatq; virum.. miles venit unus & alter
Bellorum collega. refert, hunc talibus olim
Conſiliis impleſſe animum: ſupereſſe Güerram;
Non tamen incolumen prorſus, ſed vulnere læſum,
Et pede privatum dextro; per regna vagari,
Belgarum luſtrare locos, moxq; affore vivum.
Quattuor adverſæ concordi voce ſorores

Non

Non dubitant, verus quin coram Guerra loquatur,
Germaniq; notas monſtrant & ſtigmata fratris.
Verrucam in digitis triplicem, dentemque retortum
Turpius, & planis ungues creviſſe figuris,
Sanguineamque oculo maculam livere ſiniſtro,
Depilemq; locum capitis, documenta Güerræ
Indubitata ſui. veteres venere ſodales,
Cum quibus aut primos iuvenis diſtenderat arcus,
Reticuloq; pilas vel dextræ ſueverat ictu
Reddere, vel iacto talos proſternere talo.
Eſt, qui teſtatur reducem poſt prælia quoſvis
Nominibus vocitaſſe ſuis, dixiſſe ſalutem,
Et generis meminiſſe ſui. tunc quemq; Güerram
Agnoviſſe ſuum, cunctis placuiſſe Güerram.
At Panſetta ſibi ſimilis pro coniuge certat,
Pro ſe verba facit. quid prima nocte petulcum
Dixerit illa, aperit. quid, cum langueret amantis
Officium & torpor ſegnem importunus haberet,
Fecerit; & quicquid ſolus noviſſe maritus,
Aut tentaſſe queat, roſtris exponit apertè.
Illa ſilens multo verum confeſſa rubore eſt,
Inque ſolo fixis oculis hæſitque ſtetitque
Facti gnara ſui. pergit Panſetta. reverſus
Da, dixi, Bertranda manum, quà lucet iaſpis,
Et dedit illa mihi. veſtes mihi porrige, dixi,
Cæruleas, veſtes iam tum porrexit eaſdem.
Pilea da, gemmis quæ faſcia cingit Eöis,
Et data ſunt. petii capulis difformibus enſes,
Ocyus accepi. nec me mea cura fefellit.
Summa loquar, Proceres, &, cœlo teſte, ſeverum
Dicam aliquid, dubiæ nebulas quod diſſipet aulæ,
Et conſanguinei convitia diluat hoſtis.
Non opus eſt Patrum votis, non iudice multo,
Multiplici vel teſte mei. ſit ſola Güerræ

Hæc teſtis Bertranda ſui. per numina iuret,
Per Styga, per quicquid fuit inviolabile Divis,
Me non eſſe ſuum. ſi faxit, adulter habebor
Perfidus & nectar trabe quadruplator ab alta.
Dic age, dic Bertranda. negas? ad funera, furcas
Tollite me. num victa virum Bertranda fateris?
Credere vos fas eſt. verbo ſervare, vel uno
Perdere me mulier poteris. ſis arbitra vitæ
Et mortis tu ſola meæ. ſtat femina dictis
Territa, &, incertæ metuens periuria linguæ,
Mœſta tacet, iurare timet. fiducia mœchi
Suſpenſam præfracta tenet. Tunc ille diſertum
Explicat os, & devicto velut hoſte triumphans,
Nunc rabiem tutoris & acres vellicat iras,
Ultriceſq; minas, & avari pectoris artes,
Suſpectamq; fidem. facili nunc mobile cauſa
Coniugis ingenium, tepidoſq; redarguit ignes.
Vos ego, vos, inquit, Patres appello Tholoſæ,
Veſtram poſcit opem nullius conſcia fraudis
Simplicitas. cur inſonti mihi vincla, catenas
Iniicitis? Bertranda mea eſt. cur carcere claudor?
Guerra loquor. cur clamoſi mala fabula vulgi
Diſtrahor? haud alium ſpectas natura Güerram,
Non alium, Sol alme, foves. qui ſegnius æquo
Annuit, iniuſto par eſt. ſunt vincula pœnæ
Pars quotacunq; meæ. caveat peccare tribunal,
Et damnare bonos aut non abſolvere culpa.
Res mea, res Superûm eſt. thalami pro fœdere certo,
Quod pepigere Dii. ſic ille graviſſima fatur,
Et totum ſpirat ſcelerato pectore Olympum.
Eſt Dea, quæ medio ſublimis in aëre pendet,
Quam Nemeſin dixere, cui pœnæque minæque
Et rigor immotus caſtigatrixque malorum
It vindicta comes, cœptis inimica ſuperbis,

Ela-

Elatoſque domans. vigili ſunt lumina fronti
Plurima. fræna manu geſtat pateramque. verendum
Ridet, & occultas peccantum prodere mentes
Gaudet & effrenes animi compeſcere motus.
Viderat hæc Tilli facinus, tumidoque nefandum
Vindice ſubnixum ſcelus, & iam ſpernere Divos,
Atque ipſi audacem Panſettam illudere cœlo.
Mox faſtus exoſa graves, calcataque lecti
Sacra; per Auſoniam, Cimbros, Belgaſque vagantem
Incitat abſentem Guerram, magniſque ſuorum
Accendit deſideriis; nunc prolis amorem,
Nunc patriæ ſtudium, nunc coniugis obiicit ignes.
  Nec mora, ſpectatur media Martinus in urbe,
Et verus iam Guerra, cui promiſſa fluebat
Circum barba humeros; & molem corporis emptum,
Cortice fagineo, crus non vitale ferebat;
Præmia militiæ. quæ poſtquam fama Tholoſam
Implevit, civeſque ſuos, Tillumque forumque,
Bertrandam, teſteſque & iunctos ſanguine amicos,
Alter Iudicibus rediit labor, altera rerum
Affulſit ſubito facies. Panſetta Güerram
Deſpectat dictiſque ferox inceſſit amaris,
Quærit & aſtuta verborum indagine captum
Illaqueare ſtudet. Guerræ contrarius obſtat
Guerra. fidem ambobus ſimili ſub imagine præbet
Spectator. vix ulla facit diſcrimina vultus,
Labra, oculi, ſtatura, comæ mentumque genæque.
Mirantur trabeæ geminos. diſtare Güerram
A Guerra ſtupet omne forum, gradibuſque locoque
Non alium diſcerni hominem. non credit eundem
Eſſe duos, tamen eſſe putat. contendere ſecum
Quemque videt, parteſque reum confundere & unà
Actorem. ſibimet ſe contradicere Guerra
Ambigit, aut ſimili ſe fallere Morphea vultu.

Nomina cum rogitat Judex, utriuſque Güerræ
Nomen idem eſt. quo patre ſati: pater unus & idem
Dicitur ambobus, materque & frater iidem.
Cum natale ſolum: patria eſt mihi chara Tholoſa
Hic ait, alter ait. nati quo tempore & anno;
Tempore conveniunt. cum conjux quæritur; uxor
Bertranda eſt geminis. cum ſtirps arceſſitur altè,
Nec tunc Guerra alios, alios Panſetta recenſet.
Quęritur: infelix cui faſcia ſtrinxerit inguen,
Aut magicæ doctrina ſcholæ. ſe quiſque fatetur
Iratam ſenſiſſe Cyprin. fortuna rogatur,
Et vitæ genus & deſertæ coniugis olim
Cauſa, quibus quiſquis meruit ſtipendia ſignis;
Cauſa eadem eſt, ſunt ſigna eadem. Tun', inquit adulter,
Baſia, Bertrandæ fixiſti? baſia fixi,
Alter ait. tun' verba illi ſolennia dixti
Ante aras oculoſque Deûm? ſolennia dixi,
Promiſique fidem. dic, quod tu pignus amoris
Uxori, ſcelerate, dabas? quę flammea, veſtes,
Quæ thalamo ſtructura fuit? ſat conſona fatur
Guerra redux. ſtupuere Patres. Tunc Guerra locutus
Dic, ait, impoſtor, quotuplex occulta ſiniſtram
Deturpat verruca manum? Panſetta ſiniſtram
Exerit. hæc triplex verum verruca Güerram
Arguit, ingeminat. mihi dens e dente renatus
Stat duplex Martinus ait. Panſetta retortis
Oſtentat labiis ſimilem. mihi planior unguis
Ludit in his digitis. digitis oſtendit in ipſis
Eſſe ſibi tales Panſetta. Güerra reductis
Pauliſper ciliis, oculos nubecula dudum
Inſedit tenebroſa meos, ait. ilicet illam
Eſſe ſibi Panſetta oculo demonſtrat eodem,
Talis in aſſumto luſit Thebaïda matrem
Jupiter Amphitruone, thorumque invaſit & illa

Men-

Mentitus potitur. ſic fabula priſca iocoſum
Mercurio oppoſuit Soſiam. cum corpore bino
Eſſe negat Soſiam Soſias, pariterque miſellus
Contundit Soſiam Soſias & tunditur idem.
Intima ſcrutatus Iudex ſecreta maritæ,
Fanda, nefanda ſimul, voceſque & verba Güerræ
Omnia, quę thalamis interſparſiſſet amator;
Obſervat diſcors aliquid. diſcitquę loquacęm
Singula verſuto Guerram narraſſe ſodali,
Nec ſocium celaſſe ſuum. Venere ſorores,
Amplexęque virum fixis hæſere lacertis,
Attonitæque ſtetere comæ & vox mutuit illis.
Quin lachrymæ caruere dolo, planctuſque dolorque
Ipſaq; confeſſa eſt verum natura Güerram,
Quæque arcana movent cognatam ſemina gentem.
Tunc eadem affines eadem dixere propinqui,
Dumque intenta ferunt per totum lumina Guerram,
Erraviſſe pudet. gaviſa ſupervolat uxor,
Et pudibunda rigans guttis humentibus ora,
Hic meus eſt, inquit, non tu Panſetta, Güerra.
Talis erat, talis thalamum conſcendit & illa
Voce fuit. tali nobis ſermone ſolebat,
Et tali gravitate loqui. deliquimus omnes,
Perfidaque incautam tenuit fallacia mentem.
Non ego coniugii mulier promiſſa fefelli.
Non peccat, quæ ſe neſcit peccare. nec ullum.
Crimen habet, quæ non animo, ſed corpore mœcha eſt.
Impolluta fui, quamvis Panſetta cubile
Polluerit, viſuſque mihi eſt iacuiſſe Güerra.
Arripui neglecta virum, dum longius erras.
Arripui, ſed capta tuæ ſub imagine formæ.
Si fuit errandum, cauſas habet error honeſtas.
Quodque caput rerum eſt, ex te proavoſq; genuſq;
Hauſit, & ipſa tibi quæ quondam dixit in aurem

Noſter amor. Paphios potuit recitare labores,
Fataque fortunaſque thori. quæ veſpere ſero
Murmura, quæ prima venientis luce diei
Ediderim. norat, quicquid cœnacula clauſum,
Quicquid honorati cuſtodivere penates.



Sic tua garrulitas atque importuna loquendi
Libertas nocuit geminis. hinc ſubruta lecti
Maieſtas veneranda fuit, tantoque paratu
Cauſam mœchus agit. nec ſolum femina victa eſt
Aſtubus, hi mecum Proceres, hæc tota Tholoſæ
Aula vacillavit, cunctæque hæſere cathedræ.
Hæc effata fuit. cum dura voce ſupinæ
Coniugis immanem perſtrinxit Guerra ſtuporem.
Quæ, Bertranda, tuam cepit dementia mentem?
Quæ rabies tanta oppreſſit caligine cœcam?
Non caret hic error culpa. non illa meretur

Im-

Improba ſimplicitas veniam. quæ ſecula credent
Uxorem in proprio falli potuiſſe marito?
Ignoraſſe ſui certa argumenta mariti?
Aut proprios in amore iocos, aut corpore toto
Pulchrum aliquid, vel fœdum aliquid. maculæq; plicæq;,
Hîc lentigo levis, cæcaque in parte mariſcæ,
Nævulus aut callus, vel non exſtincta cicatrix
Diſcreviſſe viros poterant. Sua novit Ulyſſem
Penelope, quamvis tot luſtra erraſſet & annos;
Antinoique dolis vafroque pudica Medonti
Reſtitit. errarint alii, fraterque ſororque,
Aula, propinquorum quiſquis ſiet. unica tu me
Debueras pernoſſe. nec ignorantia ſexu
Diluitur. poterant verum oſtendiſſe Güerram
Plurima. tranſactæ poterant oſtendere noctes,
Amplexuſque mei & blandiſſima verba procantis.
Deceſſit thalamo probitas. inſana libido
Laſcivos tibi ſuggeſſit ſub pectore motus,
Et nova materies turpi quæſita furori eſt.
Illa virum lachrymis, gemitu, verbiſque ſeverum
Mulcet, & antiquos reduci commendat amores
Nequicquam. tetrica lachrymantem fronte repellit
Guerra ferox, & ſævus & implacabilis adſtat.
At Themidis patribus tantos componere fluctus
Cura fuit. profugumque domo patriaque Guërram
Incuſant, ſociiſque ſuis reticenda locutum.
Hinc fluxiſſe mali cauſas, primumque nocendi
Panſettæ ſubiiſſe animum; vetereſque relictæ
Uxoris tepuiſſe faces: nunc corpore læſum,
Nec totum rediiſſe ſuis: hoc coniugis eſſe
Afflictæ commune malum: iam diſceret eſſe
Cautior, & vanas linguæ compeſcere voces:
Sollicitèque loqui, nec Sacrum prodere lecti.
Sic Procerum ſtudiis, ſic, applaudente Garumna,

Junc-

Juncta eſt loripedi rurſum Bertranda Güerræ.
Unus tantarum fraudum ſceleriſque magiſter,
Fabula cui vario ſtetit admirabilis actu,
Hanc Tillus cervice luit, tragicoque tumultu
Obſcœnum abſolvit facinus. ſua pœna ſecuta eſt
Artificem, celebrique reo trux faſcia guttur
Alligat, & poſtquam iugulo ſpirare negatum
Et vitæ præcluſa via eſt; Vulcanius ignis
Semineces uſſit flammis ultricibus artus.

Nobi-

Nobili & illuſtri Viro

D.D. CORNELIO de BEVEREN,

Equiti, Toparchæ in Strevels-houck & Weſt-Iſelmonde, &c. Fœderatarum Provinciarum nomine, ad Sereniſſimos Potentiſſimosq; Angliæ, Daniæq; Reges nuperrimè Legato. & jam Civitatis patriæ Batavûmq; primariæ Dordrechtanæ rurſum Conſuli, &c.

NI pudor eſt, Batavos Phœbo præmittere faſces,
Et Bevero vatem præſide, velle loqui,
Qui ſoliis ſceptriſque places, Cimbrûmque tiaras
Tangis, & affatis regibus altus ovas.
Quem modò per ſocios tranſmiſit Belga Britannos,
Et controverſas dicere juſſit aquas,
Ac clauſam laxare Tethyn, quæ cedere terris
Neſcit, & indomito verberat arva ſalo.
Sume tui primos jam primùm civis amores.
Quaſque tuâ quondam Catſius urbe Deas
Fixit, eas, me vate, ſua ſtatione teneri
Perfer, & auguſtas his ſimul adde manus.
Hoc decet, hoc fas eſt. patrias hac lege ſecures
Tollis, & eſt Beveri conſulis iſtud opus.
Non tibi vulgares, quas poſſis ſpernere, chartas
Tradimus. Hîc Paphiis uritur aula focis,
Pſammeticho nubit Rhodope: quo clarius uſquam
Fœdus ab Auſoniis non memoratur avis.
Nil Graii quid tale crepant. ſi ſerpimus ipſi,
Altius hîc ipſis verſibus acta ſonant.

Ma-

Materias metro potior. Cui Catſius uni
Convenit, illa lyra gloria magna mea.
Cede Deo, Conſul; nec tu plus mœnia, portas
Reſpice, & afflictas, quas ſtruis, urbis opes,
Quam Clarium Clarioſque obitus, quos Belga propinquos
Cernit, & hinc caſus ſentit adeſſe ſuos.
Ah! compeſce nefas, tantaſque averte ruinas,
Docte vir, & doctos perge fovere viros.
Proſpiciant alii muris, tu proſpice Muſis.
Hoc me conſilium conſule, Conſul, habe.

C. Boyus.

Cor-

CORN: BOYI. I.Cti.

RHODOPE.

Cuius in amorem dum Miles, Senator, Mercator, Dives, Poëta, Pictor, & Acu-pictor furit, & unuſquiſq; oratorium in morem perorat; ipſa, mirabili eventu, Regi Pſammeticho nubit.

Virginis auſpicium Rhodo-
pes, regiſque Dionen
Pſammetichi, Graio malè,
nec benè ſcripta Latino
Fœdera, Catſiadem quorum
memoranda canentem
Hollandi ſtupuêre prius,
iam dicere nobis
Eſt animus. Tu tolle me-
am, ſimul imbue mentē
Belgarum, Thymbræe pa-
ter; quib⁹ omne deorum
Numen, & addicti favor immortalis Olympi
Dat, cælum quas claudit, opes, totamque miniſtrat
Pallada, Palladiaſq; artes, & quicquid abundans
Græcia, vel famulis Latii didicere Camœnis.
Tu ſeptemgemino fœcundum gurgite Nilum
Pande mihi, largoſque iſtâ ſcaturigine potus
Suffice: dum primo Photis hîc contermina partu
Claruit, auguſtæque parens ignota puellæ
Regales ſibi viſa fuit, iam fœta, tiaras
Edere. Compulerant prægnantem ſomnia matrem

Si-

Siſtra Deûm tripodaſque ſequi; quid poſſit haruſpex
Quærere, veridicas paſſim cognoſcere voces;
Scrutari quid fata velint. Promittit Oſiris
Sceptra coronandumque caput, ſobolique futuræ
Regna canit. ſequitur tantis haud diſſona fatis
Vatidicûm vox empta virûm. quæ credita matri,
Patri ſpreta fuit; cui res anguſta Penates
Abdidit, immodicoque fores obſtruxit honori.
Hic ubi completo genitam ſibi tempore natam
Aſpicit, in vanos aboleri ſomnia fumos
Et veri nil ferre, capit. deſperat iiſdem
Mater in auguriis. Rhodopen circumſpicit artem
Quam doceat, quâ ſurgere humo, quâ vivere poſſit.
Illa puellares inter mox prima catervas
Emicuit, patriæque infans regina Juventæ
Audit, & iſta ſuæ tulit argumenta coronæ.
Ut ſpecie, ſic mente valet. ſtudioſa frequenſque,
Quod colit, abſolvit ſtudium. Si pingere diſcit,
Pingit acu, tabuliſque ſuos inferre colores
Molitur, regumque thoros, & quæ modo ſcandat
Culmina, purpureiſq; heroum facta tapetis
Inſerit. auratis facies ſi regia telis
Immiſcenda; ſui componit numen ocelli.
Se ridet, quâ ſede locat. nunc vertice mitram,
Nunc pulchrâ fert ſceptra manu, vel rege marito
Ducitur, & fatis dando præludit amori,
A ſe luſa, ſuo. linguas, quas audit, eaſdem
Mox edocta docet. Vaſti memorabile mundi
Jam regimen, iam geſta notat. quêis ſumma labaſcant,
Quêis ſurgant ſimul ima modis. quî fæmina, quî vir
Emerſiſſe queat. quali Rhamnuſia motu
Stet, cadat, exagitetque vagas per inane quadrigas,
Nec fixo ſciat ire gradu. quis fulciat unus
Cuncta Deus, queîs ſe maieſtas tanta gubernet

Prin-

Principiis, rebuſque ſuas ab origine cauſſas
Sufficiat. Tali virgo ſapientior uſu
Invaluit, proprioque viris offecit honori,
Claraque per vaſtas ſparſit ſua nomina terras.
Vix primi fluxêre dies, & nubilis ætas
Viſa ſuos ſuadere thoros: cum turba procantum
Advolat, & charam ſtudet exoraſſe puellam.
Ipſa Dionæos negat impenetrabilis ignes
In caſtos quid poſſe ſinus. nec tangier ulli
Gaudet; & imbellem vultu profligat Amorem,
Vult Venerem parere ſibi; nec ſerva marito
Colla juvant. cupit innuptos liberrima ſoles
Perpetuamque piis ſtudiis ſacraſſe Juventam.
Deficit omnis amans, dum, quo jacuiſſe putarat,
Longius arcetur gremio. non tacta cuiquam
Alget, & in ſolas animo defigitur artes.
Molitur mollire pater, natæque pudorem
Deſuaſurus, ait. Tibi cur æterna fovetur
Virginitas? nulliſque calent præcordia flammis,
Nata, tibi? domus hæc veſtros mea poſcit amores.
Nî nubas, cecidêre lares, & tota Nepotum
Spes ſimul interiit. Tibi te ſociaſſe mihique
Convenit. Euge tuis genus haud ignobile tedis
Continua, dum tempus adeſt; dum plurimus inſtat
Inſolito fervore procus. dum nubere par eſt,
Nube viro. Num præcipites depaſcere menſes
Et formam capis eſſe dies? quos nubilis æſtus
Conculcas, effæta voles. quêis verna favillis
Non caperis, capieris anus; cum pulchra lituras
Induet, & canis facies maculabitur annis.
Reſpondet ſic orſa patri. Quid, amande, furores
Incutis, & placidæ, Genitor, cupis otia vitæ
Me curis mutaſſe tuis? me terret amator,
Terret amor. timeo Venerem, vulnuſque dolendi

Triſte puerperii, duriq; immite mariti
Imperium, ponduſque thori, natoſque, nepoteſque
Et gravidæ momenta domus; & quicquid egeſtas
Pauperieſq; angoris habet. Mihi dulce Minervæ,
Theſpiadumque placet vitæ genus; ultima Muſis
Addar Muſa ſoror. Phœbo ducenda marito
Nubar & illæſo ſervetur cauſſa pudori.
Non annos, non ſæcla moror, ſpernendaque formæ
Damna meæ. Me canities, comitataque cunctis
Ætas fera malis, nocuæ vis atra ſenectæ
Obruat, intactô cælebs juveneſcet honore
Virginitas vultuſque mihi. virtutibus unquam
Nevè animo deformis ero. Quæ corpus & omnes
Corporeas depaſcit opes, Mors mentibus una
Parcit, & his neſcit diras immittere falces.
Clareſcam ſtudioſa, pater. tam ſancta Penates,
Perpetuamque domum longis agglutinet annis
Cura, perennantemque creet per ſæcula natam.
Se gignens, tantum perdit genus, & Libitinæ
Pabula dat meſſemque ſuæ. cui ſpiritus aſtris
Jungitur, humanis aufert præconia buſtis,
Nec patitur ſe poſſe mori, buſtoque ſuperſtes
Noſcitur, & domitô creſcit juvenilior ævô.
Progenies ſit fama mihi. pro conjuge virtus
Ducat, & illuſtres, pro natis, excitet artes.
Motus erat Genitor; nec plus genialia Nymphæ
Feſta parat. cum plus ſolito ferventius inſtat
Agmen, & exploſos variis aſſultibus ignes
Continuat. Fregêre patrem tot vota preceſque
Et Juvenum communis amor. mox vincla puellæ
Mandat, & iratum vovet, hæc nî præſtet, Olympum.
Contremit imperiis Rhodope, & iam velle fatetur
Quas mallet vitaſſe faces. Si nubere cogis,
Me nubam. teſtor Genium, cunctoſque, fatiſcens
Vir-

Virginitas quêis ſacra Deos, mandata parentis,
Non mea me decreta ſequi. ſi diligor ulli,
Nullos ipſa procos redamo. tu diſpice, quemvis
Aſſociem. mea ſi jubeas, quoque fœdera cures.
Lux Rhodopæ natalis erat, ſolenne Juventæ
Tempus, & in cunctis homini venerabile terris.
Hoc omnis reſcivit amans; cui floribus horti
Atq; herbis ſpoliatus ager; variæque corollas
Compoſuêre roſæ, propriis quas Gratia dextris
Junxerat, & multo Venus exornaverat auro.
Dotes quiſque ſuas cumulat, centumque puellæ
Induit exuvias nemorum caput, unaque vaſtis
Veſtitur campis virgo; pedibuſque ſuperbas
Telluris conculcat opes, & quâ ſibi greſſum
Format, odoriferos exhalant lilia ſuccos.
Talis, vere novo, per amœnos Flora receſſus
Ambulat, aut mediis exercet gaudia pratis
Nympharum comitata choro. ſic ire Napæas
Credimus, & molles violis requieſcere Faunos.
Vix juvenum coiêre manus; cum cætibus ipſis
Se medium ſiſtit pater, & decernere natæ
Conjugium generumq; monet, nec ut ante frequentes
Fingere ſe, vel inire moras: ſed fœdera jam nunc
Poſcere, præſentique facem permittere turbæ.
Arrexere viri patulas ſermonibus aures,
Et thalamos ſibi quiſque parat. mox largius inſtat
Alcon, & O, charæ, Juvenes, addicta puellæ
Gens, ait, hæc longos lux finiet una dolores,
Hoc Rhodope fit ſponſa die. Nunc area fandi
Panditur, & verbis opus eſt, natæque procandum
Arbitrio. Rhodope, quem vult, liberrima ſponſum
Eligat, æqualemque ſibi deſignet amantem.
Partes quiſque ſuas agat, & ſpectetur amando
Quiſquis amat. Nunc Idaliis facundia roſtris

Intonet, & claram Dominâ ſub judice cauſam
Vincendam ſibi quiſque putet. Nil legibus ullis
Eſt opus, hîc ſpretô, locus eſt affectibus, æquô.
Subriſere proci. Vultu pudibunda modeſto
Annuit, & dictis Rhodope ſua vota paternis
Adiicit; ac conſcendit ebur ſedemque paratam.



Olli veſtis erat pictis frondoſa viretis,
In qua lætus Hymen, Venus, & cum Pallade Phœbus
Coniunctas agitant choreas; rapidiſſimâ cervos
Inſequitur Diana ſuos,ionteſque lacuſque
Tranſvolat, & curſu canibus decertat anhelo;
Ipſius inventum Rhodopes. Latus agmen utrumque
Claudit amatorum juvenum. Stat primus Achilles,
Terrorem incutiens oculis. Cui iungitur acer
Æacus, antiſtes legum. Sua tertius addit
Nomina mercator Priamus. Cui proximus adſtat
Crœ-

Crœſus, opum dives. Quintum locus addit Homerum.
Sextus pictor erat, proavum mentitus Apellem.
Summus acu præſtans Calaphus. quibus unica cunctis
Fœmina litigio datur exoranda diſerto.

Incipit armiſonans prior, &, qua pollet, inermi
Voce tonat. Cur non paribus contendimus armis?
Semivirûm lis noſtra procûm eſt. quin ſtringimus enſem,
Quo præſtet ſe quiſque virum, videatque lacertos
Quêis recubet generoſa nurus. Non Cypria ſantem,
Sed ſtantem cupit & ſpirantem prælia Martem.
Molle genus, cui lingua potens. facundia fortes
Neſcit, & armatis minor eſt. Cui brachia pollent,
Odit mite loqui, duro ſpectabilis actu.
Orator, qui forte cadam fortaſſis, agendum
Si foret, hæc, hæc ſcena mihi, proh! turba furenti
Cederet; & cedet; tibi ſi, fortiſſima virgo,
Conſultum cupis, atq; iſtam micuiſſe machæram
Si dederis. procul, ite procul, nec belliger in vos
Irruat. (obriguêre omnes, profuguſque notavit
Ora cruor.) Sed enim, quid ſemianimes dare letho
Laudis erit? ſiſto rabiem, dum cominus hoſtem
Inſequar, & patulis decernam prælia campis.
Quos ſanie tinxi toties, cum millia ſolus
Sternerem, & oppoſitis inferrem ſigna maniplis.
Quod Thebæ vicere meum eſt. Ego templa focoſq;
Fortibus aſſerui ſtudiis. Ego cornua Nili
Pacatamque dedi domitâ formidine Memphin.
Teſtor, Virgo, Deos, teq;, impavidiſſime Mavors,
Teque, parens Bellona, meis aſſerta triumphis
Numina; me indignæ componi in amore catervæ.
Quæ neque ſe gelidi mediis exercuit aſtri
Frigoribus brumamve tulit, nec acuta calentum
Ora canum, quæ nudatis fortiſſimus armis
Suſtinui. me terra ſuum, me iactat alumnum

Pontus. uterque ſibi noſtri præconia partus
Vendicat. Ille animo ſimul & cognomine Achilles,
Quem refero, Phrygias aliis virtutibus arces
Non domuit, Priamique domum, durumque ſubegit
Hectora, quàm patriam defendi cædibus urbem,
Infeſtoſq; duces pepuli. Me patria nato
Noſcitur incolumis, longoſq; infracta per annos
Perſtat avis ſuffulta meis. Quos ipſe perennes
Maioreſq; dabo. noſtris tollentur ab armis
Amplius. haud horum tenebras offundet honori
Conſpicuus virtute nepos, nec degener unquam
Eſſe ferar. potius labentem Mundus Olympum
Cernet, & horrebunt labentem tartara Mundum,
Quàm noſtram ruat ulla domum vis. hæc ego ſtantem
Siſto manu, tollamque magis, ſi fœdera mecum
Nympha, ſubis. non nobilibus melioribus uſquam
Nevè pari ducere viro. qui ſanguine quamvis
Tingitur, & ſanie ſpumantem concutit haſtam
Cum Furias Erebumque ciet, metuendaque nuptis
Arma parat; tamen in molles uxoribus ulnas
Magnanimum inclinat latus, & ſua brachia dulces
Format in amplexus, labiiſque tumentibus hærens
Baſiolis bellare valet, noctemque diei
Jungere & aſſiduas gremiis committere luctas.
Eſt animus, ſunt membra mihi, quæ non niſi laſſam
Deſtituent. hos cerne meos, Blandiſſima, nervos
Hi te ferre queunt, & quâvis arte tenellam
Volvere. Proh! levis iſta Parin quid turba parentem
Faſſa dabit? flebis thalamos, ſi poſcis, inertes.
Non iſtis mas ſuccus ineſt. non, quâ mihi turgent
Pectora, flamma parens. aret vicina ſepulchro
Sicca cutis, vatiq; vigor defecit amandi.
Ille ſuam ſcribat Venerem; nec vincula, quæ non
Suſtineat, pepigiſſe paret. ſua baſia chartis

Pin-

Pingat, & aſſuetis calamos exerceat horis.
Aut ſi maius opus iuvat, hæc, quæ prælia geſſi,
Carminibus det clara ſuis. me jactet Achillem
Argolicum, veterique parem ſe præſtet Homero.
Æacus obſervet leges, rixiſque juventam
Tranſigat, & virides impendat litibus annos.
Ille foro ſtudeatque reis, miſeræque miniſtret
Officium ſervile togæ; planctuſque preceſque
Audiat & dubio decidat iurgia recto.
Hic cauſſis affixus erit, lectoque tabellas
Auſteram volvetque Themin; cum gaudia de me
Deliciaſque feres geminis revoluta lacertis.
Quid tibi cum vili Priamo? cui ſcrinia turgent,
Mens iacet; & ſolas fraudandi perfidus artes
Piſcatur ſitibundus opum. ſi vilior auro
Jam virtus, huîc nube viro. ſed te tua longe
Vis aliam dici iubet, & ſordoribus iſtis
Eſſe procul cogit. Dites ſubmittere mavis
Et præſtare bonis animi, quàm cedere glebæ
Pallentique luto, quo nil Natura ſecundum
In caſus, in damna tulit. Quin, ſi tibi quicquam
Æris opus, quæ prima furens in mœnia victor
Aſcendam, prædam debent, quam poſcis, opimam.
Uno dives eris ſpolio. Quid Crœſus amorem
Suadet iners terris onus, & depaſcere fruges
Natus homo? qui membra trahit, cui ſpiritus atram
Spirat humum. deſiſte, pecus brutale, nec iram
In te tolle meam. millenos perdere tales
Me memini. tibi fors uno dependet ab ictu
Et Mavorte meo. Cum latos ſubdimus agros
Subderis, & perit eſca tibi, moribundaque perdunt
Ora cibum, reſtatque mori. Quid ſtultus Apelles,
Quid Calaphus petit hîc? roſeos depingite vultus
Spondendæ ciliumque meæ, ſcenamque theatri

Huius & egregiam, juvenes quà ſiſtimur, aulam.
At ne vos ſocios nobis, aut addite victos.
Quas fregi, formate acies; & turbinis inſtar
Ducite me; ſeu quà domitas per flumina turmas
Inſequor, & ſolidas calco bellator arenas,
Veſtigoque gradus profugûm: campiſque triumphans
Expacior, frameamque vibro, cuneoſq; pererro
Cum muros ſubit hoſtis, & in penetralibus hæret.
Infractum telis caput hoc, & vulnera corpus
Mille gerens, madidamq; hoſtili ſanguine criſtam.
Hæc veſtrum ſit caſſis opus, preciumque favoris
Expectate mei. Rhodope, cui nubat, amator
Dignus ego. mea nobilitas, mea geſta, meuſque
Hoc illi perſuadet amor. Non ipſa maritum
Faſtidit Martem Venus, & ſe pulchra cruento
Commiſcet Citherea viro, ſaniemque procanti
Abluit, & cuqidis furibundo involvitur ulnis.
Sic nubit regina tori; Rhodopeque favillis
Candeſcet ſic ſponſa meis, nec in altera flectet
Fœdera, quêis toti mecum celeberrima mundo
Clareſcet, poteritque coli. Et ſi fata tiaras
Huîc ſervant, ut ſiſtra ferunt, dandaſque ſacerdos
Aſſeruit: me, me valet has de milite certas
Poſcere, & a noſtris alibi ſperaſſe triumphis.
  Hiſce Neoptolemus ſiluit, nec plura locutus
Demiſit Rhodopæ caput & ſubriſit amicè.
  Continuo invadunt omnes, maculamque refellit
Quiſque ſuam. Sed Virgo, graves dum temperat iras,
Æace, fare prius tantaſq;, ait, excipe voces.
  Ille ſolo preſſos ægrè dimovit ocellos.
Mox Rhodopen veneratus & ipſos ordine ſtantes
Sic peragit ſtringitque procos. Pulcherrima rerum,
Seu tibi divinæ radiat frons æmula formæ,
Nec dici mortalis amas. Seu, neſcia faſtus,

Hu-

Humani conſors generis matrona vocari
Poſcis, & æthereæ ſpecimen venerabile dextræ,
Ac Jovis inſudantis opus. Mirabile cœli
Germen, & attoniti decus inviolabile mundi.
Hæreo; nec condigna meis cognomina flammis
Subveniunt. Taciturna tuam ſi gratia mentem
Tangit, & ad mutos juvat incandeſcere geſtus
Impotem & elinguem aſpicias, nec magna loquentem,
Sed ſibi vix conſtantem, & faucibus exhalantem
Amplexare animam. Morimur, niſi vivere per te
Detur. (Ab hoc nihilo minus ut miſereſcere planctu
Conſpicit, atque aliis quatiendam vocibus aulam
Flectendoſque ſinus. fatur, quæ fata probentur.)
Viſne loqui me, Diva? loquar. ſed, neſcius iræ
Non ego purpureis gladiatâ voce labellis
Exſangui nocuiſſe metu, nec molior ullum
Impatiens ſtraviſſe virum. Non ſtringere ſicam
Me decet, aut te, Virgo, juvat. Sit militis iſto
Inſanire modo. tu mitem mitis amantem,
Et gravis ipſa, gravem cupis, & qui dicere jam nunc
Non pugnaſſe queat. Tu dic, Bellator, inermes
Inter amatorumque choros, quid bruta minaris
Fulmina, & imbellem terres, timidiſſime, gentem?
Rivales patienter habe. nec virgine coram
Decertare velis odio, ſed amore procemur
Et ſola ratione proci. Si bella requiris,
Bellatum, crudelis, abi, quâ ſegnior hoſtem
Invenias. Nobis blandè certantibus inſons
Quadrat amor, faciliſque Venus; quam pectore totam
Poſſideo Mavorte carens. Hunc Cypris amantem
Fecit adulterio ſemel; & tu crimina, demens,
Tollis, & exemplum facis, atq; imitanda puellæ
Stupra crepas, iactaſque nefas? Confeſſus Olympo
Quiſque ſuum doluit ſcelus & punitus uterq; eſt.

O 5 Exu-

Exulet hinc furor hic. Nos caſti fœdera lecti
Pangimus, innocuoſque toros; quos neſcis iniqui
Prave celebrator thalami; & te milite dignam
Rem præſtare putas. Vetus eſt & regula conſtans
Caſtrorum peccare duces, peccare ſequentes
Caſtra viros, fidei nihil aut pietatis in ipſis
Naturâ patiente, dari. Vos mater Erinnys
Monſtra tulit peiora ſuo quam claudit Averno.
Vos primas populis clades & damna dediſtis.
Ferrea vos ætas genuit, cum nullus haberet
Terrarum regimen Deus, & ſeceſſit in aſtra
Divarum poſtrema Themis. Vos montibus altum
Aggreſſi violare polum voluiſtis, & ipſum
Flagitio turbare Jovem. Quid ſtemma vetuſtis
Progeniemque extendis avis? Vos iſta propago,
Quam dixi; Vos primævi genuere gigantes.
Contemtrix ſuperûm ſoboles, avidiſſima cædis
Eſtis, amans furiarum, humanæ cauſſa ruinæ.
Hanc loquere, hanc effare tuam. Quos urbibus ignes
Intuleris, domibuſque faces. Quot templa, quot arces
Sacrilegæ rupêre manus, raptorque puellas
Preſſeris, emunera: & rabidæ tot crimina dextræ.
Hæc facis, hæc iacta; factis hæc verba pudendis
Conveniunt. Moveare licet ſi, Nympha, movendum
Pectus habes, ſcelerum meritis. Concede furenti,
Si cupis eſſe furens. Tu primæ à flore juventæ
Altera viſa mihi es, quàm quæ ſe iungere tali
Expetat. Illa animi Venus & agnata labellis
Gratia, quæ Divam decet, & frons æmula lanæ,
Ac nive candidior, tali fœdanda marito
Ne detur, lux noſtra, precor. Te ſanguine ſudans
Terreat, extinguatque facem, ſi concipis, ullam.
Me redames, adamata mihi; quem juſſa ferentem
Militibus, dantemque fero mandata Gradivo
Illu-

Illuſtres celebrant Thebæ. Pars magna ſenatus
Nos ſumus, armatas cui jus compeſcere dextras,
Et Marti laxare gradum. Nos tempora pacis,
Tempora nos belli, famulis inducimus armis.
Tu miles, tu verna meus, tu numine noſtro
Duceris. arma togæ cedunt, & faſcibus haſtæ.
Parent caſtra meis, quantumvis horrida, roſtris.
Nos, queis agmen eat ſpatiis, queis cornua terris
Inferat, & quales cingat decernimus urbes.
Quæ geritis, ſunt geſta patrum. Nos ſcandimus arces,
Nos capimus, Patriæq; omnes avertimus hoſtes.
Noſtra Deum fortuna refert. Nos legibus orbem
Subiicimus, velut ille palum. Nos purpura ſacros
Cingit, & à toto diſtinguit regia vulgo.
Humanum per nos vivit genus; omnis ab aula
Impetus, imperiique quies. Quas ſurgere Thebas
Cernitis, ut ſurgant, facimus. Commercia, quæ, tu
Mercator, patulo nunc deſcendentia Nilo
Aſpicis, unde tuum ſtudiis ingentibus aurum
Conglomeras, ſunt iſta meo ſtabilita ſenatu,
Et noſtrâ fundata manu. Nos claſſibus æquor
Pandimus, & domitis merces tranſmittimus undis.
Nos fora, nos portus ſtruimus nobiſque pateſcit
Curia, quæ vaſtam dominatrix poſſidet urbem,
Et veſtris dat jura bonis; quæ parta nocenter
Sæpius à noſtro dependent omnia voto.
Proh! quos veſtigaſſe dolos, aſtuſque notaſſe
Me memini, cum detectas iniuria fraudes
Fleret, & impoſito damnarem crimina duplo.
Ipſe reum feci Priamum; quo nullus habetur
Callidior corraſor opum, quas nomine plures,
Et ſpecie, quam rebus habet iactantius illi
Ingenium eſt, quæ vendit, emit, non illius eſſe
Credimus; hæc præſtat, ſumptis in fœnore, nummis.

Mer-

Mercantum fortuna rotis inſiſtit, & orbes
Fluxa ſuos patitur. rarò, quæ ſumma, recurrit
Orbita; plus cadit in præceps, & vergit in imum.
Inſtar aquæ venientis, adit nos, atque cadentis
Inſtar, abit. Tremulis rapitur Cyllenius alis
Emptorum pater, inſtabiles imitatus alumnos.
Tempeſtas, vis una Noti bacchantis, in omnes
Jus habet. Ah! videor gemitus & cernere planctus
Quos de nocte dabis, Rhodope, cum forte procella
Et ſævum ventis mare, concuſſaſque triremes
Flebit inops animi Priamus: lapſumve timebit
Alterius, quo dande, cadat. vel trudere merces
Neſciet indemnis. Longis dotabere curis
Hunc ſi, Nympha, petas. mihi ſi jungare togatos
Inter, & Ægypti proceres, jungare quieti,
Omnibus his reverenda viris; flectenda quibus jam
Siſteris, atq; oranda daris. Tibi roſtra togamq;
Subiiciam; Tu jura reis dabis inclyta noſtris,
Et poteris Themis ipſa coli. Quis talia Vates
Suppeditet? dabit hic hederas, lauroſque coronaſq;
Et mixtos foliis flores. Te ducet egeſtas,
Duraque pauperies, ſterili ſi dextra poëtæ
Jungitur, & vacuas poſces in fœdera Muſas.
Vile genus Vatum. Divam non Delius ullam
Hactemus ipſe videt facilem. ſub montibus altis
Alget, egens Thalami, nec amicas baſiat ipſas
Pierides, quas nullus amor compungit inertes.
Eſt calor in Phœbo, fateor: ſed flamma puellis
Grata parum; vatemque ſuo quæ frigida lecto
Deſtituit, ſoloque viget furibunda cerebro.
Non calet inde focus, nec egenus veſcitur infans.
Vis doceam? pater eſuriens deceſſit Homerus,
Totq; alii, quos fama notat. Gens nulla Regentum
Blanditiis ſtudioſa magis, nec ſerva cuiquam

Noſci-

Noſcitur. Ars illis fluidis componere verbis
Verba, pedi ſociare pedem; vacuoque palato
Ventoſum difflare melos. quod turbinis inſtar
Per varios agitant caſus. modò triſte feretrum
Spirat epos, paretque neci. modò prandia captat
Et ſitit. Aoniis falſum eſt hos mergier undis
Pantophagos. Alimenta gulæ quæruntur inani,
Poculaque & Latio carcheſia plena falerno.
Nil agis, hinc, Vates, abeas: mendacia, nugas
Perſequere atq; abſolve tuas. Et ſi tibi ſoli
Ire pudor, comitem ſumas, cui proximus adſtas
Et Crœſum, Calaphumq;, & parvæ mentis Apellem:
Tu chartis, alius levibus figmenta tapetis
Inſeret, & tabulis melior. Tu, Crœſe (nec eſt quod
Impediat, dum muneribus non fungeris ullis)
Orbis onus, ſpectator eris. mihi feſta parentur,
Et perſuaſa meas Rhodope deſcendat in ulnas.
Dixit, & irriſum tetigit vox ultima Crœſum.
Qui doluit non poſſe loqui; dum tertia vates
Verba ſibi facienda putat. cui promptior ipſi,
Sed malè, præfertur Priamus. Quem talia fantem,
Lector, habe. Niſi falſa meæ ſententia mentis,
Quæritur hîc: levis annè gravi ſit dignior auro
Penna, vel argentum ferro. Quis, maxima Virgo;
Quis ter-magne pater Rhodopes; quis denique, fortes
Hoc velit evolvi, Iuvenes? Si quæritis omnes,
Solus ego, nullus dubito. Tu, prime furentum,
Quid niſi ferratas acies, haſtaſque ſecureſque
Armaque, Bellonamque crepas? Te deſtruis ipſum,
Virgineamque metu mentem quatis, & ſceleratis
Terrificas animum dictis. Occide peregrè,
Hic furias compeſce tuas, & virgine coram
Indue pacatos habitus, ſi poſſis; & iram
Si nequeas differre, aufer; nec tela capeſce,

Quam

Quàm prius hinc capiare foras. Tu, præſidis aulæ
Grande manucipium, & ſudantis verna ſenatus,
Quid, præter cauſas, & acerbæ iurgia plebis,
Aut noſtras agitas, ſterili conamine, rixas?
Quæ rerum momenta tonas, & pondera, non ſunt
Hæc fidei mandata tuæ. Conſultius iſta,
Te ſine, Pſammetichus gerit; & qui proxima regi
Vota ferunt. Tu tranſactis adſcriberis actis.
Nec regni ſecreta ſubis. poſt longa vocaris
Principia, & numerum ſupples. Quę cognita vulgo,
Sunt vix nota tibi. Proh! te, Memphitica tellus,
Vindice, te rectore, ſuos exaggerat altum,
Scilicet, imperii reditus! Te dante, redundat
Nilus, & emergunt Thebæ! Quis talia ſanus
Credat? aberrantem facis; & ridemus ineptum.
Ut loqueris, merces trahis & tu diſtrahis omnes.
Tu noſtrum dat ſtare forum. Terræque quietem
Aſſeris, & pelago requiem. Quin Jupiter ipſum
Scande polum, ſic cuncta reges. Deſiſte procator
Æace. Nil ſolidi loqueris nec amabile quicquam.
Hîc cives, hîc ſorte pares ſumus, & ſimul apti
Æquatum ordimur facinus. mihi gloria grandis
Eſt ſatis, apponi vobis, &, præſide Nympha,
Pro meritis certare meis; quæ metior auro,
Non verbis, quæ captet inops. Ego divite cenſu
Arbitror impelli Venerem, nec honoribus ullis,
Nec gladiis, aut enſe capi. Quas alma ſagittas,
Quas faculas arcuſque tulit, peſſumdedit iſtas
Plus trutinis armata ſuis. Argentea mavult
Pingier, & fulvi dici regina metalli.
Hoc precio ſe vendit Amor. Quin aureus olim
Sic iit in gremium Danaës, cum dives Olympus
Gentibus exemplum dedit, atq; imitanda puellis
Lata omnis lex iſta tori eſt. Nil fortius illo

Erui-

Eruitur, ſub ſole, luto. Decus omne Potentum
Omnis honos ſplendorque Ducum, mundique poteſtas
Argento venalis ineſt. Cum deficit iſtud,
Omnia deficiunt. Regali Telephus oſtro
Et ſoliis exutus, egens per compita ſtipem
Poſcit, & infamis, modò qui ſublimis, habetur.
Nummus numen habet. Quæ tu vicina Tonanti
Pyramidum monumenta ſtupes, hæc, ære miniſtro,
Sceptriferæ poſuêre manus. Quæ ſternere Cœlum
Neſciet, argento mandes ſternenda, jacebunt.
Arma geram? Plutone magis, quam principe belli
Marte fruar. Pacem cupiam? dat Plutus eandem.
Jura reus timeam? redimam mediantibus auri
Ponderibus. Polienda domus? polietur ab auro.
Auro tota ſalus hominum mercabilis extat.
Hanc dabimus, ſi danda mihi es. Me compare, quicquid
Poſcis, habes, Rhodope. Pariis exciſa cavernis
Marmora, tecta ſtruent tibi, quæ, compagibus aptis,
Formoſum deſtinguet ebur. Quod pingat Apelles
Cuncta potens Mercator emam. Parietibus addam
Quæcunq; ornamenta petas: ſeu ſtamina malis
Aurea, ſeu gravidas argento divite pelles.
Omne latus bombyce teges. Tibi ſerica pallam
Tela dabit. niveis onerabo brachia gemmis.
Et collo tibi torquis erit. pectuſque pyropo
Flammivomum radianſque dabo. Nil ſerva profundis
India vorticibus medioque vaferrima fluctu
Quærit, inacceſſiſq; audax maris elicit antris,
Aut, foſſâ tellure, legit, quod non tibi dignos
Ibit in ornatus, Rhodope. mihi regia curæ
Forma ſit, illuſtreſque genæ, rutilique capilli
Fronſq; ipſas tranſgreſſa deas. Quos terra paratus
Neſcit, & Ægypti nurus, hos in coniugis uſus
Eximiæ, inquiram precio, ſi venditur, ullo.

No-

Nobis pontus aquas habet, & ſe mundus in orbes
Flectit. In Æthiopum calidas modò currimus oras
Claſſibus & gelidam mercantes cernimus Vrſam.
Huc vehimus, quo quiſque tumet, miruſque vocari
Promeruit, ſeq; ipſe beat. Mihi Veſper & Ortus
Frugifer in quæſtum venit, &, quos Africus, axes,
Quos Notus, & Boreas tenet. Hinc tot millia numûm
Crebrius in cenſum damus; & lachrymantia bello
Augemus multum attritis æraria Thebis.
Congeritur nobis, Dominis quod perditur aulis.
Illic Pantolabos inverſoreſque peculî
Sarcophagoſq; alimus, Cives. Sudore Regentum
Paſcitur ingluvies noſtro. Quæ faucibus aufert
Paupertas alimenta, gulis ſorbentur ab iſtis.
Quæque domus gemit; & ſolo ſe curia luxu
Explicat, iratumq; èxlex irritat Olympum.
Huic uni datur eſſe malæ. Nos jura coërcent,
Quæ clamat non ſcripta ſibi. Petulantia, Divûm
Contemptus, ſpretôque vorax injuria juſtô,
Et faſtus, conſumptor opum, venalia roſtris
Omnia proſtituunt. Impunes undique fraudes
Cernimus & ſcelerum numeros. Quibus, Æace, tu me
Inferis? innocuumque premis? Calcamus iniqui
Judicis inventum, & lapſæ convicia linguæ.
Me cuncti novere pium. Se conſcia virtus
Ipſa ſibi abſolvit dominam; nec læditur intus,
Quicquid agant maledicta foris; nil ſpretor in illam
Proficit. Incaſſum veluti cum turmina ſaxum
Concutiunt, vanaſque Noti ſolvuntur in iras;
Sic ſe probra probis frangunt illiſa potenter
Pectoribus, firmæque manet victoria menti.
Sim tibi, ſim, quem tu facis: hunc dum deneget eſſe
Alcon & impatiens Rhodope: quibus indole dudum
Noſcimur, & parto proavûm ſucceſſibus auro.

His

His hæres ex aſſe fui. & peperere parentes
Quas mihi res, auxit propriis induſtria curis.
Alea ſint marcantis opes, tremuliſque pererret
Divitias Fortuna rotis, comes illa labori
Arriſit tamen uſque meo. Si puppibus undas
Sulcavi, rabidos mihi rex compeſcuit euros
Æolus & tumidæ ſe ſubmiſere procellæ.
Per terras facturus iter, ſine crimine tutus.
Illæſuſque fui, dum nunc pacatior audit
Nilus, inacceſſique carent latrone receſſus.
Nec partes trux miles habet, ceſſantibus armis,
Quas obeat. ſpectare licet, quà regia Memphis
Imperat, ut ſurgant cives, dum, pace reductâ,
Vivitur & latis creſcunt commercia regnis.
Queis floret gens noſtra, ſuumq; huc undique robur
Congerit & populos vincit ditata remotos.
Quærimus invidiam, dum nos proclivior Æther
Aſpicit. At tu terra parens, nòn fingimus, iſtud
Mercatoris habes. Iſtud non militis, iſtud
Non vatis, non perdentis ſua tempora Crœſi,
Non pictoris erit dicendum, credimus, iſtud
Hoc noſtrum eſt, non alterius. Nunc annue nobis,
Annue, Diva favens. Alii tibi plura loquaces
Et majora crepent. Ego vaſtos dicere pro me
Auguror argenti cumulos. Tinnitibus iſtis
Eloquar & veſtras incurram mutus in aures.
Hoc jus eſt, cunctuſque viget lex unica ſæclis,
Dicta nihil, nihil ora juvant vel mellea, ſolum
Sermonum rerumque gravi ſtat pondus in auro.
Dixerat hic. Mox Crœſus ait: Mihi cuncta notanti
Expendentiq; hæc quæ nos ſub ſole caduci
Mortales molimur, ea eſt ſententia, quæ me
Inconcuſſa tenet. ſortis tam nulla beatæ
Fundamenta ſtrui, divinæ motibus iræ

Quæ careat ſat tuta ſibi; quæ ſpernere cœlum
Audeat & nulli cedat ſecura ruinæ.
Cuncta ſuos ſpectant obitus. ſed firmius unum
Plus alio eſt, Formoſa. Mihi, dum ſingula luſtro,
Vitanti peiora, genius, quod ducere vitæ
Me noſti, viſum eſt merito conſtantius omni.
Cuncta refutabo, quæ nunc operoſius iſti
Narravere, & quæ poſt hæc narranda ſequenti
Sunt numero. Tu, qui totum modo, miles, ovantem
Egiſti; Si fortè cadas pugnator, ut æquè
Eveniſſe poteſt, quid tum? quæ mœnia victus
Aſcendas? quas, dic, pedibus contritus in urbes
Prædaturus eas, mediis cum nudus arenis
Aut aquilis eſcam dabis, aut crudelior in te
Vnguem acuet dentemque leo? Diſcrimina mille
Bella regunt. ſæpe unius victoria venti eſt.
Et fumi nebulæque valent. cui fortè triumphum
Sol dedit eripuere atræ plerunque tenebræ.
Eia, age, tu, diſpone aciem, peditemq; equitemque
Ordine duc, geminaſq; exercitus exerat alas
Cum pugnam aſſultumque parat; pavor unius, omnes
Sæpe movet, vanaque alii formidine peccant,
Et cum rege greges cauſſa periere ſine ulla.
Quid referam rarò quoque & è tot millibus unum
Vix efferre caput? poſt longa pericula necdum
Extolli, mereare licet? dum cuncta favori
Cedere, dûm paucas virtuti creſcere lauros
Cernimus, & raras meritis aſſurgere palmas.
Militis hæc ſors eſt. Tua quæ ſit ſcire, Senator,
Annè cupis? par eſt iſti, nec certior ullis,
Qua ſpectes à parte, modis. A principe ſolo
Dependes, miſerande, tuo. tibi norma voluntas
Illius eſt. ratione licet nec legibus uti
Nec pro cive loqui; quanvis æraria plorent

Ex-

Excuſſæque gemant nimio ſub pondere Gentes.
Vitreus eſt Regnantum animus, cum ſplendet abundè
Frangitur, oblituſque ſui mutatur in horas,
Cum rerum ſic ſcena jubet, cum commoda captat
Quæ fuerit ſperaſſe nefas. peccare potentes
Ignorant, peccant ſoli qui regibus adſtant
Et mandata ferunt. Quicquid ductoribus iſtis
Sedulus exequeris, bene ſi ſuccedat, iiſdem
In famam titulumque redit. Si corruat, in te
Omne redundabit ſcelus, & plecteris acerbè.
Quid, quod agant, laudare tuum eſt? ſi rideat, eſt quod
Riſeris, atq; omnis placeas in imagine vultus?
Ante fores, ut verna, mane, dum quid ſit agendum
Longius expectes. graditur? tu dirige greſſum
Ut fert ille pedes; ſed ne præverte, nec illi
Junge gradum, ſed terga vide. ſubſiſtit? idem tu
Fac facias, dum rurſus eas cum cernis euntem.
Si te turba colit, viliq; aſſurgere plebi
Non dignaris; habes ſtudio quibus ipſe minori
Haud placuiſſe paras. Afro bis murice coctæ
Te circumvolvant lanæ; tibi ſerica utrumque
Subcingant tegmenta latus: dum pectus onuſtum
Ponderibus curarum, atq; undique circumſeptum
Tot formidinibus geſtes, quibus ipſe ferendo
Eſſe nequis. Nunc inconſtantem in pluribus horres
Pſammetichum ſceptrique vices. Nunc æmula volvis
Nomina tot. totam metuis, dum tolleris, aulam.
Quam ſequeris de ſorte times. Apis inſidet iſtis,
Quas ardes guſtaſſe, favis, & ſpicula monſtrat
Tentanti libaſſe. Roſas, quas vellis, eaſdem
Spinæ pungentes retinent; has ſanguine tinges
Si tangas. En hæc rerum fortuna tuarum
Æace, & hoc eſt rege frui, cui conſulis uni.
Quas merces, Mercator, habes, ego fluctibus omnes

Aſſimulo, quas hora dedit, quas hora repoſcet.
Dant dictis exempla fidem. quæcunque movetur
Tempeſtas, paſſim ſparſas per littora claſſes
Exhibet illiſaſque rates abſorbtaque fluctu
Corpora nautarum: queis, dic mihi, quis vetat ut te
Mox etiam annumerem, dum ſævum per mare crebrò
Volveris & fragili neſcis diffidere puppi.
Sed lucri ſtudioſus abis qua duceris æſtu
Undarumque animique ſimul; quem neſciet ullus
Caſtigare dies, dum vaſtos pandis hiatus
Et nunquam ſatiatus eris. plus poſcere, morbus,
Febris, avaritia eſt; quæ, quo plus ſemper habere
Nititur & perſiſtit, eo plus ſemper habetur.
Nil de vate loquar, nec de pictoribus; illis
Cura ſit affinxiſſe ſuos de more colores
Artibus, & quicquid Naturæ vultibus abſit
Addere, defectuſq; aliquo ſupplere paratu.
Hic illos labor unus alit. laus iſta miſelli
Peniculi & pennæ eſt. Quin tu, digniſſima virgo,
Vincla tibi potiora ſubi. & dum tempus & impar
Optio ſtat, mihi nube viro, cui prodiga dites
Effundit Fortuna ſinus, & copia plenum
Cornu offert. Aliis partitis vivitur horis;
Illum roſtra vocant; tenet hunc exercitus, iſtum
Merx trahit, & veſtris volvendum ſeparat ulnis,
Utere me, roſeiſq; halantem fige labellis
Et molli compone ſinu, cui laſſus & excors
Immorienſq; hæſiſſe velim. dum nulla per undas
Fert claſſes gravis aura meas; nec caſtra ſequenti
Sunt viſenda mihi; nec, qui præſcribere legem
Geſtiat, obſervandus adeſt ante omnia princeps.
Ipſe comes lateri aſſiduus, dux ipſe futurus,
Ducere ſeu duci mavis. Si vivere ruri
Te juvat, oſtendam tua, quæ, me dante, pererres
Præ-

Prædia. in exemplum Fauni per paſcua noſtrum
Agmina Hamadryadum cumulabunt denſa ſuarum.
Flore caput pectuſque tegam, poteriſque ſub umbra
Baſia complexuſque pati. Tibi mittet ab antris
Caſta feras Diana ſuis, canibuſque citatis
Ipſa propulſabis. Tibi poma tumentia ramis
Sponte fluent, hortuſque ſuos dabit omnis odores.
Urbem habites? quæ tecta tibi pulcherrima rident
Intrabis; veſteſque dabo, ornatuque ſuperbo
Te cingam, totis ſplendebis culta diebus
Ut cupies. nec erit quæ te nocturna tenebit
Cura fatigatam. mihi qui non currere ceſſant
Stant reditus. aliis pereunt, ſed tempore creſcunt
Divitiæ cunctaſque venit mihi fœnus in horas.
Anxietas iſtos premat. hoc in pectore regnat
Libertas aut nulla uſquam. mihi conferit arva
Agricolæ meſſemque facit labor, otia donat
Dum res lauta mihi. ſub primum ſomnia ſolem
Carpere & in mediam conceſſum ſtertere lucem.
Quærant cenſum alii. partis incumbere rebus
Dulcius eſt tutumque magis. quod quiſque laborat,
Atq; indefeſſis intendit brachia nervis,
Aut mentem varias exercet fixus in artes,
Lucrandi ſpe totus agit. quam quiſque quietem
Affectat, mea, Diva, mea eſt. Licet uſque beato
Eſſe mihi; licet eſſe tibi; niſi triſtis utrique
Invideas. Deus hoc noſtros avertat in hoſtes
Augurium; dumq; ipſa potes, te judice, ſerva.
Talia jactantem demiſſo vertice Vates
Excipit, ingenuumque oculis teſtatus amorem
Sic ait: Hoc quis digna queat proferre theatro
Nomina? quis tantæ meritis placuiſſe coronæ
Verſibus? & coram Rhodope, quam flectere noſtrum eſt,
Verba loqui motura Deam? Da, Phœbe, poëtæ,

 Da,

Da, Venus, ardenti vires & robur amanti,
Da mihi vim, Rhodopæque animum qui ſpernere fluxas
Res cupiat, terræque ſatur cæleſtia ſpectet
Culmina, maioriſque petat faſtigia famæ;
Atq; hominem quodcunque ultra ſublimibus hæret
Principiis, nullique poteſt concedere ſorti.
Hæc bona ſunt vatum, quos nec mortalia tangunt
Fata nec humani caſus; quæ cœlitus infra
Seque Jovemque vident, mediis dum nubibus illis
Mens habitat, divûmque illic ſe numine complet.
Rideat has qui neſcit opes. Non barbarus enſis
Non prædatrices rapient hæc dona ſariſſæ,
Non flammæ ſævæque faces. Quà nudus egenſque
(Talem finge) ferar, ſola ditiſſimus arte
Extollam & virtute caput. ſecurus honorum,
Si privata placent vitæ ſolatia, vivam
Ætherea ſatur ambroſia, quæ paſcere mentes
Suevit & exhilarat paſtas. Regale poëtæ
Scribentes ſibi dant ſolium, quod gentibus altè
Præſidet; hoc animi regnum eſt, quod ab impete nullo
Externo internovè quati, licet omnia nutent
In terris trepidentque, poteſt. Permitte, puella,
Et faciam ut credas. tecum per caſtra domoſque
Semideûm aſpectuſque ferar. quo cardine Titan
Se rotat & Lucina ſoror. quem Jupiter Orbem
Obſervet, quod Cypris iter. cur Pleiade natus
Ambulet inconſtans. cur dirum Falciger audit
Sidus & arma gerit. tardi cur ſtella Gradivi
Sanguinea rubicunda coma eſt. quid ſingula monſtrent
Sidera, quid conjuncta ſimul. cur blandior illic,
Triſtior hic aſtri facies. quò vertere crinem
Dicendus, ſtragemque ferox inferre cometes.
Quæ pluvias quæ cauſſa gelu teſtetur, & unde
Ventorum immanes furiæ, tactuſque veneno

Aër,

Aër, & preſſis jaculati nubibus ignes
Horrendumque malis tonitru. cur frigidus axis
In boream, zephyruſque levis, moderatius euri
Ingenium, madidaſque noto quis junxerit alas.
Quin etiam ſecreta poli totque abdita rerum
Oſtendam ſtudioſus. erunt quæ pectora flammis
Implebunt fomenta ſuis, nobiſque futuras
Res referent. Non in vanos præcordia flatus
Exſerimus; ſacer hic Genius. qui ſpiritus in me
Irruit, hic Deus eſt, aut quæ me gratia ſaltem
Participem facit eſſe Dei. cum concutit illa,
Eripior velut ipſe mihi, totumque vagatur
Ebria & extra me mea mens, Superûmque frequenti
Colloquio interſtat. cernit quæ longa dierum
Tempora poſt venient; & quam ſint lubrica noſtro
Omnia terrarum ſpatio. quodcunque videmus
Hic, illic capit eſſe nihil, ſanctiſſima, quod ſit
Auribus aut viſu dignum. tam grandia cœlo
Gaudia ſunt Vatique tuo, cui juncta marito
Æternis jungere bonis. quæ cætera ſpondet
Turba, caduca fluunt ipſique innata ruinæ,
Et vitiis famoſa ſuis, quorum agmina ſecum
Denſa trahunt. certa atque inverti neſcia rerum
Conditio eſt; præeant iſtæ, cumuloque leventur
Immodico; peccata ſequi, virtutibus omnem
Intercludi aditum; ſperni ſublime Tonantis
Imperium in terras; tumidoque inſurgere luxu
Omnia & in vaſtos hominem procumbere lapſus
Cernere erit. ſtamus docti, quos iſta bonorum
Non cruciat perverſa fames, quos numina parvo
Contentos hærere ſuo voluere perennes
Amplexu, non paſſa rapi pereuntibus Orbis
Illecebris. Agè, tu ſtudiis te, perdite, cunctis
Crœſe, nega; totuſque tuam petulantior auge

Et cura de more cutem. cum corpore ſenſus
Intumeant, mentemque preme, & me vince bibendo.
Cedimus hæc fugimuſque; mihi quod ſufficit æther
Det parcè, dum largè alibi effundenda reſervet
Præmia, quæ non ampla capis. Tibi vita vocetur
Mors, quæ vita mihi melior. Quem potus & eſca
Otiaque exercent tantum, ratione carentem
Dicimus & brutis ſimilem. ſi corpore præfert,
Abnegat hic hominem ingenio; quo quiſquis abundat
Erigitur, ſurſumque levat, quæ deprimit iſte,
Corda Creatoremque notat; quem ſanctior unum
Mens ſpectans, neſcit terras, Cœloque potitur
Et ſemet contenta beat. Quam tu quoque ab iſta,
Miles, ſorte procul diſtas! cui funera, cædes,
Totque feræ ſcelerum facies, incendia, raptus,
Pluraque, quæ ploro referens, in commoda cedunt.
Horreo & hæc horres, Rhodope mitiſſima, cuius
In vultu pax ipſa ſedet. Te, magne ſenator,
Te cupis ut perſtringam etiam, ut perſtringere cunctos
Auſus es; hæc ſi jura ſinant, tibi longa referrem
Scommata, dentatiſque darem convitia dictis.
Carminis hoc eſt, crede. Mihi pugnator jambus
Auxilio ſcazonque venit. vel quicquid acerbè
Pungenti decurrit acu. famulantur ad unum
Omnia verba mihi; propriis quæ flectere gyris
Et telis armaſſe meum eſt. ſed parcimus illis,
Et ferimus maledicta, neges dum conſona nobis,
Ut facis, & ſpernis, mea lux; quæ rebus inhæres
Et curas quod pondus habet; quo maxima jactans
Æacus inſurgat; niſi vanis ludit in umbris
Impoſtor. Mihi crede, parens & Nata, patroni
Fungitur officio hic judex, cauſamque tuetur
Injuſtam pariterque ſuam. Sic dicere roſtris
Suevit & inconcinna loqui. mendacia crebro

Audit & iſta probat. majora minoraque veris
Jactantes imitatur & hos jam vincit agentes.
Imperat in lites, fateor; ſed carpere ſpinas
Eſt iſtud. te malle roſas, lepidiſſima, vates
Queis tegimur, nullum dubium eſt. Si præſidis aulæ
Jungitur illuſtri numero, fortè agmina claudit,
Duxque gregis caper eſt quem vaſta armenta ſequuntur.
Pſammeticho comes eſt. quid tum? ſi principis arcem
Scandere fert animus; ſcandam, dum gratior illi
Per titulos per & arma vehar; quæ, quà modò victor
Dirigit extollam vel vero celſius ipſo.
Exigit à vulgo cenſum, tondetque popellum
Plus ſolito? ſtantem mulcebo carmine plebem;
Et perferre jugum faciam, damnoque ducique
Aſſentire ſuo, ſine me quem ſpreverit unum.
Sed non iſta moror; nec tu, privata, moraris
Servum aliis vitæ morem. liberrima mavis
Vivere regnantumque procul ſecedere curis.
Sanctius in placidi gradiemur collibus Hemi,
Aut Pindi nos paſcet apex; unde omnia Mundi
Tædia deſpicies mecum, plorandaque verè
Gaudia terrarum; quæ, ſi qua parte placebunt
Uxori, præſtare tibi non ſegnis amator
Suſtineo. teneris ſi quiſquam vincula membris
Baſiaque amplexuſque ſuas formabit in artes,
Hoc vates facturus ero. tibi ſuavia Graio
More fluent, latioque rudis tractabere ritu
Mollius, & quæcunque genis figentur in iſtis
Oſcula, mox leges facient, quas conſcia noſtri
Poſteritas laſciva leget. dictator amantum
Te fiam moderante. Pharos, te Conjuge, tota
Ibit in amplexum melius. me vate puellæ
Candeſcent, thalamiſque mei inſcribentur amores,
Dum dudum poſt fata colar. Dum terra potentes

Obruit obſcuriſque latent pereuntque cavernis,
Dumque arces ſoliique ruunt, omniſque fatiſcit
Maieſtas, atque ipſa ſibi jam decolor audit
Purpura, perſtabunt noſtræ præconia famæ
Et non deficiens hederæ decus. iſta perennat
Laurea florenteſque comæ. marceſcere neſcit
Ille vigor, roburque ipſis ſibi ſumit ab annis
Atq; ætate valet. vivo decedat honorum
Qui mihi debetur cumulus; comitabitur ille
In tumulum, ſupraque meum monumenta ſepulchrum
Eriget & noſtros ſignabit marmore manes,
Quos Patriæ jactabit amor. Si mœnia certant
Mæonio de vate, meo de nomine gentes
Decertare velint. ſaltem ſe patria Memphis
Tollet & in noſtro celebrabitur inclyta verſu.
Tuque diu formoſa mihi ducenda nitebis.
Si faciem pingent iſti; quæ vita tabellis
Hæc erit una tibi brevior; te tinea, vermis
Blattaque conſumet. noſtris inſcripta papyris
Et famæ commiſſa dies perſtabis in omnes.
Ergo, Diva veni, & reliquis contraria vati
Vade peroranti comes, atque involve papillis
Ardeſcentem alacremque virum quem duxeris unum.
Sic fatur geſtumque facit. Quem dexter Apelles
Interrumpit, & ora movet non ſegnia ſextus.
Et tandem dixiſſe meum eſt. ſi peccat amator
Ordine, peccarunt alii quos bilis & ira
Concitat audaceſque facit, primoque loquaces
Oravere loco. magni non iſtud habendum
Verum animi ſignum ignavi. quò quiſque minori
Candeſcit moderatus eò conſtantior æſtu
Noſcitur, & plus inde ſapit. tu cuncta ſariſſæ
Subiiciens vultuque domans, imbellis & excors
Non falſò dicere mihi, dum primus in omnes
In-

Inſurgis, poſtreme. loco cur neſcis eodem
Hîc, quo ſtare ſoles dandæ cum tympana pugnæ
Signa movent? tunc tardus ades; nunc ora reſolvis
Prima furens; & vix pateris, quos ſcommate crebro
Læſiſti, conceſſa loqui. hæc ignavia certè
Non virtus dici meruit. nec tu tamen unus
Dedecus hoc ſubiiſti; at qui non impare culpa
Ante ſuas dixere omnes hoc impete partes.
Æacus hîc primas habeat ſplendore ſenatus
Sed non ipſe ſuo. poſt illum noſtra ſecundas
Ars ſumat. veſtras reliqui componite lites,
Aut eſtote pares. Me dum meus accipit ordo,
Quem ratione probo. Decori dat certa vetuſtas
Argumenta meo. cum nondum jurgia, nondum
In terris Rhadamanthus erat, qui perdere pravos
Et ſervare bonos poterat. cum nulla carinæ
Æquora ſulcaſſent, nec fœtas mercibus alnos
Intra Niliacos duxiſſet navita portus.
Ante loqui quam doctus homo, pedibuſque ligaſſet
Verba ſuis, flectique ſuos docuiſſet Homerus
In numeros. terras cum necdum abiiſſet in imas
Foſſor amans auri, nec qui ſecurior annos
Duceret, à curis procul, eſt inventus egenûm
Tortor & excuſſor Crœſus. cum numina Martem
Neſcivere Deum, nec belli nomina Mundo
Nota forent, nulluſque ferox invaderet urbes
Miles & imperiis ſemper creſcentibus inſtans
Ambitio; ſed cuncta ſuo tranquillius ortu
Starent pace nova. mea tunc, ſed numine in ipſo,
Ars micuit. Pictor Deus eſt, candentia prima
Lilia qui tetigit dextra, violaſque roſaſque
Murice diſtinxit proprio, qui gramina glebis
Arboribuſque comas varias, qui lumina Soli
Fulgoremque dedit ſtellis, qui turbida cœlo

Nu-

Nubula compoſuit medio, claroque profundum
Marmore conſpicuum. atque oculo impenetrabile noſtro
Condenſare ſolum voluit, qui fulva leoni
Vellera, qui primo pecudes volucreſque colore
Pinxit & humanos perfudit ſanguine vultus.
Sic authore Deo poſitique ab origine mundi
Pingimus. à noſtra chaos imperfectius arte
Pulchrius accepit formam, indigeſtaque rerum
Exulat è terris facies. imitabilis illa
Nunc oculiſque patens, noſtris auguſta tabellis
Clauditur, & quæcunque polo præclara ſub alto
Peniculi ſunt cura mei. Sublimia quiſquam
Si ſequitur, ſequor unus ego. ſubtile Tonantis
Ingenium miroſque noto quos rebus honores
Indidit. in minimis, quæ vos calcatis inertes,
Summa lego pingens. volucres per inane volantes
Aëraque & motum ventis mare, ſtantiaque undis
Marmora, lucentem findentes æthera montes,
Montibus & junctas valles, demiſſaque longè
Flumina ſtagnanteſque lacus, quin gramina campis
Obvia, frumentum ſulcis, & collibus uvas
Aſſequor. Exceptâ quævis componere vitâ
Poſſum ego. ſic Superos imitor fortemque Deorum
Humanus dextram tangit labor. aſpice, Virgo,
Aſpice quid poſſim ſubito. Dum tota caleſcit
Scena p[illegible]cum, auditorque fui, ſic duceris à me
Pictaque es. (& oſtendit Rhodopen in imagine pictam)
En vultus en, Diva, tuos! ſic exprimit illos
Cujus in hæſura es gremio, nunc ſenſibus hæres.
Sic tibi ſic frons alta micat. ſic lumine ſplendes
Sidereo, labiiſque tumes exilibus. ecce,
Colla pyrenea nive ſic candentia recto
Attollis, Formoſa, modo. ſic pectore clarum
Vincis ebur, colleſque facis. ſic vertice flavæ

De-

Dependent luduntque comæ, ciliique verenda
Majeſtas aſſurgit. & has, ſpectabilis, umbras
Accipis à tergo, dum totum cætera ſolem
Præripiunt. (ſtupuere omnes totiqne coronæ
Motus erat, Rhodopenque ſuis è ſedibus iſto
Pœnè trahit viſu) Dic nunc quis dignior horum
Me fuerit? laudant alii quæ munera fortè
Non capiunt arteſque ſuas. ego ſpector agendo
Unicus. ampullas & ſeſquipidalia jactant
Verba rudes iſti. at minimum eſt quodcunque laboris
Vidiſti, mirata, mei. te pingere quanvis
Artis erat ſummæ, dum nullos candida nævos
Ora gerunt, rugiſque cares. expreſſimus Iſim
Quam ſacram agnoſcis Divam. mihi pictus Oſiris,
Quem Jovis & Niobes natum, Typhone peremptum
Fratre pii columus cives, Abatoque ſepultum
Credimus ereptumque ſolo cognoſcere Numen
Majores voluere & noſtris addere templis.
Attonitos teneo ſpectantes undique vultus
Proque Deo me turba colit, dum non Deus illic
Aſt ego ſum pictor, qui mentes iſta notantes
Abripio ſurſumque levo, ignarûmque magiſter
Audio. quæ nequeas doctis perfringere dictis
Corda hominum, moveo hiſtoriis, licet ænea, pictis.
Aula meis fulget ſtudiis. laquearia per me
Alta micant, radiat paries, poſteſque relucent.
Arma viroſque noto, quàque hæc victricia Memphis
Signa tulit, paria ipſe tuli, ſed ſanguinis inſons
Et cædis. mercede alia quam pauperis uſquam eſt
Militis, aut vatis miſeri, Calaphique tenelli.
Obruor argento; pretiumque ars clarior omne
Tranſgreditur; quantum valeat ditiſſima neſcit.
Æſtimor affectu. ſapientum aſſurgimus ultra
Judicium. cunctos ſuperamus imagine ſenſus.

Au-

Auribus applaudas, vates, ſonituque cadenti
Surgentique canas. tali quoque tibia cantu
Tollitur & declinat. ego tua luſibus iſtis
Carmina compono quæ componuntur ubique
In triviis. alet haud miſeros inſania talis
Infantes fœtuſque tuos. nec te tua cinget
Purpura præſidio tali. tu vate marito
Eſuries, ſatianda mihi. laudantur abundè
Carmina ſed frigent, Rhodope, dum pluris emuntur
Artis facta meæ. memini cum nuper in aulam
Aſcendi tecum, vates. tibi laurea ceſſit
In pretium. ſed torque mihi circumdata grandi
Colla refulſerunt, multoque oneroſior auro
Egredior. quod habere tuum, pulcherrima rerum,
Omne potes. tot plena ſuis & ſcrinia gazis
Quæ tibi mox pandam, modò nè tua gratia nobis
Clauſa ſit, atq; iſtis pateat, qui ferre repulſam
Debebant. certè, neſcis, caſtiſſima, neſcis
Quid valeas nuptura mihi. frons iſta Dearum
Fronte prior Jovis uxori Venerique decorem
Detrahet. hoc noſtræ, Rhodope, debebitur arti,
Talis eris nobis. tua ſi præconia vates
Tollat, erunt qui ficta putent dum fingere vatum eſt.
Ars mea mentiri prohibet perfectior, & ſe
Comparat ad vivum quicquid facit. ille poëta
Dicitur audaci calamo. pictoribus unus
Eſt labor in vero Naturam ponere vultu.
Ergò tibi ſi forma placet tua, porrige dextram
Et placeam quoque pictor ego, cui ſola potenter
Curæ eris, illuſtris virgo. ſi forte tabellas
Et peritura times pictorum tympana, poſcam
Æs tibi, durantique mihi pingere metallo.
Charta ſuum conſumat epos ſcriptumque papyrus
Vatis opus. pereant contextæ ſtamine formæ.

Ro-

Roſtra ſenatoremque time, cui torva ſecures
Præfert turba ſuas; toti qui ſævior urbi
Imminet, & captat ſontes quos puniat atrox.
Illum lictor amet; vel qui ſe lite tuetur
Sæpius infami Priamus, cum tradere merces
Detrectat, vel habere negat. tibi miles in iras
Promptior horrorem incutiat. ſed blandior uni
Te mihi te tandem blandè concede precanti.
Dixit & expectat Rhodopen, num pronuba dictis
Annuat. Aſt conſtat ſolitis, ut & omnibus antè,
Geſtibus. hoc gaudens Calaphus ſic protinus infit.
Ultimus accedam, nihil eſt. modò primus inermi
Militet hîc pro me Divûm favor. inclyta quorum
Creditis, & veſtris, Juvenes, præſagia dictis
Certior antefero. ſcitis, quod rupe cavata
Numen, inacceſſiſque habitet convallibus extra
Portam urbis ſacer alloquiis Deus. unde futuris
Quærimus augurium rebus. ſua templa verendus
Illic Ammon habet, Lybiæ qui ſanctior omni
Præſidet Ægyptumque regit, venientiaque infit
Sæcula progreſſuſque hominum. quo ſingula caſu
Conſtabunt vel ſorte cadent. quis terminus ævi
Cuique datur, quod & auſpicium, quæ regula vitæ,
Quod ſit mortis iter. thalamos & fœdera lecti
Quæ ſibi quiſque paret, vel cœlo authore paciſci
Audeat. hæc certis nobis oracula plaudunt
Vocibus. audivi fantem è penetralibus ædis.
Ipſe Deum. reſponſa dedit mihi clara roganti
Quis tibi ſternatur, Rhodope, torus, & cui nubas
Diva, viro potius. *pingenti quæret honorum*
Fœdus acu tua Lux, dixit, ſibi doctior arte
Proſpiciet tali ſolioque locabitur alto.
Nube pari, Phrygio. Sacris ſic dicitur antris
Cortinæque jubent. Vos jam, ſi numina veri

Præ-

Præſcia cenſetis, Socii, ſi ſiſtra ſpecuſque
Reſponſore Deo rata ſunt. perpendite, noſtrum
Quis propior tali monitu, niſi talia doctus
Solus ego? veſtris non iſta vocabula quadrant
Muneribus, quæ certa mihi. noſti, optima virgo,
Arte pares ſtudioque manus, æquataque nobis
Omnia, conſenſum & concentum præter amorum.
Vivimus à teneris ſimiles. vicinia flammis
Fundamenta ſtruit noſtris. mihi parva tibique
Res & tecta patent. & ſic tranquillius ævum
Ducimus. artifici ſoli licet eſſe beato.
Ille ſuis conſtat pedibus neſcitque ruinam.
Fortunæ moderatur. habet quod mente quieta
Semper agat. ſedet uxori comes uſque tenellæ
Et natis, quibus auget opes quas quærit honeſtas.
A Jove nil ſperat magni, quem fulminis unum
Aſpicit expertem. metuat ſibi curia Divos
Ultores, injuſta bonis quandoque, maliſque
Mitior aut corrupta favens. hoc horrida miles
Spiret bella metu. innocui conſtamus, humique
Serpimus, atq; animi ſecura in pace latemus
Nos inopes iſtis, quos nil niſi grande crepantes
Riſeris egregiè, Rhodope, ſi ſpreveris, & me
Sumpſeris æqualem verbis. quæcunque poëta
Cum pictore refert, hæc illos longa poteſtas
Quidlibet audendi docuit. mendacia vendunt
Pro vero. Superos quos conteſtantur, eoſdem
Craſſius ignorant. animus tenebroſior illis
In ſacris. Baccho Venerique altaria ponunt.
Iſtis thura ferunt, Divûm ſi ferre cuiquam
Credibile eſt. ventri incumbunt, quem largius implent.
Hæc illis eſt cura Deus. quæ nubula vates
Trajicit, inſani vapor eſt fumuſque cerebri.
Nos, ſi qua eſt mundo pietas, nos noſcimur illa.
Sum-

Summa ſcatent vitiis. Nimias largitur Olympi
Regnator, cum damnat, opes. Deſpectior Orbi
Paupertas, propiora polo faſtigia tollit;
Quanvis ſpreta caſas habitat. reverentia Cœli
Major in exiles cadit, atq; inimica potentum eſt.
Quæ, pictor, miranda notas, non diſpare vultu
Iſta noto Phrygio; niſi quæ tibi pinguis adumbrat
Peniculus, mihi pingit acus, ſed purior illo.
Omne meum laudas quod tu pictoris haberi
Vis tantum; mea ſunt etiam quæ præmia jactas.
Stamina Pſammetichus quærit mea. jungor & idem
Parietibus. latus omne aulæ thalamoſque ſuperbo
Inſtruo contextu. atq; etiam mihi cedit Apelles
Inferior. cives veſtris ſua tecta tabellis
Exornant. mea magnates pictura regentes
Textilis attonitos tenet. & venalia vulgo
Non mea ſunt. mea ſublimes ars regia dextras
Vindicat authores. pia quæ dilexit Ulyſſem
Eſt operis regina mei. quæ luſit amantes
Penelope, filum tetigit. Si Jupiter Orbem
Depinxit prior, & varios induta colores
Exſeruit natura caput, quæ merſa tenebris
Nullius ante fuit formæ; atq; hanc pingitis ipſam
Pictores: eadem noſtris inferre tapetis
Nitimur inferimuſque pares; ſed pluris habemur
Diva, tibi, quæ pingis acu, craſſumque repellis
Peniculum. pingues tabulas maculaſque vereris.
Terſior in lana manibus labor, atque puellis
Mollior eſt, quæ molle genus, quæ ductile dictæ.
Conſona quæ tibi ſunt, habeas; atque artibus iſtis
Quas calles, capiare. Ducem, quæ cuncta fecundat,
Naturam accipias decet, & rationibus uti,
Quas ego do; fingunt alii, quos compta furentes
Garrulitas exercet inops & neſcia veri.

Q Nil

Nil horum, quæ promittunt, præſtare laborant.
Iſtis bucca tumet, torpet manus. Omnia verbis
Illuſtrant, & quiſque ſuo dictator in ore eſt.
Flectere quo credunt Rhodopen. hinc altius iſtis
Aſſurgunt commenta, graduſque audacius omnes
Exſuperant. Venus hæc patitur, cum conſcia falſi
Imponit, fraudemque parat. famulantur amanti
Omnia. Queis tacitè premitur, commendat apertè
In ſpeciem. ſpernit quæ non imitetur & in ſe
Quærat egens. ego me nullius juſtus honori
Opponam. hîc orator habet quo quiſque probetur,
Et quo ſpernatur. media quicunque locatur
Sorte, aliis meliore præeſt. tollaris in altum
Celſius, eſt gradus unde cadas declivior illic.
Metiri ſe quemque decet. Nemo improbus ultra
Natales ſcandet ſapiens. prudentior à ſe
Non diſtat. cunctas faciunt contraria partes.
Diſſimili lis, nata pari concordia lecto eſt.
Hoc charæ recubant Charites, dum triſtior alter
Eumenides diraſque fòvet. quas effugis omnes
Una mihi nubens, tot conditionibus æquo,
Et fatis, quæ ſancta colis ſequeriſque libenter.
His fretus finem facit & ſpem ſumit inanem.
Mox iterum aſſurgunt omnes, rurſuſque movetur
Æmula turba procum, multoque ardentius inſtat
Quiſque ſuæ victor Rhodopes. exordia credas
Sumere, nec dixiſſe aliquem. cum filia judex
Sic ait è roſtris: Juvenes quæ cuncta diſerti
Dixiſtis mecum genitor perpendet & uni
Sum nuptura viro. tantum concedite nobis
Temporis exigui ſpatium, quo nata parentem
Conſulat authoreſque Deos in fœdus habendos.
Sic memorat, miſſoſque foras educit amantes
Alcon, & in paucos ſuſpenditur alea ſoles.

Am-

Ambigit interea Rhodope, dubiaque vacillat
Mente diu. modò magnanimas in milite vires
Et proavis magnum genus excellentibus æqua
Lance notat. modò præclaras in judice partes.
Mox vatis miratur epos miraſque canendi
Illecebras. modò pingentem veneratur Apellem.
Et Calaphi reſponſa, ſuis & conſona fatis
Fata ſtupet. placet & Priamus quod dixit, & iſtud
Quod Crœſus crepat & placidæ tot gaudia vitæ.
Quemvis victa virum capit, atque invicta cuivis
Mox iterum obſiſtit. ſpernit quæ ſingula laudat
Nomina, non conſtans animo nec motibus æquis.
Æacus ante omnes & doctus plurima vates
Corda movent illi. hic aulæ ſplendoribus, alter
Ingenio. mallet conjunctis nubere donis,
Nec diſtincta ſequi; triſti miſcere poëtam
Æaco, & auſteris hederam connectere roſtris.
Aut vatem donare toga, doctoque tribunal
Exornare viro. metuit concludere, falli
Formidans. tamen hoc agit, & ſe diſtat ab ipſa.
Tandem ait. ah! miſeram Juvenum cui plurima cedit
Optio! cur uni nequeo placuiſſe procanti?
Cur me turba colit? nec certo fluctuat æſtu
Pectus inops animi? cur non hic diligit illam?
Iſte aliam? fœtæ multa ſunt virgine Thebæ.
Expectat Luſippa virum, quæritque Lycoris
Non quæſita aliquem cui ſe laſſiva maritet.
Una ego devovi thalamos, & ſponte ſequuntur.
Vis eſt noſter amor. mallem deformis haberi
Quam formoſa nimis, quæ ſum. ſed cur tamen iſtud
Imprecor ipſa mihi? poteram cum Pallade cælebs
Vivere Pieridumque choro. quin nubere poſſum
Et ſervare decus. ſed non jam quæritur iſtud.
Nubendum eſt. ſed danda cui? metus omnis in illo eſt.

Illic anxietas, Rhodope. quin arripe quem ſors
Cæca dabit, dum cæcus amor. procul iſta libido!
Utere conſiliis potius, monituque Deorum
Accipe tu vitæ ſocium. ſed, ſcilicet, iſta
Dî curant. te junge cui te jungere mens eſt.
Sed de mente feror dubia. moderabere menti
Tunè tuæ, quæ mente cares agitata per iſtas
Nunc, modò per flammas alias? ſine mente quid ergò
Exequar? & mentem quis jam dabit? Annè ſenator
Æacus? an vates? an promptus ad omnia miles?
Vel reliqui? furor unus habet cunctoſque potenter
Poſſidet, & tetigere ſuo, quo vulneror, æſtro.
Quò nunc tacta ruam? patremnè incenſa perorem?
Et quod nolebam, cupiam levis? anne repugnem
Quod præſtare prius volui? num ſpretus amator
Hos feret amplexus Crœſus, niveiſnè lacertis
His niger involvetur homo? corpuſque pudicum
Hoc mercator emet? num vilis imagine pictor
Illa ſe paſcet noſtra? Calaphuſnè tapetis
Inſeret hos vultus? moriar, Libitina, rogumque
Exſtrue & hoc, generoſa, veta. ſic dicar Amori
Oppoſuiſſe latus tenerum. decerne triumphum
Caſte pudor, nobis. & dum licet, exime flammis.
Sed quæ me tangunt flammæ? non mentiar horum
Aut nullæ aut omnes, Rhodope. ſi ferrea perſtas
Sperne omnes. ſed jam molles in viſcera ſenſus
Admiſi, nec plus mea ſum, ſed victima trador
Vincenti. mactanda igitur? num victor & in me
Irruet impatiens Veneris? lacerandaque nobis
Corpora ſunt? peream ſatius tedæque ſepulchrum
Illuſtrent loculumque meæ & mea ſplendeat urna.
Sic hæret neſcitque pati, quibus æſtuat, ignes.
Nec præferre cui cupiat quem novit, & in ſe
Vulnus alit, quod grande negat, creſcitque negatum
Sævi-

Sævius. immenſa nullum ſolamen in urbe eſt.
Rus amat algenteſque lacus claroſque fluentes.
Illuc ſe confert ſola comitata Corinna,
Incertum ſociâ famulânè per omnia fidâ.
Fons erat in patriis aliquis ſecretior arvis,
Clarus aqua dulci, quem nullus adire viator
Sueverat. Ammoni ſacer & Jove notus ab ipſo.
Illum virgo petit, (ſolitus namq; ille puellis
Virginibuſque peti eſt) hîc ſe denudat & artus
Mox lavat excellens Rhodope. dumq; aëre in ipſo
Emicat & radios jacit, en! Jovis ales ab alto
Aſpicit hanc (nam miſſus erat tunc fortè ſupernè
A Jove Junoni infenſo) ſimul attrahit alas
Lentius & deſcendit, ubi ornamenta puellæ
Exuviaſque videt niveas, ipſamque lavantem
Se Rhodopen, dignam Superum rectore rapinam.
Nec mora, quò ſiſtat Nympham fontemque relinquat
Tardius hæc, rapitur mira ſpectabilis arte
Calceus in ſublime aquilæ, quò certa repertæ
Signa ferat prædæ. volat illa per æthera clarum
Nuncia; ſed cœli volucris dum pendet in ipſo
Limine Junonemque timet, gravis excidit ungui
Præda reluctanti. ruit irrevocabilis illa
In terras, quas alta ſuis pomœria Memphis
Alligat urbanis campis. ubi roſtra forumque
Aëre in aprico, ſic ut tunc fata volebant,
Pſammetichus rex ſtare dabat. quod more vetuſto
Struxerat obſervans juſti, quò, teſte Tonante
Et ſpectante, ferat leges, & curia nulli
Clauſa ſit, atq; aditu facilem deſignet aſylum.
Simplicitas veteris fuit hæc laudabilis ævi,
Cum nondum venalis erat toga, nec pia longæ
Impatiens Aſtræa moræ conſumeret annos
Litibus, & tardis traheretur paſſibus æquum,

Totq; per ambages iret Themis. ipſe tribunal
Hîc ſtatuit princeps confirmatque omnia præſens.
Dumque ſedet cauſſaſq; attentus ventilat; eccè
Calceus in gremium cadit illius. ipſe repentè
Attonitus ſtupet & caſum & mirabile pignus
Virginis annè Deæ dubitat. ſic fecerat iſtud
Ipſa manu propria Rhodope. Autonoëius illic
Cornua ſumebat, nec ſe Titania cerni
Paſſa fugit poſt terga Hyales, laticeſque nepotis
Projicit in vultus Cadmi. cervumque fugacem
Diſrupere canes ſatiati ſanguine herili.
Vivere cuncta putes, ipſumque Actæona nomen
Sæpe reclamantem, dominumq; agnoſcite veſtrum
Dicere, & Ichnobatem ſocio mordere Melampo.
Rex tantum miratus opus, circumſpicit unde
Decidat. at nihil inveniens, oracula ſumi
Mandat, & exponi tali quid numina caſu
Significent. hærebat Iſis, nec quid ſit Oſiris
Iſtud ait; tantum dubia reſpondet in umbra.
Facturos quid grande Deos, greſſumque pedemque
Altius illaturum aliquem, cui regia plaudat
Purpura, quem foveat gremio rex ipſe potenti.
Fortè ſenatores inter conſederat ardens
Æacus in Rhodopen, qui, poſtquam virginis artem
Novit amatricis, primum ſiluiſſe putavit
Tutius ignotæ flammæ; mox prodere, magnum,
Charæ aliquid tam grande Deæ. Rex, iſte puellæ
Calceus eſt Rhodopes, inquit, quam ducere ſeptem
Ex æquo molimur, & huc devenimus uſque,
Ut dicat quem nupta velit. ſententia jam nunc
Hæret in extremis. nos noſtro munere functi.
Diximus in numerum, atq; orantes audiit omnes
Inconcuſſa viros. poterat regina videri
In ſolio ſpecioſa ſuo. non diſpare ritu

Hîc

Hîc ut es, illa fuit judex auguſtior illic.
  En! rubor in vultu regis pallore ſenatorem
Inficit immemorem prius, at nunc denique fati
Conſcium inexpliciti. tædet ſecreta loquutum
Et regi & juveni, cœloque in talia verſo.
  Nec mora, dimittit proceres, Thebaſque Camillum
Ire jubet Rhodopenque altam deducat in aulam;
Conjugis at nondum titulo, ſed nomine tantum
Artificis, videatque ſimul, quod cogitat in ſe,
Præterea quid virgo queat: quis vultus in illa;
Gratia quæ. mandata ferens ruit ocyor auſtro
Ille levi Rhodopenque alta mox ſiſtit in aula.
  Ambigere eſt, utrumnè Phari regnator, eandam
Aſpiciens, prius aſpiciat, ſic totus inhæret,
Annè amet. auguſta tantum eſt in virgine lumen!
Aſpicit. imò amat hanc. amat & ſimul aſpicit illam,
Conjugis at jam nunc titulo. Sic vana repente
Abſolvit ſe ſcena prior. ſeptemque procantes
Certavere pares, & adhuc ſub judice pendet
Decidendus amor. ſed quæ ſe miſcet amori
Una triumphanti detur reverentia cœlo.

Nobili & Illuſtri Viro

D. CONSTANTINO HUGENIO,

Equiti, Sulichemii Domino, Celſiſſimo Auriaco Principi, Belgarum Fœderatorum terra marique Imperatori à conſiliis & ſecretis, &c.

INclyte Vir, quem fama ſuis ſublimius alis
Tollit, & in ſummo vertice Pindus habet,
Orbis amor docti, quem totus ſpirat in unum
Mundus, & Hollandum, te duce, nomen amat,
Diſcit & incultis quondam nunc cedere Catthis,
Atq; omnes noſtra vivere gente Deas,
Da veniam Boyoque vaca, dum cortice noſtro
Scriberis, & tanto præſule Muſa furit,
Audet & ignotis tutam ſe credere terris,
Atq; inconcuſſo pectore ſtare domi.
Mira cano, mirande virûm. Cytherea ſepulchro
Prodit & Idalias parturit urna faces.
Buſta thorum faciunt, gelidis Venus æſtuat antris,
Et Libitina ſuo pellitur ipſa rogo.
Mors vitam devicta ſtupet, tumuloque reſurgit
Fœmina viventem compoſitura virum,
Et primo nubenda proco, quem rara furentem
Vis agit & vaſtis ignibus urit Amor.
Hæc mihi matteria eſt, at tu fiducia fandi.
Quo ſim nec cupiat nec queat alta loqui.

C. BOYUS.

COR-

CORN: BOYI. I. C^{ti.}

E TVMVLO THALAMUS.

SUrgentes tumulo thalamos, natumque ſepulchro
Fœdus, & implicitas myrto viridante Cupreſſos,
Ac Venerem mediæ redivivam faucibus urnæ
In Latio nunc, Lector, habes. Si priſca ſecundum
Dat quicquam, nihil illa prius, quâ reſpicis, ætas
Commemoret. Lætare, parens ampliſſima tellus.
Æneadum, ſi bruta gravem tranſfuderit Arctos
Barbariem, domitique decus venerabile mundi,
Et fractis peſſum dederit Capitolia ſceptris,
Raraque virtutis fera Gens veſtigia priſcæ
Liquerit illuſtri populo rerumque fruenti
Imperio: grandes hoc uno nomine nævos,
Ac deteſtatas Proavis melioribus artes,
Oblitamq; in amore fidem, fraudeſque doloſque
Ablue, & hoc faſtis facinus ſuperadde vetuſtis.
Præcipuè ſibi viſa pater miracula jactet
Eridanus, Venetiſque tumens deſpumet arenis
Nuncia, & Hadriacis patulo mox prodat ab undis
Oceano, totaſque juvent præconia Gentes
In tantos avidas caſus. Dilexit amicam
Gaurinus petiitque Rhodam. par nobile caſtæ
Mentis, & eximiæ facies pulcherrima formæ

Cuique fuit. cunctos varia ſuperaverat arte
Ille viros, hæc ore Nurus. Cœleſte vocaſſes
Conjugium fatoque pares animoque procantes.
Unicus ære Sylas gravior, ſitienſque Parentum
Vincula avarities vetuit; quâ terga puellæ
Vertere juſſus abit, præſumptaque fœdera mœſtus
Intermittit amans. illum doluêre madentes
Flumine Naïades, & agreſtia numina Fauni
Saltibus Auſoniis, dum, qui non moribus ulli
Cedit, inæquali diſcedere cogitur auro.
Hinc ſibi nil quod ſperet habens, gemituque piatum
Quod ſatis eſt lachrymiſque ratus, mox æmulus ultrà
Ipſe Sylæ, duræque procus malegratus amicæ
Eſſe negat, ſolas rivali mancipat ædes,
Illius & cunctas tribuit ſucceſſibus horas.
Nec mora, conveniunt animi, & quæ vovit avarus
Feſta parens celerata fluunt, dum murmure nullo
De facili dites jungit concordia dextras.
Scilicet hoc auro precium, tantumque metallo
Pondus ineſt. Quondam primi ſub floribus ævi
Virtuti virtus latus addidit, & pia vinctas
Fax manibus dedit eſſe manus, fauſtumque putavit
Mens menti coiiſſe pari, ſacroſque verendo
Amplexus voviſſe Deo. Nunc iſta nocenter
Deficiens cano pietas evanuit Orbi.
Jam placet implicitum ſceleri ſcelus, & malè partis
Nubimus infames opibus, noſtrique Deique
Craſſius immemores ſolo committimur auro.
Non facies, caſtovè comes pudibunda pudori
Simplicitas animis proprios juvenilibus ignes
Conciliat, veræve damus præcordia nuptæ.
Non habitat terras prior has Venus, aut ſua nobis
Tela puer pharetratus habet. ſubmiſimus iſtud
Numen & extorrem ignotis tranſſcripſimus oris.

Hoc

Hoc mundo commune malum eſt, doluitque repulſus
Multum animi Gaurinus inops, cum feſta parari
Cerneret & ſolitas Hymenæum tollere tedas,
Præſumptamque ſibi dominam, famulante Dionê,
Immerito parere Sylæ; qui munere fungi
Se ratus antiquum menſis inſcribit amicum
Accirique jubet; nè, quam petiiſſet uterque,
Seductam putet alter Heram. Levis undique gaudet
Ire ſalutatum juvenum chorus, & ſua ſponſis
Vota canit. ſacras alii ſuſpendere myrtos
Virgineiſque parant poſtremas ferre coronas
Verticibus, totaſque roſis & frondibus ædes
Egregiis ornant ſtudiis; è rure putaſſes
Inviſiſſe domum Dryadas, roſeaſque Napæas,
Panaq; Hamadryadumque genus. viridantibus herbis
Conſperſere toros alii, ſummumque dedere
Et Thalamis nuptiſque vale. pars magna futuræ
Præcinit auſpicium & caſtæ primordia luctæ,
Terroreſque fugat timidæ lachrymaſque puellæ.
Quilibet officio calet, & ſe luſibus iſtis
Participem immiſcet. Solus, cui gaudia luctus
Abſtulit, ardentemque movet maleſanâ ſalivam
Invidies Gaurinus abeſt, nec juncta vidêre
Labra Sylæ Rhodæque valet, propriique dolendum
Fœderis interitum & charæ diſpendia Nymphæ.
Ergò ego dilectam potero ſpectare puellam
Alterius caluiſſe foco, libandaque nobis
Ora peregrinis, infit, compreſſa videbo
Baſiolis, niveoſque ſinus & eburnea volvi
Inviſa mihi colla manu? fœdæque repulſæ
Spectator pudibundus ero? Quin altera menti
Stant conſulta meæ. patrios ſpreviſſe Penates,
Ire per externos populos, Alpeſque nivoſas
Scandere & in gelidas juvat irrupiſſe pruinas.

Dicta

Dicta placent, aufertur equis, Latioque relecto
Margine Gallus habet juvenem. conſtantius illi
Pectus erat; Patriique potens ſervaſſe Magiſtri
Continuo documenta gradu: non tecta Parentum
Deſertamque domum Dominæ, vel quicquid amarat
Creditus inverſis ſemel aſſpexiſſe quadrigis.

Hinc domitus ſubſidit amor, violentaque grandi
Deſævit ſcintilla faci. mox auſus habenas
Flectere, Romanas iterum tranſmiſit in oras,
Et patrii ſtetit urbe ſoli; totieſque ſuperbum
Limen adornataſque comis genialibus ædes,
Quas peregrè fugiſſet, eas nunc flebile Mortis
Indicium præferre videt. ſtat triſte feretrum,
Feraleſque rigent foribus de more cupreſſi.
Pro citharâ, feſtiſque, dolens quos fleverat, hymnis
Squallida funereos extundit præfica cantus.
Palluit attonitus, mox quæ ſint fata requirit.
Auditâ tremit ore Rhodâ. quæ tam fera lethi
Cauſa repentini, quales experta dolores
Anxius inquirit. (nec enim locus exterus omnem
Hauſerat affectum) rigido num preſſa marito
Ignea mens, num diſſidiis agitata nefandis
Traxerit inſontes obitus, durovè receſſit
Functa puerperio. Nullus ſatis eſſe roganti
Dum potuit, dubio ſibi circumvolvitur ipſi
Credulus augurio. neſcit num prima calores
Imbiberit dilecta ſuos. num fervidus olim
Aſſiduis laſſam precibus, validoque tenellam
Ingenio, fortique levem percuſſerit ictu.
Tale quid interdum putat advertiſſe, parentes
Ruminat adverſos tantum ſibi; quos vocat omnem
Dum thalamis Nuruique luem, fallacia volvens
Nomina, dat ſibi vera: ſuâ triſtata repulſa
Pectora defunctæ cecidiſſe reſolvit Amicæ,

Et

Et necis intrà ſe damnat ſcelus. inde ſepulchrum
Erigitur, juſſuſque atræ ſe jungere pompæ
Atque ipſum ſpectaſſe rogum Gaurinus & urnæ
Demergi tam dulce caput, ſubſidit & inquit
Hîc iterum. Ah! veſtri potero ſpectacula fati
Ferreus aſſpicere? ah! triſti te ſtare feretro
Tartareaque domo & nigro Telluris hiatu
Sorberi te, Rhoda, feram? niveumque papillæ
Marmor & illuſtres filii radiantis ocellos
Æternis claudi tenebris, tumuloque locari,
Gaurino ſuperante, ſinam? ſi pronuba nuper
Numina, nec lætam potui tibi ferre Dionem,
Jam ſævam perferre necem, poteroque nocentes
In te jam tonuiſſe Deos, cineriſque videre
Buſta tui? non tanta mei conſtantia vultus
Non animi vis tanta mei eſt. Sunt iſta marito
Juſta Sylæ, nobis propriæ pereuntibus hæ ſunt
Exequiæ. me, me functum comitetur amantem
Turba dolens, potiuſq; iſto locer umbra ſepulchro
Exanimis. noſtris ferales poſtibus herbæ
Conveniunt, mea pallentes ſibi janua taxos
Applicet, & largo ploret mihi funera fletu
Præfica, nec veſtram lachrymis anus imbuat urnam.
Talibus ille diu multumque miſerrimus angens
Se ſtudiis, tandem ſummo ne deſit honori,
Nec juſſæ pietatis opus, vel negligat ipſum
Rhoda cui mandanda, locum, ſe jungit eunti
Queis decuit pompæ gradibus, vulnuſque potenter
Diſſimulat. Portatur onus, ſequiturque feretrum
Ordinibus diſtincta cohors, tumuloque cadaver
Depoſitum. flevere Sylas, & quiſquis iiſdem
Adfuit exequiis. at tunc riguiſſe, ſed unâ
Non valuit ploraſſe prior lachrymans, ſibi jam tum
Flumine deficiens. Plorat minus anxius, omnis

Im-

Immodicus neſcit fluvium dolor: hic mage pectus
Afficit, ille genas: undis comes hic it, at ille
Intrat habetq; animum claudens. quod ſentit abunde
Noſter Amans juvenis, ſimulac rediiſſe, peracto
Funere, ſe videt in ſecreta. graves ſibi, planctus
Ingeminat, tremuliſq; altas ſingultibus ædes
Diducto quatit ore: ſilet modo: mox ſua forti
Rurſus labra movet gemitu. periiſſe putares,
Mox necdum periiſſe tamen. modò vivere, ſed mox
Malle mori; ſic ſe dubios vi torquet in actus.
Tandem victa levi declinans lumina ſomno
Et requietus, inops animi vix credere functam
Audet, &, an juſtis ſua Lux demerſa tenebris
Sit mirabiliter dubitat: penetraſſe profundum
Orphea mox recolens Erebum, mundoque reverſam
Eurydicen, Stygiiſque pium ſpectaſſe Creuſam
Sedibus Æneam. Nobis ſi tartara, fatur,
Elyſium vetuêre nemus; ſi clauſus Avernus
Difficiliſque mihi eſt, nec charam cernere Rhodam
Hîc datur, hanc mediis cernam quibus indita buſtis.
Terribilemque rogum & tumulum de nocte recentem
Ingrediar, roſeiſque dabo poſtrema labellis
Baſia, poſtremos halitus, vitaque reſolvar,
Et moriens jungar niveæ Gaurinus amicæ.
Non pius hæc mihi fata Sylas conjuxque ſuperſtes
Invideat. ſummis illi deſerta recumbit
Exuviis. tandem hanc medio duxiſſe ſepulchro
Dicar, & hæc nobis medio nupſiſſe ſepulchro.
Dicta parans ſurgit, famuloque adiutus utroque
Templa petit. multo cuſtos perfunditur auro,
Ut ſociam jungat dextram. fit protinus idem
Sacrilegus. Nox atra vagas induxerat umbras,
Nec Cœlo ſuus ignis erat. Cœleſtia dicas
Ferre nefas hoc ſigna, ſuumque abſcondere Lunam
Tunc

Tunc nebula voluiſſe caput, tantumque juvare
Prodigium offuſis tenebris, nè terreat ullus
Non auſos hæc luce viros. ſe quilibet iſti
Admovet impatiens operi tumulumque ſubintrat,
Quem vetus è ſolido Proavûm, laquearibus altis,
Marmore conſterni pietas, mundumque teneri
Juſſerat & cunctis reditu ditaverat annis.
Admovet occultum cuſtos è pixide lumen,
At loculum pandit Corydon prior, inde Menalcas
Lintea convolvit manibus, faciemque ſepultæ
Spectanti denudat hero. Qui dum videt ipſam
En, clamat, tibi cerne Rhodam, Gaurine, ſimulque
Irruit & gelidis agglutinat ora papillis,
Labraque delibat calidus, totumque procator
Semianimis percurrit ebur. nec mortua ſeſe
Tangere membra putat, dum nec quoq; mortua tangit
Neſcius. optavit primum ſe volvere vivam
Poſſe, ſimul vivam volvit, nec ſcit tamen; at mox
Ut nimius ceſſit menti furor, & vaga leni
Stringit corda manu, dubitat num ſentiat id quod
Sentit, & advertens tenuis ſpiramina pulſus
Pectore, relliquias animæ (mirabile dictu)
Colligit, obſtupuitque ſimul; ſtatimque cadaver
Efferri tollique jubet. riguere Menalcas
Et Corydon tremuluſque Phylax. negat unus, & alter
Impavidus, tollamus, ait. veſana furentis
Tertius acta ſcelus vocat, & ſi palpitat ipſam
Gaurini tactam Furiis trepidare puellam
Aſſerit. adſiſtunt famuli, vivumque recluſo
Fert tumulo Gaurinus onus, pallæque ſuæque
Quam gerit involvit veſti; qua condita templis
Egeritur. portatque ſuas inventor in ædes,
Et raptam tumulis thalamis imponit amicam.
Nec ſatis hoc. Eurica parens hûic pharmaca centum
Sim-

Simplicibus decocta parat, totamque pererrat
Doctus amans medicam: quicquid Panacæa miniſtrat,
Occultumque latet foliis, vel Apollinis uſquam eſt,
Fæmineum dat in auxilium; nil montibus altis
Vallibus aut imis creſcit quod non datur iſti,
Si valeat prodeſſe bono: nunc flammea cingunt
Egelidum fomenta jecur, ſanguiſque calori
Aſſeritur; nunc vivificas cor concipit herbas;
Quêis tenuis tandem nativum ſpiritus ignem
Induit, & priſcæ mulier defuncta ſaluti
Erigitur. Dicas primas inviſere terras,
Nec Mundum ſpectaſſe prius. Nec ſe, nec amicum
Aut aliquem vidiſſe, putes, quem nunc videt. omnes
Horret, & oppoſitæ declinat lumina luci
Plus tenebris addicta ſuis. ſed dulcibus ultrà
Obſequiis erecta, Lares agnoſcit; at indè
Hæret in ambiguo rurſus, quâ ſorte Penates
Liquerit ipſa ſuos. raptam ſe, fatur, & illic
Flagitiis aut arte datam. Mox noſcere functam
Se modò. Tunc verò, lachrymans, proh! Jupiter, inſit,
Num ſuperæ ſonuêre tubæ, ſummique tenendis
Judiciis venêre dies, roſtriſque nocentem
Depoſcis, Pater alme, ream? peccataque mundo
Plectis, & æternis aſſcribor victima pœnis?
Non, patet Elyſium, Stygiiſque educeris oris,
A tergo poſſeſſor, ait. Stupet ægra, capitque
Se ludi. Ut ſiluit paulum; ſe junxit & ipſo
Mirandos docuit caſus Gaurinus ab ovo.
Tum verò ingentes proclivi pectore grates
Rhoda refert; veterique ignes agnoſcit amanti
Lacteolis rubicunda genis, fluvioque nitentes
Interfuſa oculos. Mox, ut reddenda marito
Sit, caſtis orat precibus; nè crimine ſanctum
Commaculet Gaurinus opus, junctumque verendæ
Vir-

Virtuti velit eſſe ſcelus, quâ ſuſtinet arte
Rhoda monet. Cupit iratos ſe perdere Divos
Alter, inoffenſam primum ni ſiſtere Nympham
Ipſe paret; non te vitiis caſtiſſimus ullis
Inficiam, Dilecta; piis te pulvere dextris
Extulimus, noſtro probitas comes adſtat amori.
Tu proles, tu nata recens, tu filia nobis
Progenerata venis: primi non fœdera lecti
Diſſolvam, quin iſta feram: moxq; ipſa priori
Redderis dotata Sylæ. Tibi teda, dapeſque,
Et nova conſtituenda Venus. Ridere putaſſes,
Ni menſas, epulaſque, & veros ipſa paratus
Aſpiceret. Reducem longis Gaurinus ab oris
Se vocat, & varios ad ſe, quêis debet, amicos
Concitat, ac ſpatiis multum gaudere peractis
Inſtituit. Venêre viri, & pars maxima ſcenæ
Ipſe Sylas. Longam rutilanti ſtamine pallam
Rhoda capit, gemmaſque genis adamantaque pexis
Immiſcet formoſa comis, & virginis inſtar
Accipit illuſtrem ſublimi fronte coronam.
Sed primum ſecreta latet; dum cætera vino
Gens caleat, mediiſque ſonent convivia menſis.
Has prior exhilarans hoſpes, miracula narrat
Viſa foris, ut præruptas tranſmiſerit Alpes
Intrepidus, quali medias perfregit aceto
Hannibal, indomitis Latium cum ſubderet Afris,
Pallidaque ad captos toties Capitolia faſces
Contremerent cæſoſque duces. Quot Gallia turres
Enumeret, quæ lingua levi, moreſque ſalaci
Sint populo, quales prædives regia formas
Induat, intonſoſque ſecet quo more capillos
Celta, vel ut longas accingat femore braccas.
Finierit quæ cauſa viam, quos verſus in hoſtes
Inciderit, quas latro vias, pirata per undas

Sæviat; & quali celebret nunc orgia motu
Poculaque infundat ſitiens. Inſurgit in unum
Omnis turba jocum; facies inſignis ubique
Lætitiæ eſt. Vaſto Bitias ſe perpluit auro,
Illic fruſta Vorax ingentia devorat, illic
Alter in ora Paris nuruum collimat & ipſam
Eminus admittit Venerem, pars cominus ardens
Baſiat, & ſocio permiſcet ſuavia Baccho.
Amphion lituo, citharâ nervoſus Jopas
Perſonat altiſonâ, lepidique poëmata Flacci
Dulcibus extundit fidibus, Graiumque diſertus
Ore melos canit, ut celebrem Medea renaſci
Juſſerit Æëten. Stygias Proſerpina quali
Auſpicio perpeſſa manus, ut mortua Mundo
Credita, facta Dea eſt. Imos ut quærere manes
Et Phlegetontæis Didonem cernere campis
Dux Anchiſiades tulerit. quâ conjuge mæſtus
Thracius infernas patefecit carmine portas.
Mox primus qui duret amor. Juvenilia longas
Cur teneant pia corda faces; Et qualia conſtans
Det rerum portenta Venus; Mortalia qualis
Corda ſopor febriſque liget; Quæ pectore in imo
Palpitet, & clauſis animæ vis reſtet ocellis;
Quid fælix medicina queat, miſtiſque decenter
Quæ lateat virtus foliis. D'in qualia poſſint
Plus veræ ſervire rei commenta, movere
Tibicen docuit ſcænæ ludique magiſter.
Hinc medii nox facta poli facieſque futuris
Opportuna jocis. Dubiâ præludit in umbrâ
Hoſpes, & inſigni rogitans primordia liti
Ipſe movet. Quid juris, ait, ſi ſervus, iniquo
Expoſitus Domino, dum longis corpora morbis
Lenta trahit, ſolitiſque æger parere recuſat
Imperiis, alium, quem ſors vel gratia Divûm

Mox

Mox offert, exorat Herum, qui dira miſertus
Fata fugans, curet ſcabiem propriiſque Menalcam
Alliget obſequiis; primi num vincla putetis
Tanta miniſterii, ut pellentem agnoſcere vis ſit
Sanantemque abolere virum? atq; obtorta tyranno
Colla det invitus juvenis, mitemque voluntas
Nulla ſit ut ſervet Dominum? Properata ſecundo
Primus Hero dat vota Sylas, ſimul omnibus idem
Judicium eſt, tectamque juvant ſuffragia cauſam.

Tunc aliud Gaurinus agens, ſententia, juſti,
Hæc data ſit nobis, Proceres; Nos crimine dicto,
Nos hodiè æquali inſontes ſolvamur ab actu.
Hoc ait, & tacuit; totique ſilentia turbæ
Incubuêre. Simul patulam pulcherrima portam
Ingreditur rediviva nurus, cunctiſque pateſcit
Os humeröſque Deæ ſimilis. velut ignea clarum
Fert nebulis Aurora caput, primiſque ſerenum
Mane comis dat ſtare diem. Stupuere ſtupendam
Elingues. Prior attonito moribunda marito
Mens cecidit, novitque ſuam timuitque fatiſcens
Ipſe Sylas Rhodam; ſed noſcens non timet ipſum
Rhoda Sylam; ridet gradiens, tangendaque labris
Labra parat, laterique latus. fugit ille, fugacem
Hæc ſequitur, manibuſque virum lepidoq; caducum
Excitat affatu. Timeas nihil, en tibi, conjux
Chare, placens uxor venio, non umbra pavorem
Incutio. tumulis ſurgo, thalamiſque ſuperſto.
Rhoda recens naſcor. tactas toties mihi tangas
Oro manus, doneſque meis de more lacertis
Corpora: conſpicias priſcæ rutilantia fronti
Lumina, lacteoloſque ſinus & eburnea blandis
Pectora contrectes manibus. Venus iſta redonat
Quæ rapuit Libitina tibi. ſimul addit inerti
Baſiolum dum viva patet. Nihil ille, niſi altum

Ingemit. Excepit tantos facundior actus
Hoſpes, & inſolitum longo molimine caſum
Edocuit. Quantum primis dilexit ab annis
Hanc quam reſtituit Dominam. quas Orbis in oras
Irit, eam plorans, alium cum vellet amantem
Dura ſibi. Geneale Sylæ cur cernere feſtum
Non potuit. Quantos urnis impenderit imbres.
Quæ tumulum, quæ cauſa rogum maneſque ſepultos
Impulerit penetraſſe. Suis quâ nocte tepentem
Spirantemque Rhodam loculis invenit. & arte
Quâ ſanam vivamque dedit. Convivia quonam
Scripta modo. Cur facta ſuis haud diſſona factis
Mandatæ cecinêre tubæ, lituiſque ſibique
Vox eadem fuerit. Simili cur quærere liti
Vota vafer voluit; mediiſque adſtare tenebris
Fecerit ipſe Deam. Vario ter maximus audit,
Ut ſiluit, ſtrepitu. ſimul acceptiſſima cunctis
Res nova Sponſa fuit. dicas, Cytherëia rurſum
Feſta dari thalamoſque. Acto ſua membra levabat
Intereà terrore Sylas; quem murmure ſuavi
Paulatim exercent alii, mentique Rhodæque
Reſtituunt. Hunc erectâ cervice ſedentem
Ut videt, admotis placidum ſibi præſtat amicis
Hoſpes, & in ſummos implet carcheſia potus,
Quêis exhauſta ſalus. bibit omnis turba volenter
Se ſatians, ſoluſque negat prægrandia Sylas
Pocula; Qui proprias pompâ deductus in ædes
More proci Sponſique redit. Sed mox, ubi, ſolus
Pectora concutiens, variis ſeſe arguit ipſum
Seu ſontem de morte modis, vivamque ſepultamque
In ſe damnat agitque Rhodam. jam vindice cœlo
Perſequitur Mundoque ſcelus. jam vivere mœſtus
Neſcit & aſſiduo properat ſibi funera luctu.
Quæ mox certa parans Gaurinum accerſit & ultrà
De-

Deficiens toti hæredem juſtiſſimus aſſi
Inſcribit, legatque ſuæ connubia Rhodæ
Servanti delata viro: cui tanta voluntas,
Rhodaque, Fortunæque ſeges, rerumque ſuperba
Congeries fatis longum poſſeſſa peractis.

Ampliſſimo Viro

D. GUILELMO de MUYLWYCK, J. C^to^.

Et in Hollandiæ Zelandiæque Curia Senatori.

QVi toties mediis dixi, te præſide, roſtris,
Et potui blando durior eſſe viro,
Accipe nunc molles, tibi quos inſcribimus, hymnos,
Et placidis aures verſibus adde tuas.
Sint cauſæ liteſque procul, dum mitior inſtat
Phœbus & audiri ſe quoque Muſa cupit.
Illa ſuis, inquit, dedit incrementa Batavis,
Et noſtras ſocia Pallade ſtruxit opes.
Iam dolet amiſſum decus & ſe cedere retro,
Barbariemque ſuos accelerare gradus,
Et nihil hîc ſupereſſe ſibi; dum vile poëtæ
Nomen & ipſa decens crimina laurus habet.
Dicimur has, Clario quas rarò tradimus, horas
Perdere, & hoc curis tempus obeſſe meis
Plus hominum quàm vulgus ait. Defende Camœnas,
Et te nunc inſons judice Phœbus eat.
Imperii lis iſta tui eſt; qui ſcandere Pindum
Scis quoque & excelſi principis arma canis,
Borbonioſque notas titulos, quibus altius extat
Ille Pyreneis celſior ipſe jugis.
Innocuas abſolve Deas, abſolve poëtas.
Æternum hoc judex nomine juſtus eris.

C. Boyus.

Cor-

CORN: BOYI. I. Cti.

VENUS ORTA MARI.

DAt flammas lethale gelu, medioque caleſcens
Frigore Mattiaci Venus incunabula ponti
Et Patrias agnoſcit aquas, gelidoque fluento
Protudit geniale caput. Mirabile Mundo
Prodigium! Jā ſtabat hyems, & proximus Auſtro
Sol procul Æquoreo calidum de climate currum
Ignivomoſque agitarat equos: jam grandius aſtrum
Clauſerat exiles numeris brevioribus horas.
Marmoreum jam Bruma fretum, duramque profundi
Per glaciem ſolidarat humum, Veſtamque Thetinque
Junxerat inſolito Boreæ inclementia nexu.
Stat pelagus, neſcitque ſuos in flumine fluctus.
Nomen aquæ mutant, non mutant æquora nomen.
Nereïdes merſere caput. Tritona ſecutus,
Dure Pater Neptune, lates. Commercia deſunt
Portibus. haud ullas retinet gravis anchora puppes;
Spontè rates perſtant; medioque tenacius hærent
Oceano. Valachro jam quæritur inſula tractu.
Continuum glacies terris mare nectit, & ipſi
Dat terras nexiſſe mari. Quâ cimba natavit
Pes ruit & latis ultrà ſpatiatur arenis.
Ars viget in Belgis, aliis non agnita regnis,

Quam pueri callentque ſenes, miſtuſque puellis
Candeſcens exercet amans. ſubnectitur imo
Falx incurva pedi, geminoq; in acumine ferrum
Quod ſecat, hoc perrumpit iter; curſuque potenti
Prævolat aëreas, glacie patiente, volucres.
Nullus equus, vix iſta Notus veſtigia ſpirans
Aſſequitur. Sic triſte gelu tardamque laceſſit
Belgica Gens concors hyemem. ſic, tempore nullo,
Martia magnanimos patitur ſegneſcere cives.
Tu ſtadium, claramq; Hellas, celebrare ſaburram
Deſine, nec rapidas nimium mirare quadrigas,
Curſoreſvè tuos, vel quam prævertit eundo
Hippomenes venerare nurum. Plus Belgica vobis
Præſtat, & attonitas ruit incomitata per undas.
Credibile eſt, totum. ſtringens ſi Bruma profundum
Clauderet, æquoreique darent æqualia fluctus
Marmora, nec vaſtos glomerarent æquora montes,
Armatas ſine claſſe manus, totumque cruentos
Iturum in Mauros Batavum: ſic littus Iberum,
Sic procul Heſperios domiturum trans mare campos.
Nunc luſus hic Belga ſuos, nunc gaudia tantum
Mutatis aſſignat aquis; & rure relicto
In mare progreditur. totis Toxandria fervens
Agminibus ſubter dubios ſuperambulat æſtus.
Totius ſors una freti eſt. Armuda Mytellis
Æmula tunc, circumpoſitis tutiſſima foſſis
Præ fragili fruitur pelago, dum proxima vallis
Mœnia ludus habet. coëunt juveneſque nuruſq;.
Quas inter, reliquis præclarior una puellis
Emicat; hanc longo propriam fervore Lycorin
Arferat Elpenor, patriæ ſpes rara Iuventæ,
Ore micans, & voce potens muſiſque dicatum
Pectus & Aoniæ madidum ſcaturigine lymphæ.
Illa, ſibi talem non dedignata maritum,

Co-

Cogitur impatiens maternis cedere juſſis,
Et primas abolere faces. laſſata Procanti
Poſtmodò perpetuas juveni juraverat iras.
Ille fores Dominæ blandumque relinquere limen
Admonitus, patrium gemitu moviſſe fluentum
Dicitur, & gelidi duriſſima numina ponti
In fletus rapuiſſe ſuos, divaſque paluſtres
Concentu tetigiſſe pio, cum cerneret auro
Conjugii momenta geri, ſpretoque metallum
Ingenio cenſumque coli; cum vincere dives
Dictus & ignavi Clarium peſſumdare Mopſi.
Sæpius ingenuæ modulans contraria Nymphæ
Invitâ ſuadebat anu, ſævoque parenti
Archilochus rabidos calamis formabat iambos.
Invehitur queriturque ſimul. ſed mollibus abſens
Nil lachrymis procurat amans. ſe laſſat inultum
Mœſtus, & ad ſurdas raueeſcunt guttura rupes.
Rurſus in acceſſus igitur mens ignea curas
Intendens, mediâ rutilantem plebe Lycorin
Eminus aſpectat, pronoque celerrimus actu
Aſſequitur. titubans primum, minioque nitentes
Perfundens attacta genas, agnoſcere flammam
Viſa ſibi juvenique fuit. cui protinus ardens
Inſtat amans, prenſatque manum, doctèque precatur
Ductorem velit eſſe ſuum. Non abnuit Ægon
Qui prior ipſe comes fuerat. tremit illa diſertum
Obtutu venerata virum, metuenſque recentes
In faculas ſe poſſe rapi, vetuêre Penates
Hoc, ait, Elpenor: Non tu cóntingere dextram
Vel dandam præſume fidem: prohiberis ab ullâ
Parte meum clauſiſſe latus: me mitte negatam,
Averſamque tibi. ſimili collude puellæ.
Ille refert: Tremebunda, meos quid crudius ignes
Effugis? Ah! medio noſtræ te frigore flammæ

Innocuus nec ledet amor. te cura tenellam,
Lux mea, ſervabit. Violenti neſcia raptus
Te tibi ſiſtendam tangit manus: Utere noſtro
Servitio, dilecta. ſuam ſimul impiger artem
Iuſtituit, curſuque levem leviore Lycorin
Per ſtantem deducit aquam, plebemque coactam
Deſerit in ſecreta ruens. Stupet omnis euntem
Turba virum. (volucres juveni Cythereius alas
Atq; animos Venus ipſa dabat). Comitata Lycoris
Suſpicitur, iunctoque ſuas Elpenore laudes
Colligit, & toti graditur ſpectabilis Urbi.
Ille volat, plauſuque pedes inſtigat ovantes
Plus Comiti placuiſſe ſtudens, cui ſummus haberi
Expetit. Hanc vacuos ubi mox vulgoque remotos
Duxit in amfractus, ſoliti miſerabile planctus
Murmur & antiquos recitans orditur amores.
Dumque calet, volucrique gelu mollire puellæ
Tentat, inexpertam reliquis incautior unus
Irruit in glaciem & ſubito ſorbetur hiatu
Ductor amans Dominæ; mediis qui protinus undis
Proſilit, & lictâ, quam non levet, exit amicâ.
Illa ſibi nil freta, neci ſubſidit, & omnem
Deficiens deſperat opem. ſeſe undique promptum
Ut decuit, dux ipſe virum, plorante coronâ,
Exhibet. Oblatam ſibi jam contingere dextram
Geſtit aquis immerſa. Juvat quâ parte juvandam
Credit, & expanſis miſeræ miſer imminet ulnis
Voce ſimul manibuſque tremens. Sed ut omnia vidit
Incaſſum fruſtràque geri, charamque Lycorin
Morte peti, in gelidam ruit imperterritus undam;
Rurſus, & injectis madidum complexibus altum
Tollit onus, mergitque ſuum nè mergat amatum
Corpus: ab attacto nunc ſe levat impete fundo
Et mediâ plus parte patet, fragilemque ſupinus

Quam

Quam tangit frangit glaciem; tandemque natator
Succubat, implicitæque comes miſerandus amicæ
Mergitur. Altiſono tollit lamenta ſuſurro
Quiſquis adeſt: ſummis hominum ſe millia vallis
Oſtendunt. Geminos lachrymis hic plorat Amantes,
Ingentem notat ille fidem. Proſternitur excors
Quilibet, auxiliumque deos expoſcit in unum.
Stat Patri deflenda Parens, Genitorque Parenti
Flebilis, & merſis geminant ſuſpiria natis
In ſummum tranſmiſſa polum. Pars maxima ſcalas
Roboraq; adiiciunt; quæ, dum ſua brachia jactat,
Semianimis perſentit amans, ſimul excitus ictu
Quam ſentit rapit ungue trabem, raptamq; tenaci
Convolvit retinetque manu; quâ ductus arenis
Excipitur, tractuſque ſuam trahit ipſe Lycorin.
Viſus uterque mori. ſorptum dat uterque fluentum,
Egelidumque ſinu volvit caput. Omnia languent
Membra, vehi mox juſſa domum, quam vellet eandem
Elpenor; ſimulac diverſas fertur ad ædes,
Diſſidii indicium veteris. quod flumine dictus
Ut biberat, fleviſſe nefas, oculoque madenti
Triſtius atq; hauſtis ploraſſe miſerrimus undis.
Abſtinet a curis; & quæ medicamina poſcit
De ſalvâ vult iſta deâ; quam quærit an extet
Æger, & huic certam ſibi jurat ineſſe ſalutem.
Si moritur, moriemur, ait; ſi vivit & ipſi
Vivimus. Una duos, Socii, moderatur Amantes
Vita, duos mors una procos. Si traderis Urnæ,
Lux mea, trador idem: ſuperes, ſimul ipſe ſuperſum.
Me miſerum! ſi, chara, peris: quod non datur ulnis
Extingui me poſſe tuis. Quin redde periclum
Mœniaq; & veſtro periens dem brachia collo.
Sic queritur moribundus amans, longèq; medelam
Reſpuit. Illa ſuos paulatim ſurrigit artus,

Ha-

Halantemque trahens animam, quas porrigit herbas
Mater, edit: medicoſque bibit pro flumine potus.
Quêis erecta parum, mirandi pignus amoris
Ruminat & fidi grandes Elpenoris auſus.
Se putat arctatis nondum ceſſiſſe lacertis,
Et totum complexa virum, dum ſomniat, ipſis
In ſtratis tenuiſſe parat; vel fluctibus abdi
Hunc rata, præſidium merſo mentitur amanti.
Mox ubi ſparſa dies, neſcit, num credere vivum
Debeat, an merito juvenem tranſcribat Olympo.
Hoc metuit, ſed & illud avet. ſibi fluctuat ipſi.
Nil rogat adverſos metuens in vota parentes.
Flet medò, mox fletu caret; at qui clauditur intus
Corda quatit gemitus. credas magis ignibus angi
Quam fluviis, ſanoq; ægram nunc corpore mentem.
Mater inops animi, quid te, chariſſima, fatur,
Nata, mali torquet? gelidis en eruta foſſis
Tecta tenes benefida. meos en aſpice vultus,
Te tua mater habet. Non te plus fluctibus infert
Improbus Elpenor. Gravis hoc de gutture dicto
Fit ſonus, & teneram vox ſauciat iſta Lycorin.
Moxq; ait; O! duræ, Genitrix mea, parce loquelæ,
Parce iſti malè velle viro. non improbus ille.
Ille probus, vitæque dator. non excidet unquam
Tanta meo pietas animo. fateamur; amamus.
Parce, Parens, faſſæ. ſe num ſervaverit ipſum
Dic agè, me ſervans. Ah! ſi deceſſerit ille,
Ille mihi deceſſit. Amans ſectabor Amantem.
Hæret anus, tantique ſtupet miracula caſus.
Nata, virum ſupereſſe videns, dum muta vacillat
Mater, & auſpicio pater annuit ipſe jugali,
Largius inſiſtit, reliquoſque diſerta procantes
Perſequitur. cedit fulvum virtutibus aurum.
Spretus Hylas, Celadonque potens, & ſanguine clarus
De-

Degener, ac pinguis Macer poſſeſſor agelli.
At ſimul extantis moriens incendia Nymphæ
Percipit Elpenor: tardo ſua membra cubili
Elevat, & dubiis ſocios aſpectat ocellis
Ignarus num vera ferant. Mox credere flammas
Doctus. Jô! vicêre mei, vicêre calores,
Inquit, Jô! Proh rara fides! Te, juſta Lycori,
Te ſequor. O! tales ordimur numine tedas,
Hæc thalamis deus orſa facit. D'in copia fandi
Ut data præſenti, ſuſpenſis hæret uterque
Vultibus. Illa piis irrorat lumina guttis.
Hic it in amplexus, tremebundaque brachia circum
Dat latus, & caſti ſpecimen largitur amoris.
Quo mox plenus ovat, pronos ubi velle Penates
Conſpicit, & ſacram Dominam deducit in ædem.
Ludite concordes, & feris vivite ſæclis
Par ſocium non vile, ſuis urbs lapſa ruinis
Haud tantum ſubvolvet opus, veſtramvè ſilebit
Deficiens Armuda fidem. Zelandia plaudet
Semper, & æternis ſcribentur fœdera faſtis.

CAS-

CASPARIS BARLÆI

Elegia,

In Iocaſtæ & Tryphoſæ,

Nuptias,

De quibus ejuſdem Rhadamanthus mollior latius loquitur.

VIrginitas geminis periit malè rapta puellis;
Hæc Tryphoſa dolens, illa Jocaſta fuit.
Prægreditur paſſis mœrens Tryphoſa capillis,
Et rigidas ſpirat ſanguinolenta minas.
Vult Juvenem præfracta mori. ſtant lictor & enſis.
Hæc, ait, hæc rapti pœna pudoris erit.

TRYPHOSA.

Hic legis violator adeſt, & criminis ultor.
Vindictam facinus poſcit & ira ſuam.
Cur vivat? per quem mihi facta miſerrima vita eſt.
Cur vivat thalami pars ſcelerata mei.
Cur vivat? quem damnat amor faciliſque Cupido.
Et quicquid ſpeciem ſuave procantis habet.
Diſpereant oculi, mihi qui nocuere videndo.
Diſpereant, miſeram quæ rapuêre, manus.
Baſia, quæ dedit invitæ, violenta fuerunt
Vulnera, & exitio dona parata meo.
Quos tulit amplexus, quæ collo brachia circum
Vis dedit, irriſi ſigna fuere thori.
Occidimus, genitor, genitrix, fraterque ſororque.
Funera tot ſecum ſors mea juncta trahit.
Plus, Judex, latrone vides. plus funere, ſtuprum eſt.
Bis cogor, rapta virginitate, mori.
Quid rides, vitioque cupis faviſſe Jocaſtam?
Et pulchrum ſceleri condoluiſſe putas?

Qui

Qui ferale cadet, poſcis veſana, cadaver.
  Corporaque horrendi turpis amantis amas.
Et cupis amplecti, quem lex cupit optima plecti.
  Ac nimium facili ſimplicitate mala es.
Poſcis amatorem petulans. vis parcere culpæ,
  Et Sponſum titulo deteriore vocas.
Si corrupta places, poteris non caſta videri,
  Et laudem nuptâ de meretrice feres.
In thalamum deſcendet amor violentus, & exlex,
  Quæque tua eſt, fiet pellicis illa domus.
Effuſo madeat, Judex, mihi ſanguine, cujus
  Crimine virginei bis doluere ſinus.
Dixerat. & juſti vindex Tryphoſa doloris,
  Hinc ſociam frendens, hinc videt ægra reum.
Tum gradiens, pulchriſque caput redimita corollis,
  Orſa fuit tandem læta Jocaſta loqui.

JOCASTA.

Crimen idem nocuit geminis. ſum paſſa, quod hæc eſt.
  Atque uni doluit ſuccubuiſſe viro.
Attamen in facto miſeræ diſtamus eodem,
  Et mihi culpa rei creditur eſſe minor.
Qui modò me rapuit, cuperem nunc eſſe maritum;
  Oſculaque hac poſſem conditione pati.
Si nimis inſano juvenis ſum læſa furore,
  Corriget hunc placidi lex veneranda thori.
Nec conjunx patiar nolens quod fecit inique,
  Cum, nondum facto conjuge, virgo forem.
Quæ mihi fama labat, tedæ reparate jugales,
  Damnaque compenſa virginitatis Hymen.
Quæ cupit humano mulier ſe ſanguine paſci,
  Heu mihi, quam ſexu diffidit illa ſuo.
Femina ſum, flecti facilis, blanda arbitra legum.
  Longa viris, nobis aptior ira brevis.
Non cupio, Tryphoſa, mori, qui læſit, amantem.

Ille

Ille tuus factus crimine & ille meus.
Si vis in geminas diſcerpi corpora partes,
Non erit ille meus, non erit ille tuus.
Si totum ſtricto juvenem vis enſe feriri,
Pars mihi quæ fuerat debita, nulla mihi eſt.
Hoc ſatius, totum Juvenem mihi cedere. Judex
Annue, & ingenium plus muliebre proba.
Sum polluta. tamen veniam debetis amanti.
Naturæ vehemens crimine peccat amor.
Sum polluta, velim nunc impolluta vocari.
Sponſa ſcelus vultu diluet omne ſuo.
Hinc hilaris, redimita, nitens & comptula veni;
Conveniunt thalamo gaudia, non tumulo.
Audiit, &, votis Judex contraria vota
Dum videt & dubium partibus eſſe reum,

JVDEX.

Virginei, dixit, raptor ſceleratus honoris
Debuit exemplo, crimine, lege mori.
Flagitiumque duplex pœna graviore rependi,
Biſque reus ſtupri, bis quoque poſſe mori.
Non ſinit hoc res ipſa. vetat ſententia diſpar,
Quæ Tryphoſa tua eſt, quæque Iocaſta tua eſt.
Vis Tryphoſa mori, quem vis ſupereſſe Iocaſta.
Utraque pro rapto juſta pudore petit.
Hæc urget voces & legis verba ſeveræ;
Altera ſed famæ plus ſtudioſa ſuæ eſt.
Emollit dubiam facilis clementia mentem.
Incolumique datur Sponſa Iocaſta viro.
Et quæ mœſta dolet, rapto, Tryphoſa, pudore,
In medio cœtus invenit illa virum.
Iamque ambæ thalamis, ambæ lætantur amando,
Unaque non ſonti nupſit, & una reo.

CAS-

CASPARIS BARLÆI
DIALOGI
Aliquot
NVPTIALES,
Quibus Quæſtiones quædam de Nuptiis & Conjugio, à Nobiliſmo.

Dno. JACOBO CATSIO,

Eq. & Præpot. Hollandiæ Ordd. Supremo Syndico, nuper Belgico idiomate pertractatæ, jam Latino latius explicantur.

Digitized by Google

DIALOGVS
de
Excellentia Nuptiarum Adami & Evæ, præ noſtris.

Collocutores,

BARLÆVS. VICOFORTIVS.

BARLÆVS.

SÆpius mihi tecum ſermo eſt, Nobiliſſime Vicoforti, de rebus non unius argumenti. Interdum enim naturæ aliquod non vulgare ſecretum, interdum ſelectior gemmula ex poëtarum ſacrariis depromta, interdum Principum caſus aliquis proſper vel adverſus pro fabula nobis eſt. quorum priora duo profeſſoriam, poſterius aulicam pulpam, ſapiunt. Feſſo mihi à ſtudiis & intenſiore cura, tu, qua erga me es facilitate, Regum & maximorum Europæ Ducum conſilia, labores, bella, fœdera ex litteris recitas, quæ undequaq; velut in mare Caſpium flumina, in ædes tuas deferuntur quotidie. ut, domi poſitus, oculis auribuſq; hauriam, quicquid rerum geritur foris, & nullius rei actor, nullius non reddar certior. Ego viciſſim vel natum ultro Epigramma aliquod meum tibi, magna familiaritate, obtrudo, vel in Sapientiæ aliquod placitum relabor, & de nivis grandinumq; figura, de ventorum abditis cauſis, & vacui incommodis diſſero, velut novus ventorum & vacui pater.

VICOF. Quid tu ſæpius tibi mecum ſermonem eſſe, Barlæe, ais? cuperem non niſi ſemel tibi loqui, hoc eſt, ſemper. Non es ex triſtibus illis Dîs, qui cepis victitant, & non niſi lachrymoſa oratione

 tione

tione apud amicos utuntur, & de pyratis perpetuo verba faciunt, aut illiſis in brevia navibus, aut excuſſis ſolio Helleſponti aut Tagi dominis. Benè ambo ſumus & fabulando prorſus ἀδελφίζομεν. Tu cum de tui fori rebus loqueris, attentam tibi aurem commodo. Ego cum rerum alibi geſtarum tabulas & faſciculos excutio, inhias tu veluti pabulo ſuo corvus ac rori cicada. Verum ſi candide & apertè me loqui ſinis, tunc te maximè fruor, cum de Amoribus, conjugio, Hymenæo & ſecundis nuptiis ſermonē ordiris. Hoc enim argumentum uti ſuavitatis, qua carere mortales nō poſſumus, plenum eſt, ita ſorti tuæ prorſus conveniens. ἄγαμος es & ſine compare, quale genus hominum veteris ſervat veſtigia flammæ, & non illubenter ea loquitur quæ ſecundis votis præconcipere audet. Veterano equiti generoſioris equi hinnitus animos addit, & emerito quamvis militi, lætus eſt armorū ſtrepitus. Non minus viduum te afficit repetita amoris fabula, & quo iterum includi ludo times, de eo audacter ſatis & prolixè loqui ſuſtines.

BARL. Prout res ſe dant, loquor, mi Vicoforti. alternis tecum horulas aliquot frango. *Sic prior Æneas, loquitur ſic deinde Latinus.* Metamorphoſin Ovidii legiſti puer. ut in illa fabulæ, noſtræ naſcuntur & cohærent diſſertationes. gutta tecto decidens, lapſus ordine ſuo ceſpes, Hylas aliquis ad ripam merſus, muſca aranearum telis implicita, ceſpitans famulus, malè nupta ancilla loquaces nos facit. nec ſermo mihi eſt de amoribus, niſi cum amantes alios, & adblandientes conjuges conjugibus ſuis video, aut cum viduæ alicujus erectioris conſtantiam opimæ doti, aut fallacibus promiſſis ceſſiſſe audio: aut cum fortè in diſcurſus iſtos incidi, quibus Arcadia Sidneii, aut ultor Velſius, aut Joſephus ἰδιομάχος titulum faciunt.

VICOF. Quia res amabiles

biles loqueris, & in Cupidinis meſſem falcem mittis, omnino arbitror, ſi benè te novi, legiſſe te quidpiam, quod Cypriam capſulam oleat. aut, dic ſodes, num Venus aliqua te exercet novæ conjugis cupidum? an in mercante urbe, ubi inter mercimonia quoq; deſertæ Creuſæ ſunt, in exemplum incidiſti infelicius aut deceptæ amaſiæ aut decepti amatoris?

BARL. Erras, nec erras prorſus. Dudum eſt, ex quo non vacavit explicare frontem & de novæ ac blandæ captivitatis compedibus cogitare. aliorum amores ad animum revoco ſegnius, de meis non nimium ſollicitus. Verum, ut, quod res eſt, dicam, heſterna veſpera, dum me bruma foco propius admovet, incidi in volumen grande, deauratumq; faſciis fulgens byſſinis, intus amantium imaginibus variè conſperſum. dum recurro ad frontem, *Annulum pronubum* eſſe deprehendi celeberrimi CATSII, virginum ubique & matronarum & conjugum delicias, & mellitos globulos & cupedias. De mendaci Gygis annulo multa fabulantem Herodotum legeram. Annulum equiti Romano pro inſigni fuiſſe didiceram. Eundem fatalem fuiſſe Demoſtheni, & Annibali: triumphalem Pompeio poſt victum Mithridatem: ſacrum legatis, judicibus, centurionibus: ſecreti indicem: Veneni averruncatorem, & magicæ artis depulſorem. At hic, in quem me incidiſſe dixi, Annulus, thori pignus & arrha, amantium conjugumque fidē obſignabat, maximiſq; veteris, medii, & recentis ævi exemplis, tum ſacris, tū profanis caſus memorabiles & illuſtres valde conjugiorum ob oculos ponebat, & quid turpe, quid utile, quid imitandum fugiendumq; teſtimoniis omni fide majoribus comprobabat. In ipſo Operis limine offendi Nuptiarum Adami & Evæ diſertiſſimā deſcriptionem, plenam genii & poëtici impetus, cui præludit autor magnifica primæ-

væ hujus copulæ ſupra alias commendatione, & grandibus prærogativis. Ab horum lectione recentior, cœpi de amoribus verba facere, quos à primis parentibus jamjam hauſeram.

VICOF. Non ſoles tu iſta perfunctoriè legere. quare, niſi grave ſit, cuperem ex te audire, quid excellens, quid inimitabile, quid admirandũ venerandumq́; Nuptiæ iſtę habeant, præ poſterorum nuptiis. Eodem modo conveniſſe, eodem modo amaviſſe & nos & parentes noſtros putem. Eſt jam Veneris dies, quo à ſcribendis literis vaco, nec abitu, riuntes tabellarios expectat magnæ urbis janitor. Nec indecens fuerit, de Venere ſacra nos loqui, ea luce, quæ minus ſacræ Veneri dicata fuit.

BARL. Exponam libens. nec enim negare quicquam me fas eſt amico, cui ut hedera viti, myrtus Punicæ adhæreo. At ne in immenſum videar jaculari tela, referam prærogativas iſtas in capita. Quippe conjugii autor conciliatorq́;, Sponſorum ratio, Sponſalia, locus, tempus, dos, celebritas, Sponſorum adhæc fata & eventus, vota & gratulationes ingens diſcrimẽ faciunt. Tu compone togulam, &, ubi non dixero verum, interpella aberrantem. Nam vetera loquar & in Paradiſo geſta, extra quem nos ſeri nepotes viximus ſemper, poſtquam acinace armata Angeli manus aditum peccatoribus præcluſit. Ac primò quidem *conjugii* hujus federiſq́; *autor* Deus fuit, recenti rerum omnium creatione clarus, qui nec fallere primos conjuges potuit, utpote ſanctiſſimus, nec falli, utpote ſapientiſſimus. Noſtras nuptias parẽtes proximè conciliant, de quorum genere, fama, opibus, probitate ambigitur. & meritò. mendaces ſumus, quotquot homines ſumus. nec religio nobis eſt, ſpe lautioris conjugii, ipſas aras periurio violare, & conjugalem copulam Phœniciam negotiationem putare. familiæ illuſtri natales imputamus, quos ex veſpillonibus & cerdonibus traxi-

traximus. fumoſas majorum imagines jactamus, quibus nihil ſimile habemus, præter colorem. Pelopis talenta, auri vaſcula crepamus, piſtillo nudiores. latifundia pro dote pollicemur, quæ nunquam adſpexit Sol. quin probitatem emendicatis aliorum potius teſtimoniis, quàm proprio exemplo probamus. Nihil tale primis nuptiis accidere potuit. Noſtris conjugibus parentes diſcreti ſunt. alius Porciæ, alius Bruto, alius Æneæ, alius Creuſæ, alius Andromachę, alius Hectori pater fuit. Iſtis conjugibus unus idemq; mundi opifex & Vniverſi Dominus. Nobis ſollicita mater eſt, quæ nubenti filiæ aut Sponſo filio gratulatur, & magna cura nuptiarum ſolennia adornat. Hic minore conatu matrum curam ſupplevit unus pater. Patria nobis ſæpè diverſa. nubit Romano Græcula, Afra Europæo, Gallo Itala, Cretenſi Sicula. Primis conjugibus eadem patria, idem ſolum & cœlum fuit. Generationis noſtræ proximus autor homo eſt. ad Deum non niſi longa & pene ineffabili genealogia imus, quem proximo gradu attigêre Adamus & Eva. Horum quoque conjugum pater, quos virum feminamque adultos fecerat, vinculo conjugali nexuit. Noſtri patres, quos infantes genuêre, pueros, adoleſcentes educavêre, tandem amoribus pares ſociant. Noſtri parentes aut difficiliores ſe in liberorum nuptiis præbent, aut eorundem amores præcipitant, & vix viripotentes applicant virilibus officiis. Deus in ipſa ἀκμῇ & homines ſimul & conjuges fecit, & virum & maritum & feminam & uxorem. Qui nobis ſunt parentes, procationum tempora nuptiarum temporibus præmitti cupiunt, ut hiſce amorum præludiis de indole moribuſq; amantium certius conſtet, & ſopiti Cupidinis igniculi honeſta familiaritate gliſcant. Deo his auxiliis non opus, ut qui ignaros peccati & malorum morum amantes providus junxit. Nobis,

priuſquam de dote conveniat, lis eſt & diſputatio anxia ſatis,uſq; ad ſordes ſæpenumerò. Tunc nulla de dote controverſia, quam dare utriq; unius erat & liberaliſſimi creatoris. Et nonne, qui patri perplacet futurus gener, diſplicet matri? & contra, quem mater probat, improbat pater? Hîc unius Dei uterq; opus non potuit non ex æquo placere ſapientiſſimo autori. Nobis è poteſtate parentum exire nefas, ſine illorum conſenſu. Illi è nullius parentis poteſtate exivere, quia nullum in terris habuere. Nos nuptiarum apparatum ſumtuſq; inter parentes partimur. Hîc omnis ſolennitas adminiſtrantis tantam rem Dei fuit.

VICOF. Grandia narras diſcrimina. ſed quid *Sponſos* diſtinguat ſcire aveo.

BARL. A Sponſis differimus principiis generationis, forma, ætate, dignitate, robore, ſanctitate, appellationibus. *Principiis*, inquam, *generationis*, quia nos è parentum ſanguine nati, ea ferè ſumus corporis temperie, qua illi. naſcimur è malis nequiores, è fortibus & bonis fortes & meliores. at primi omnium parentes à nullis geniti, progenitoribus ſuis nec diſpares fuere, nec compares. Nos cum de thalamo cogitamus, magnis familiis innecti amamus. at hi uni Deo creationis jure annexi, familiam omnem ſprevere, quam divinitas non habet. Quin horum alter è matre terra corporis originẽ proximè traxit, altera ex ipſo viro, cujus pars fuit. Hodie nec Sponſus Sponſæ, nec hæc illi quicquã ſui debet. Cum conjugem adſpiceret Adamus, vidit bellam metamorphoſin ſui. Cum ſeipſam adſpiceret Eva, ſurculum ſe maſculæ ſtirpis agnovit. Cum Evam adſpiceret vir, ſomni filiam vidit; cum hæc Adamum, virum vidit ſola dormitione fecundum. Tetigit ille coſtam, quâ carebat. tetigit illa totum ſui,quod habebat. amavit ille ſeipſum extra ſe. amavit illa Adamum in ſe.

nec

nec enim ille diverſum quid prorſus erat ab illa; nec hæc ab illo. Nos uti genitoribus, ita ſubſtantia toti differimus, nec alterius eſt alter, niſi federe & pacto. Adhæc nec geniti illi propriè, quia parentibus caruere, nec propriè creati, quia ex materia facti. nos geniti vere, creati nullatenus, quia è prolifico ſemine à ſimilibus cauſis profecti. Animam, qua vixerunt illi & ſapuerunt, à divina inſpiratione accepit uterque. Noſtra aut à Deo eſt, aut à traduce. Loquor dubitanter, quia ſub judice adhuc lis eſt.

Vicof. Hanc decidere theologorum eſt & philoſophorum.

Barl. Ita eſt. ſed nec inter theologos, nec philoſophos ſuper hoc problemate convenit. Scio inter theologos eſſe, qui animam ab anima parentũ derivari volunt, ut lumen à lumine, ne, quod metuunt, peccati originalis propagationi via occludatur. Scio in eodem ordine eſſe, qui cum philoſophis pro animæ ſpirituumq; indiviſibilitate, & ingenerabilitate acerrimè decertant. Ego, ſi ſententia dicenda ſit, iis ſubſcripſero, qui noſtras animas cœlitus arceſſunt, & cum Ariſtotele θύραθεν ἐπιιέναι, *forinſecus ingredi* affirmant. *Formam* quod attinet, quin ea Adamo & Evæ exactiſſima fuerit & omnibus numeris conſummatiſſima, non eſt dubium, ſive partium figuram ſpectes, ſive gratiſſimam colorũ in vultu mixtionem. Fuit uterq; pro exemplari, paradigmate & prototypo formæ humanæ poſteris. quare pulcherrimos formoſiſſimoſque ambos fuiſſe oportuit. præſertim, cum ignoti adhuc inſolitique amores excitandi fovendiq; eſſent, gratæ pulchritudinis & elegantiæ lenocinio. illud firmiter teneo, fuiſſe Adamo athleticũ corporis habitum, toroſa membra, venas turgeſcentes ſanguine, vultum intermiſſo candore rubentem, oculos flammeos, latera compacta, humeros latos validoſque. Evam mirabili quoque & con-

conſpicua ſpecie, ſucculentam, candidam, proceram, oculis pellacibus, renidente vultu, ore decoro, genis roſeis, mamillis turgidulis, eburneo femore, partibuſque omnibus ad honeſtas illecebras formatis. ut nec πιινὴν metuerit Adamus, cum eſſet formoſiſſima; nec κοινὴν, cum eſſet ſola. At nobis ob peccati labem, macies & nova febrium, totq; morborũ cohors incubuit. huic diſtorta cervix eſt & pendulum in humeros caput, illam nævus inſignior & crebra vitiligo deturpat, alteri ſparſum os eſt, labra gracilia, nares acutæ vel ſimæ, aliis pes brevior, aut protenſum abdomen, langueſcente & aberrante, vel parentum vitio vel intemperantiore victu, virtute formatrice. *Ætas* utriq; nulla fuit, quia in ipſo mundi principio cum tempore cœloque conditi, non niſi biduo Sole & Luna juniores fuerunt. Idem illis, ut arbitror, dies natalium fuit & nuptiarum, exiſtentiæ utriuſq; & coëxiſtentiæ, ὀυσίας & μετουσίας. Ætas ſenſibilis eſt temperamenti mutatio. hanc experti nondum erant facti recens conjuges. Nos ab infantia ad pueritiam, ab hac ad juventutem & adoleſcentiam, hinc ad thalamum imus. Per hos gradus non ambulavêre, de quibus eſt ſermo. Maritus uxorque fuêre, quibus nunquam contigit puero & puellæ eſſe. adulti erant, nec adoleverant, puberes, impuberes nunquã; ἔφηβοι, non μελλέφηβοι; nati cõpares & conjugii lege facti. Matura viro erat Eva, nec tamen plenis nubilis annis, quia annos Sponſa non numerabat. Adamus uxorem amplexabatur σύγχρονον ferè & non niſi ſomni tempore diſtinctam. Nobis, ſi pueri ſumus, nondum ducenda eſt uxor; ſi ſenes, nunquam. His ocyus, quia nec pueri erant, nec ſenes. nec triginta annorum ille, nec hæc quatuordecim, quod matrimonio tempus præſcribit

ſcribit Aſcræus. At quanta horum *dignitas* & excellẽtia, ſive parentum eos compellemus nomine & ſtirpes ac capita generis humani vocemus, ſive cœleſti nobilitate illuſtres, qui Deo patre gloriabantur, & intimæ erant apud Deum admiſſionis & ad Superûm colloquia admiſſi; ſive quod in terris parerent nulli, ipſi terrarum monarchæ & principes: ſive quod ex illorum manu poſterorum omnium vita ac mors, felicitas infelicitaſq́; penderet. Non noſtrûm ea fortuna eſt vel ſplendor. filiorum & filiarum nomine contenti, hominum proſapia & origine clari ſumus, & à Dei affatu ſemoti, ſummis poteſtatibus faſces ſubmittimus. *Robur* animi corporiſque utriſque majus, quia nondum afflicta valetudo cum gula in gratiam redierat. necdum conſenuerat mundus, nec vanitati obnoxia creatura liberari à ſervitute corruptionis deſiderabat, nondum parturienti ſimilis ingemiſcebat orbis, & peccati noxa etiam in res inanimes ſerpſerat. integræ elementis qualitates, nec fracta longa alienorum corporum mixtione, validioris ſtructurę membrorum erant compages & vincula. non labores, non curę domeſticę publicęque, non opum ſitis, non ambitio luxurieſve atriverat meliorem animæ partem; aut divinæ auræ particulam affixerat humo corpus heſternis vitiis onuſtum. Cuſtos mentis & virtutum erat temperantia. lenitas iram moderabatur, honoris ſtudiũ modeſtia, ſpem felicitas, metum malorum ſecuritas, triſtitiam affuſa undique voluptas, gaudium legis divinæ obſervantia & amor. Nos verò miſeri, *ϖοῖοι νῦν βροτοὶ ἔσμεν*, *qualia nunc hominum producit corpora tellus!* Affligimur conjuges deliriis, quia vino incaleſcimus, apoplexia, quia pluş æquo iraſcimur; hydrope, quia ignes in aduſtis aquis potamus: ſyncope, quia jacturam opum infelicitatis ſummã putamus; podagrâ, quia extenuamur profuſa libidine; ictero, quia

Syba-

Sybariticas menſas amamus & Pontificum cœnas; arthritide, quia liberalius Libero patre adſpergimur. Hinc, conjugiis inepti, imbecillum corpus trahimus, liberoſq; gignimus molles, effeminatos, flaccidos, tabidos & parentum immoderatione jam inde ab incunabulis fractos debileſque. Ideo *ſanctitate* quoque nos differre dixi. Erat quippe primæva ætas aurea, moribuſque caſtigatiſſimis, cui nos ſucceſſimus, argentea, ænea & ferrea ætate, hoc eſt, moribus vitæque inſtituto degeneres. Tunc imaginis divinæ, ad quam conditi parentes primi, integra fuit & illibata ſpecies, quæ nobis vix mutila & lacera ſupereſt. Tunc pietatis in Deum, juſtitiæ, bonitatis, ſimplicitatis, innocentiæ, illuſtriſſima apparuere documenta, quæ nunc exſtincta penè, vix levibus ſcintillis exiguiſque veſtigiis ſe produnt. Innocentiam arguebat, quod pudere nondum didiciſſent, criminis expertes. pudoris poſtmodum velamentum frondes ficulneæ fuere & peccati confeſſoria tabula. Et quantum *Sapientiæ* divinæ humanæq; diſcrimen! non potuerunt non Deum noviſſe propius, quo fruebantur proprius; aut ignorare Angelicas mentes, quas ſubſtantiæ ſpiritualis & ſanctitatis gradu anima attingebat. Adductis coram animalibus, nomina ſingulis imponebant, naturæ indoliſque ſingulorum gnari. Nos, ſi nomina ſcimus, naturas omnes ferè ignoramus, & in ſuperficie inopi cognitione hæremus. Noverat Adamus Evam, quam viderat nunquã. nos, quæ oculis uſurpavimus ſæpius, manibus palpamus indies adhuc neſcimus. In illis mira rationis, voluntatis & affectuum concordia fuit. In nobis ἄσπονδον eſt inter rationem & cupiditates bellum. Illorum mens verè æqua, nec à ſe diſſidens. in nobis ob judiciorum pugnam fluctuans & irrequieta. Illi nullis aliorum antè amoribus irretiti, caſtiſſimis flammis arſere, &

fine

ſine rivalium æmulatione aut repulſæ metu amavere. nos, proh dolor, ſæpius repulſarum poſſeſſores ſumus, & rivalibus temere iraſcimur, quin, aliorum amoribus fatigati, remiſſas faces in thalamum inferimus.

VICOF. Videris mihi in ea eſſe ſententia, mundum indies in deterius vergere, ideoq; robuſtiores, grandiores, vegetiores fuiſſe Adamum & Evam; nos verò debiliores languidioreſque, deficientibus ſenſim à perfectione ſua elemētis, plantis, animalibus, &, quibus conſervamur, alimentis.

BARL. Quid hujus rei ſit, poſt primi hominis lapſum, diſputent alii. Illud ſolum inpræſentiarum aſſero, robur, formam, valetudinem, rerum ſcientiam, virtutum & honeſti ſtudia excellentiora fuiſſe in homine integro, quam lapſo. Etenim maleficii rei primi parentes, quicquid divinæ gratiæ dono acceperant, excuſſere, mortemque ſibi eaque mala omnia, quæ morti præludunt & mortalitatis certiſſima ſunt argumenta, accerſiverunt. Sed *Tempus* fortè Nuptiarum ſcire deſideras, cum etiam hac prærogativa gaudeant primitus conditi. Initæ illæ ſunt ſexto à cœpta mundi creatione die. Utique viripotentes & jamjam generandæ proli aptos creaverat Deus, ut cauſa nulla eſſet, cur differri oportuerit nuptias, præſertim cum cultores paſſim depoſceret terrarum orbis, qui diffuſiſſima ejus ſpatia inhabitarent, quiq; in Deum patrem & creatorem debito cultu & relligione reflecterentur, & naturam omnem cœleſtem & elementarem in ſuos uſus converterent. Ipſa ſacra pagina inter res ſexto die peractas, præter animalium terreſtrium productionem, hominis quoq; formationem & matrimonii inſtitutionem ac benedictionem refert. Nos uti poſteriores tempore naſcimur, ita conjugii quoque ſuavitate & uſu ſerius fruimur. Primæ nuptiæ in Ver inciderunt, amoribus generationiſq; officiis peroportunum,

So-

Sole Arietis principium ingreſſo. Ita Vates:

Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem
Crediderim. Ver illud erat, Ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri,
Cum primum lucem pecudes hauſere, virumq;
Ferrea progenies duris caput extulit armis,
Immiſſæq; feræ ſylvis & ſidera cœlo.

Nobis nullo non anni tempore nuptiæ placent, & æquinoctia ſolſtitiaq;, Cancrum & Capricornum, Arietem Libramque nullo diſcrimine habemus. quodvis ſidus eligitur amantibus, nec iniquius illis creditur fore cœlum, quos cœli opifex junxit. *Locus* quoq; alius primorum conjugum habitationi conceſſus, alius nobis. illos Paradiſus habuit, amœnitatum omnium & deliciarum ſedes, voluptatum domus, bonorum omnium fecundiſſima mater, immortalitatis nutricula, virtutum honeſtiq; area, ſelectior Vniverſi pars, ſalutis felicitatiſq; terrenæ circulus, ſtatio vitæ gratiſſima; ubi ignota mali nomina, dolor, paupertas, fames, livor, avaritia ambitioque longè ęrant. hortus magnis fluminibus, Tigride, Euphrate, Gange, Nilo irriguus, bdellio, onyche, auro gemmiſq; precioſiſſimis dives. Ante Græcorum Elyſios, hîc Elyſii fuere, ante fortunatas inſulas hîc fortunatorum nemorum locus ſedeſq; beatæ, quibus nec Theſſala Tempe, nec Baiæ, nec Phęacum agri, nec Heſperidum horti, vatum labor, conferri merentur. Poſterorum nuptialis area extra Paradiſum eſt. Ad orientem alii, cum ipſo Sole, velut Sponſo, Sponſi exorimur: ad occidentem alii cum eodem in cubile & aquas deſcendimus. aliis Auſter, aliis Septentrio thalamum ſternit. quibuſdam locis adurimur nimis, quibuſdam congelaſcimus amatores. ſunt, ubi maris fluctibus adſpergimur; ſunt, ubi arenis totiſq;

col-

collibus obruimur. Ducimus uxores in ipſis montium faſtigiis, ſupremam inter infimamq; aëris regionem, in ipſa fulminum, nivium, & tonitruorum ſede. Ducimus uxores in vallibus, paludibus, ſtagnis, in aquis, luto; pluviæ, grandinis, ventorum, nebulæ caliginiſq; ſecuri. Iungimur quovis climate, nec terret amantes ſuppoſta Urſæ regio, aut cui Taurus fronte minatur, aut cui Procyon adlatrat. caloris frigoriſque quoſlibet gradus patitur amor noſter, & ubi lætiſſime conjugis convictu gaudet, hîc ſtrumę, febres, podagræ, calculus, pleuritides, tuſſes, epilepſiæ, apoplexiæ, vertigines, ſyncopæ, endemia & epidemia mala ſunt. Qui temperatiſſime habitamus, intemperatiſſime valemus, & cum dierum incrementis ac decrementis maximis, aëris alia atque alia facie, plus minuſve vel ſani, vel, ægri, vel neutri ſumus.

Vicof. Paradiſum nominas ſed expedi quæſo, quid Paradiſus ſit, aut quibus ille limitibus circumſcribatur.

Barl. Qui auſim, in tanta doctorum veterum ac recentiorum diſcrepantia? Auguſtinus lib. xiii. de Civit. Dei. tres de Paradiſo ſententias recenſet. Prima corporeum & terrenũ tantum eſſe locum vult. Altera merè ſpriritualem tantum & cœleſtem. Tertia partim ſpiritualem & corporeum. Quibus corporeum eſſe placet, aut eum ad Lunarem uſque circulum extendunt, ut nugatur Beda: aut ſub circulo Æquinoctiali eum locant, ubi ob dierum & noctium æqualitatem temperatiſſima tempeſtas eſt; ideoque immortalitatis ſtatui, ut videtur, accommoda: aut in parte mundi Orientali poſitum volunt. hæc enim pars mundi nobiliſſima eſt, utpote ad dexteram cœli, ſecundum Aſtrologos, partem ſita; cui Occidens ad ſiniſtram opponitur. conveniens quippe videbatur, ut ſublunarium creaturarum princeps, principem ſibi in univerſo locum vendicaret. ideò Damaſcenus Paradiſum

ſum ait temperato, tenuiſſimo, puriſſimoque aëre circumfulgere, plantis ſemper floridis comatum. Sed hæc à diſputatione noſtra abeunt.

VICOF. At *Sponſaliorum* quoque meminiſti, quibus an contractæ fuerint hæ Nuptiæ, valde dubito. Nec enim de dote controverſia moveri potuit, cum hanc nec teſtamento acceperint, nec ab inteſtato, nudi ambo, rerumque omnium inopes. nec de donativo Sponſæ; cum quod de ſuo daret, non haberet Adamus. nec de præmatura alterutrius morte cautiones adhibendæ, cum Dei beneficio immortales eſſent. nec erat, qui Sponſalia conderet, juratus ſcriba, aut amici, qui fidem interponerent, tantæ rei teſtes.

BARL. Fuere tamen, licet omninò à noſtris diverſa. Poſt peccatum, Sponſaliorum neceſſitatem ſuaſit contrahentium fraus & perverſitas. avaritia bonorum communioni non ſemel obſtrepit. prodigalitatis metus, aut fallax mercantium fortuna, ſeriò cavet, ne iiſdem, quibus vir, damnis uxor mulctetur, licet in lucri partem venire non recuſet. moriendi ſine liberis condicio, illud paciſci cogit, ut defuncti bona conſanguineorum cedant dominio ac poteſtati. At Adamo & Evæ, expertibus omnis adhuc criminis & vitii, nec mortis fato, quoad Deo viverent, obnoxiis, nihil horum præcavendũ fuit. Omnis hic conjugii conditio, ipſum conjugiũ fuit. Junxit Deus virum feminamque, ut jungerentur & ſociarentur arctius, *Creſcite*, inquit, *& multiplicamini*. quibus verbis, ſive mandati, ſive permiſſionis vim habentibus, ille actus includitur, ſine quo nec creſcere, nec multiplicari in numeroſam ſobolem potuerunt. Stipulatio mutuus fuit amor, congreſſus, & cohabitatio indiſſociabilis. Candidè inter illos actum, quia natura ſimplices erant. ſanctè, quia ſanctitate in ipſa creatione imbuti, juſtè, dante unicui-

cuique ſuum Deo. non timebatur malum, cujus nomen inauditum in terris. non ſcriptorum religione, velut ſacramento,opus,cum numinis præſentia & reverentia in officio continerentur ambo. De tota poſteritate ſollicitus Adamus, cavit diſertè,ne in poſterorum nuptiis locus eſſet divortio, & polygamiæ. *Propterea*, inquit, *derelinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in una carne.* Nec enim illa Adamum & Evam prorſus proprieque concernebant, quibus nec pater in terris nec mater erat, & qui plures in carne una eſſe non poterant, cum plures non eſſent. *Celebritas* quoque ritus & ceremonię nuptiarum alię ipſis fuere alię poſteriorum ſeculorum nuptis ſunt. Nos uxorem ducturi,ab eo, a quo ductura eſt, ſtipulamur,nobis in matrimonium datam iri. Qui daturus eſt, ſtipulatur, eam traditam iri. Hinc Juvenalis Sat. VI. *Conventum tamen & pactum & Sponſalia noſtra Tempeſtate paras.* Hîc ad Adamum adducta Sponſa, deſponſata fuit non roganti,non petenti, non ambienti. Veluti Dii, apud Terentium, quibuſdam dormientibus conficiunt bona, Adamo noſtro dormienti obtigit uxor. Nobis advocanda in ſubſidium facundia omnis, amicorum adhibenda vis & benevolentia, officiis, beneficiis, lenociniis, magnæ dotis pollicitationibus, precibus & obſequiis opus, ut expugnetur amaſiæ pertinacia. Imus in regiones alias, & trans maria & terras, per ſaxa per ignes *Trudit amor miſeros.* Cum quibus melius agitur,viciniam omnem ſollicitant,& in eadem urbe vicos omnes inſulaſq; & tribus oberrant, ut thori ſociam nanciſcantur. Annos terimus amorum pręludiis,feneſcimus procando,& poſtquam omnem movimus lapidem, egregiæ & celebris repulſæ gloriam prudenter diſſimulamus. Adamo iſto apparatu, nec tot promotoribus, nec tam faſtidioſo ambitu opus. Velut cœlo

delapſa conjux, inopinatò venit in amplexus, dante illam & ſiſtente coram Deo patre & nuptiarū ſolo conciliatore. Poſterorum uxores, cum viro darentur, velare capita ſolebant & nubere: Eva nupta fuit, nec tamen ſe nupſit, pudoris neſcia. Poſteris pro more fuit, Sponſæ virgineam zonam ſolvere: Evæ ob nuditatem ſolvi illa non potuit. Poſteri inter amicorum plauſus & gratulationes matrimonia inimus: Adamus & Eva ſolum ipſis gratulantem & benedicentem Deum agnovêre. Nobis nubentibus magni ſplendidiq; conviviorum fiunt apparatus, præferuntur faces, acclamant pueri innuptæque puellæ; atria, cubilia tapetis fulgent, myrteis coronis thalamus renidet, canunt tibicines, fervent omnia convivis famuliſq;: Hic ſine pompa, ſine faſtuoſo apparatu confecta omnis & peracta res eſt. Niſi illud ad celebritatē maximè faciat, tanto negocio adfuiſſe Angelicas mentes, adſpectaſſe naturam omnē humani generis primos parentes, & applauſiſſe novis imperatoribus quicquid in aëre volatilium, in aquis piſcium, in terris cęterorum animalium fuit. Booz Davidis proavus coram populo & majoribus civitatis, in ipſa urbis porta, Ruth Moabitidem duxit: Non potuere hoc facere parentes noſtri, cum nec populi nec urbs nec porta eſſent. Eſtheræ nuptiæ Perſicis deliciis affluebant, at hæ cœleſtibus. In Cana Galilæa vino quæſita hilaritas fuit: Hic in ſobrietatis & temperantiæ ſede Paradiſo, ſine Libero incaluit ſanctiſſima Venus.

VICOF. Quanto labore levaremur poſteri, ſi ſuam cuiq; Sponſam, uti Adamo Evam, ex mortalium infinito numero ſeligeret Deus & ad nos adduceret. Certè de moribus & indolis probitate, cujus hodie fallax eſt obſervatio, eſſemus perſuaſiſſimi; cum falli non poſſit Deus, ſeligendo bonam, nec malam inferre velit thalamis ipſum timentium.

BAR-

Barl. Extra ordinē hæc à Deo geſta ſunt, ut poſtmodum naturæ ordini eſſet locus. nec potuit quæſiviſſe Adamus, quę nuſquam erat. Poſtquam mulierum exſtitit fœcunda, ſeges, rationem, preces ſerias, parentum conſilia, tutorum, amicorum judicia ad hanc rem adhiberi voluit Deus, & nos prudenter eligere, quam indoli quiſque ſuæ maximè convenire judicaret. ſervato ſibi jure, & occultis pruvidentiæ cauſis, ut vel mala malis in pœnam, vel bona in virtutis præmium, vel peſſima quoq; non omninò malis in caſtigationem & maſcularum virtutum probationem cederet.

Vicof. Iam dotem explica. nec enim ſine ea conjugia fiunt.

Barl. Si dotem optimam virtutem putas, vitæ ſanctitatem, juſtitiam, innocentiam, pietatem, Dei amorem, ſcientiam, ea certè in utroque, ſupra nepotum condicionem, excellentiſſima fuere. Licet rigidè loquendo nec pudicos fuiſſe dicere auſim, nec verecundos. Si id, quod dos vulgo dicitur, ea utrique divino dono par fuit & maxima. Poſt ſecutis ſeculis dos olim apud Romanos fuit æs grave. Mox decem millia æris dotem non exceſſere. poſtea corruptis moribus XL millia. Divites uxores in dote quadraginta millia ſupergreſſæ ſunt; in tantum, ut Megulia, quod quingenta millia in dotem dederat, Dotatæ nomen tulerit. Et hodie quærenda pecunia primū eſt, virtus poſt nummos. Tunc virtutis pretium ante nummos erat. nondum enim avaritia in latebras & terrarum viſcera penetraverat. Dos tamen omni poſterorum dote major, Univerſum hoc erat. A Creatoris liberalitate profecta vox fuit: *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli & univerſis animantibus, quæ moventur ſupra terram. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuum ſuper terram, & ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam.* Principatum

omnem terræ, maris, aëriſque in dotē accipiunt duo, quem nos æmulatione, imperandi cupidine, gloriæ ſiti, vindictæ ſtudio in minutiſſimas partes diſtrahimus. Obtulit Alexandro in dotem Darius, quicquid erat terrarum inter Helleſpontum & Euphratem. At quid hoc, ſi telluris omnis Oceanique dominium & uſum ſpectes, quod cum nullo partiti fuere primi parentes. Et quia hæc dos utriq; Dei munere ex æquo obtigit, ſuperbiæ fomentum neutri præbuit. Hac tempeſtate, cum luculentior alterutrius dos limen ſubit, cedit libertas, imperia dote divendi querimur, & aureis catenis, mancipia veluti, conſtringimur, cum ex æquo divites primi conjuges, pari jure reliquis viventibus imperaverint. *Fata* quoq; & *rerum eventus* diſpar. Stetere primi parentes ſibi & nobis. cecidere quoque ſibi & nobis. Cum illis tanquam generis humani principibus & ſtirpibus contraxit Deus, ne ſine nobis benè eſſet ipſis aut malè. At poſterorum ſive virtutes, ſive vitia perſonam non egrediuntur. illis felicibus eſſe licuit in Paradiſo, nobis nunquam. illi ad colloquium creatoris ſui admiſſi, nos minimè. illis exulandum ob culpam ſuam, nobis ob parentum & noſtram. Denique jucundam differentiam *Appellationes* faciunt. nobis uxor non niſi uxor eſt, non filia, non ſoror. nec maritus quiſquam, qui ſimul & filius & frater ſit uxoris. Eva Adamum & virum nuncupavit, quia illi nupta; & patrem, quia ex illius coſta facta, & veluti germen ejus ſoboleſq; & fratrē, quia ab eodem Deo patre condita. Adamus viciſſim Evam & uxorem nuncupavit jure matrimonii & filiam jure generationis è carne ſua, & ſororem jure concreationis. quæ appellationes cum in noſtros conjuges cadunt, ſcelus admiſſum habent, juxta illud:

Herſylus hic iaceo, juxta Marulla quieſcit,
Quæ ſoror & genitrix & mihi ſponſa fuit.

Inter-

Interpretatio hæc eſt: *Me pater ex gnata genuit, mihi jungitur illa. Sic ſoror & conjux, ſic fuit illa parens.*

VICOF. Omninò præcelluere noſtris nuptiis, primorum parentum nuptiæ. Vellem non peccaſſe illos noſtro damno. Sic enim ſpes fuiſſet non indubia, fore, ut & nos eadem ferè nuptiarum felicitate gauderemus, & Paradiſo adhuc incluſi Dei alloquio frueremur, & malorum omnium mortiſq; eſſemus immunes.

BARL. Hæc optare licet, ſperare minimè. Verum ſi conjugia noſtra, quoad fieri poteſt, componamus ad regulã modumq; primævæ iſtius copulę, & ad hanc, velut ad Lydium lapidẽ, exigamus errores noſtros, diſcemus amantes cautius mercari & nubere. Jam vale. tabellarius præ foribus eſt, & te ad ceram linumq; vocat.

DIALOGVS
de
CONJUGII NECESSITATE.

Collocutores,

HOOFDIVS, BARLÆVS.

HOOFDIVS.

SAlvis ſis, Barlæe.

BARL. Et tu ſalve Nobiliſſime & ter ample vir.

HOOFD. Cur me ter amplum vocas, non bis, non quater?

BARL. Quia tergeminis certas honoribus, laurea, faſcibus, & S. Michäelis inſignibus. Laurea te Apollo donavit, faſcibus Hollandia, Nobilitatis inſignibus Galliarum rex; ut Poëtæ, Satrapæ, & Equitis amplitudine

tudine gaudeas. Triplici hac dignitate emines, ſimilis Phœbo, ſimilis Dianæ, quibus triplex quoq; numen.

HOOFD. Valde es in exaggerandis amicorum laudibus ὑπερβολικός. Sed unde tu tam nitidus & benè comtus advenis, præter morem tuum & poëtarum. Eumolpus apud Arbitrum, roganti cuidam, cur tam malè veſtitus eſſet, reſpondit: ob hoc ipſum, quia poëta ſum. Tibi pileolus, è Caſtoris pilo, vix radit verticem. barba ignea forcipe tacta capillos nova lege diſponit, ut de ſingulis in conſiliū iviſſe videaris: Veſtis non ſordidam lanam, ſed Seras ipſos redolet: chirothecas paſtillus adflat: collare bracteæ cujuſdam inſtar in humeris ludit & ventis ludibrium debet: calceus ſubere ſublatus ſtaturam mendacio adjuvat. Planè ut é Cypro aut Gnido veniſſe credi poſſis, ubi Veneri ſacræ ædes ſordes reſpuunt, & nitoris plena ſunt omnia.

BARL. Nequaquā. Cyprum ut & Gnidum ſordidus Turca habet. nihil illic mihi negotii. Verum, ne mentiar, venio recens Alcmaria, Hollandiæ Borealis metropoli, ubi celeberrima TESSELA habitat, illa, quæ ſexum ingenii, virtutum & artium plurimarum claritate antevenit, ut merito à Zulechemi Domino dicta ſit, *Almerii ſaxū Pharoſq; ſoli*.

HOOFD. Sed quid tu in ea grande excellenſque obſervaſti.

BARL. Jam dixi. tota matrona mihi miraculum eſt, & conſummatiſſimus Superûm, ſi ita fas loqui, labor. Ingenio nihil divinius ſublimiuſque. ea concipit in quæ non penetrant vulgares animæ. quicquid demiſſum ac humile, pedibus calcat, ipſis nubibus contemplatione altior. apophthegmata nō fabricat, ſed fundit. ſententiis reſponſiſque arguta eſt & faceta. Verſus ſcribit non una lingua, Belgicos, Gallicos, Italicos, & illos elaboratos, ut lucernam oleant, & reconditorum ſenſuum ple-

nos,

nos, ut à ſecunda etiam tertiaque lectione doctior redeas. Videbam in ædibus variarum artium exquiſitiſſima monimenta. nec enim ſupellectilem ſuam emit, ipſa fecit, *Opum ſuarum mater, hoſpes, artifex*. Pingit penicillo, & Apellem provocat. Sculpit & Praxitelem laceſſit. Texit & net Arachnes æmula. canit in invidiam Sapphus. teſtudinem pulſat Orphei inſtar aut Amphionis. Lemniſcos & corollas è fructibus, foliis, floribus, conchis eo artificio concinnat & ordinat, ut dubium ſit, an natura arti, an ars naturæ concedat. Flores byſſo repræſentat, ut vivere jures. Ea accuratione & elegantia ſcribit, ut prælis dudum ſua laus deceſſerit. Orationi Suada ineſt & mira venuſtas. oculos verecundia, inceſſum modeſtia, geſtus comis gravitas inſedit. Animæ virtus una eſt. ſed quæ reliquas omnes συλλήβδην habet. Græci δικαιοσύνην καθόλȣ vocant.

HOOFD. Locutus illi es.

BARL. Prolixè.

HOOFD. Qua de re.

BARL. Vis ſcire, quid rex reginæ in aurem dixerit? & quid Juno fabulata ſit cum Jove? ut eſt apud Comicum. Non dicam omnia. habent enim arcana ſua ejuſdẽ calamitatis ſocii. Verum illud fatebor, diſputationem nobis fuiſſe de cœlibatu & matrimonio, & utrum præſtet, innuptis eſſe, an conjugibus. Ego pro matrimonio ſteti. illa ad vexandum dogmaticum, aut quia ab Hieronymi forte lectione recens venerat, pro cœlibatu verba fecit. De primis nuptiis, à quibus non abhorruit ipſa, ſermo fuit; ne putes me viduum apud viduam pro ſecundis nuptiis dixiſſe.

HOOFD. Mihi jam libet Teſſelæ eſſe. tu tuas partes tuere. Ego tibi conjugia approbanti opponam rationes contrarias æquè probabiles, ut etiam hîc credas, nihil eſſe magis hoc, quam illud.

BARL. Si me quicquam

credere vis, jam ἀκαταληψίαν evertis.

Hoofd. Tu Conjugio colorem da, ego omnem, quà potero, detraham. non, quod matrimonia non probem, quæ magni feci ſemper, ſed ne tu credas ſine contradictionis ſpecie, quod veriſſimum eſt.

Barl. Non contradices, opinor, Deo, & naturæ totius parenti, cujus hoc mandatum eſt: *Creſcite & multiplicamini & replete terram*. addita ratione, quæ omnium ſententiarum prima & vetuſtiſſima eſt: quia *non eſt bonum, hominem eſſe ſolum*.

Hoofd. Hæc concedentis verba ſunt, non mandantis. uti in conviviis licentiam facimus, ſimili loquendi formula, convivis, non autem neceſſitate, ut edant bibantque, adſtringimus.

Barl. Omninò convivas benè ſe habentes lege adſtringimus ad edendum & bibendum. nam ſi ſecus faxint, & a cibo & potu faſtidioſe aut faſtuoſe abſtineant, peccant contra comitatis, amicitiæ, & ipſius decori leges. profectò niſi inciviles, moroſi, & ſuperciolioſi haberi velint, ac manifeſtam inhumanitatis notam incurrere, edendum ipſis ac bibendum eſt. Deinde, alia convivarum, alia primorum parentum ratio. Convivis non imperamus ſtrictè ac rigidè, quia aut ſaturi ſubinde aut minus famelici accedunt. Et invenit quiſq; domi, quod edat, quod bibat. Hîc propagatio generis humani præcipitur, quæ haberi alia ratione non potuit, quam Adami & Evæ individua conjunctione. Non fuit ergò liberum ipſis conſueſcere vel non, ſed citra prævaricationem mandati divini abſtinere neuter potuit ab amplexu. Quod ſi mandati vim habent verba iſta in primis parentibus, cur non in primò natis liberis: nec enim quos proximè Adamus genuit liberos, replendæ terræ ſufficiebant. Et cum interierint hi ipſi, neceſſum fuit, ſuperſtites illos

los adhuc damna mortis nova ſobolis procreatione reſarcire. Jam verò tempus, ſeculumq́; mihi definiri velim, quo ceperit hoc eſſe arbitrii noſtri, cum deficientibus uſque & uſque mortalibus, nullo non tempore replenda ſit terra, hominesque exigat Univerſitas, quibus, quidquid a Deo conditum eſt creaturarum, inſerviat. Nunc illud adverte, appetentiam conjugis, ſive maris ſive feminæ, omnibus ineſſe τῇ φύσει, natura. nemo ab ea alienus, niſi prava conſuetudine & exemplis corruptus. ideoque inter nationum omnium & populorum, etiam barbarorum, jura eſt, conjugis dilectio & cura. At appetitus iſte fruſtra eſſe non poteſt. quia ſecundum ipſum Ariſtotelem, Deus, natura & ars nihil fruſtra moliuntur.

HOOFD. At appetitum illum inordinatum eſſe dixerint Saturninus, & Gnoſtici & Manichæi, qui à peccato profectam illam nubendi libidinem contendebant.

BARL. Nequaquam à peccato eſt, quia integro adhuc ſtatu dictum, *Creſcite*. Vult & præcipit primus thori pater, ut homo, relicto patre & matre, uxori adhæreat, & præcipit hoc, ante violatam legem. at qui adhæreat, ſine appetitu? Hæc *virago*, inquit, *nuncupabitur*. hæc *os eſt de oſſibus meis & caro de carne mea*. quæ non niſi à ſummo amoris & complacentiæ, uti loquuntur in ſcholis, & concupiſcentiæ affectu proficiſci potuerunt. Juris naturæ eſſe illam unionem, non vitio introductam, illud evincit, quod eadem in animalibus ratione carentibus, nec legi obnoxiis locum habeat. Præterea generationis humanæ apparatus maximus, & partes utrique ſexui conceſſæ, tum occultæ tum manifeſtę, tam ſtupendo artificio diverſæ, nonne conjugii neceſſitatem clare loquuntur? Etenim inſtrumenti eſſentia in uſu poſita. nec opus ſexuum diverſitate, niſi ob mutuam copulam. Quàm improbum fuerit, ſi oculos clau-

dere velit homo pertinaciter, quos luſtrandis Dei operibus habet, obturare aures ad auditum factas, cohibere linguam, ne loquenda loquatur, inſinuatis pedibus ſedere, nec loco ſe movere velle.

HOOFD. Non omnibus omnes inſtrumentis utimur. Supellectilem vide domeſticam. pendent ad ornatum caniſtra, pelves, pocula, folles. ſtant longo ordine paropſides, patinæ, vaſa porcellana, cochlearia. jacent in cubilibus lecti, periſtromata, in quibus cubamus nunquam. quin arma ipſa ſuſpendimus ad fulgorem, enſes, ſclopeta, ſcuta, baltheos, quibus pugnavimus nunquam. Quid vetat, non ſingulis quoque homines ſingulos membris ad fines ſuos uti.

BARL. Exemplis pugnas, quæ aliquid à vitio habent, non probatis. Ego illam ſuppellectilis ſupervacuſæ ſaburram improbo. à prodigalitate illa eſt, ab oſtentatione & ſuperbia. non uti rebus ad uſum factis contra rerũ ipſarum naturam & rectam rationẽ eſt. Hinc utenſilia dicta, & pecuniæ χρήματα, ἀπὸ τῆς χρείας. Optima & perfectiſſima Diogenis ſupellex, quia non neceſſariis carebat, & neceſſariis ad neceſſitatem utebatur. Deinde, domus curam alia viliore ſupellectile exequi poſſunt matres-familias. at feriantibus ab uſu ſuo iis partibus, quas generationis humanæ adminiſtras eſſe voluit Creator, publicæ domus, hoc eſt, Univerſi cura negligitur & prorſus intercidit. Et quam illud validum & Achilleum argumentum, excidere ſine ſuo totum Univerſum, ſi deſinat generatio. at deſinet hæc, ſublata maris & feminæ ſocietate. Hominem tolle, deſinet eſſe, cui cœli & elementa, & quicquid in natura uſquam eſt rerum famulentur. Ruent inſuper familiæ, urbes, reſpublicæ, exercitus, Eccleſiæ, quæ hominum conſtant collectione & numero. Ipſæ res rationis expertes conjugii ideam præ ſe ferunt. arbor ar-

borem, frutex fruticem amplectitur. horrent à ſolitudine feræ. cum leone leæna, cum lupo lupa, cum ovibus dux gregis aries ambulat.

Hoofd. Erunt plus ſatis, qui iſtas generandi partes obibunt, & proſpicient alii, ne non ſint, qui imperent, pugnent, habitent. Et nimis fortè immortalitati ſexus utriuſque ſtudemus, cum ſpecies pauciſſimis individuis conſervari poſſit. Quin vagis congreſſibus, iſtis malis obviam iri poſſe dixerint terræ filii, & nuptiarum hoſtes. neque moveri ſe irrationalium exemplis, cum de hominis officio agitur.

Barl. Id quod tu alios facturos dicis, cur non facias ipſe? etiam tibi dictum, *reple terram.* Vir es, non in tui gratiam, ſed feminæ, ſicuti hæc femina in viri uſum. Fac ſingulis eam allubere ſententiam, quæ placet quibuſdam; arbitrarium eſſe conjugium, nonne actum de homine? quid enim vetat, ſingulos non velle, quod non vis tu? poteſt non velle quilibet, quod quiſquam, præſertim cum pari jure vel mares vel feminæ ſimus, & naturæ beneficio conjugio apti. De frigidis & ad Venerem ineptis non loquor. Vagis libidinibus mortalitati ſuccurri poſſe concedo, ſed contra mandatum Dei. replenda terra eſt, ſed hac lege, ut quiſq; vir adhæreat *uxori*, non liberæ; & uxori *ſuæ*, non pluribus. Quin multò melius tutiuſq; propagationi generis humani ſtudetur, legitima congreſſione. at optimum quodque vitæ regula ſit oportet. Conjugum alter alteri ſtudet, proſpicitq; & ne quid incommodi patiatur, impenſe cavet. Certior proles è conjugio ſperatur, quam promiſcua virorum admiſſione. Et quam contra naturam, ſuſcipi prolem ex nobis, & terris oſtendi, quæ de patre ſuo ambigat. etenim, dum per proſtituta corpora vagatur hic, vagatur & alius. unde fit, ut, *verſiculos faciat hic, ferat alter honorem.* Et quid inhumanius,

us, quam negligi prolis è ſanguine noſtro nati educationem? excludi à bonorum noſtrorum hæreditate partem noſtri, ſanguinem noſtrum? quid barbarum magis & plus quam belluinũ? vitam iis dare, quibus juſtam alimoniam negamus: velle, ut ſint, ſed in ſpem eſuritionis; arceſſere in mundum liberos, ut miſeri ſint, & ſpreti contemtiq; ac malè habiti malè pereant.

Hoofd. His malis concubinatu obviam iri aiunt, quibus grave eſt conjugiũ.

Barl. Concubinatus cur placeat, quibus conjugis nomen inviſum, neſcio. niſi ut & concubinam & ex ea ſuſceptam ſobolem minus ament, minus curent; cum juris nati, non ſcripti ſit, matris & liberorum amor ſummus. Uni viro jungitur concubina, ſed ita, ut dimitti ad lubitum poſſit, cum ex primæva lege *adhærere* vir uxori & uxor viro debeat. liberos eadem gignit, ſed abſque hæreditatis ſpe, cum parentes theſauriſent liberis, & recta ratio dictet, eoſdem, quos in communionem ſanguinis admittimus, in communionẽ bonorum quoque admitti debere. Et quam illud eſt remiſſi animi & timentis virtutem, illi uxoris honeſtam appellationem invidere, à qua uxoria officia deferri nobis patimur. Quæ à feris irrationalibus petita fuit probatio, non à ſimili ſolum, ſed à minori ad majus procedit, hoc modo: Si intereſt univerſi, matrimonii ſpecie jungi & uniri animalia ἄλογα; magis intererit, ſic uniri homines, quorum majus in mundo precium & dignitas. Sed & illud pro conjugio facit, quod ſanctiſſimi Deumq; timentes viri, jam inde ab ipſo mundi exordio, continua temporum ſerie, uxores duxerint, patriarchæ, prophetæ, apoſtoli; quod nuptias præſentia ſua & miraculo illuſtraverit Dei filius: quod conjugii laudes à promiſſione, benedictone, liberorum corona, & fecunditate commendet Scriptura: ſterilitatem conjugibus improbis mi-

minetur: quod idem factitaverint gentiles, ſine intermiſſione, cujuſcunque tandem fuerint gentis vel ſoli. Notæ Romanorum leges in cœlibes, & conjugum prærogativæ, prẹſertim quibus patris nomē obtigiſſet, & foribus ſuſpenſa fuit corona. Certè, violati matrimonii ſevera vindicatio ejuſdem ſanctitatem evincit. etiam pœna capitis, qua ab Hebræis, Græcis & Romanis in adulteros animadverſum fuit.

Hoofd. Argumentatio ab exemplis plus momenti habet ad perſuadendum, quam roboris ad probandum. Poſſum ego tot philogamis opponere miſogamos, calidis frigidos, inſipientibus ſapientes, incontinentibus continentes. Legum verò & conſuetudinum in hoc argumento tanta varietas, ut non natura, ſed lege ſolum poſitâ & conſuetudine res iſta conſtare videatur. Mulieres proſtitui apud nos quidem turpe ac probroſum, at verò apud plurimos Ægyptiorum olim honorabile. quam ob cauſam, quæ cum pluribus congrediebantur, periſphyrium pro ornamento & gloriæ ſigno geſtabant. quin etiam apud eorum quoſdam puellæ ante nuptias dotem ex arte meretricia colligebant, deinde nubebant. Stoicos audimus dicentes, à ratione non abhorrere, cum meretrice congredi, aut meretricio queſtu victitare. Ad hæc, apud nos lex adulteros punit, at apud gentium nonnullas, inquit Empiricus, cum aliorum uxoribus rem habere, indifferens eſt. quod & philoſophis quibuſdam probari ait.

Barl. Jam verè Scepticus es & cum Academia nova loqueris. Verum potentiſſima illa argumentandi ratio eſt, qua univerſalis propoſitionis veritas omnium exemplorū & ſingularium collectione comprobatur. Iſta ſiquidem naturæ lege, qua ſociam poſcimus, omnes & ſinguli ducimur ac trahimur. Si miſogami fuere & ſunt, aut naturæ vitio tales ſunt, ob impotentiam vi-

virilem; aut ob ſcortandi & vagas libidines ſectandi malum morem, quo fractæ vires conjugio impares ſunt: aut propoſiti pertinacia. Et hi quidem pauciſſimi ſunt, cum nubentium & ducentium uxores numerus infinitus ſit, ac ſine numero. Hanc autem matrimonii legem non eſſe ab hominum ſpeciali inſtituto, aut ſola conſuetudine, ex eo clarum fit, quod apud gentes omnes populoſque ex æquo nulla conventione & pacto ultro recepta ſit: quod à Dei, naturæ ordinem inſtituentis, voluntate primo profecta: quod immutabilis eadẽ ſit, nec ullius Principis autoritate ſe abrogari patiatur; denique, quod non ad privatam hujus vel illius populi, ſed totius generis humani ſalutem conſervationemq́; ordinetur. Si qui damnent & ab ea abhorreant, in iis exſtincta peccandi conſuetudine rectæ rationis ſemina arbitror. pervertitur quippe judicium intemperantiore vita, quæ in partes ſuas rationem pertrahit, & patrocinium quærit ac invenit vitio, eaq́; animoſius propugnat, quæ impenſius ſequi amat. ideo non magis ſuper hac quæſtione audiendi ſunt tales quam cæci, ubi de coloribus, aut ſurdi, cum de ſonis concentibuſq́; diſputatio eſt.

HOOFD. At, quid ſi illi te ſecus judicantem, cæcum dicant?

BARL. Per me licet dicant, dummodo illi & meo & reliquorũ omnium mortalium, & inter hos ſapientiſſimorum & ſanctiſſimorum judicio mali habeantur, & habiti fuerint ſemper. pertinacibus & improbis diſſentiendi ac contradicendi fiduciam eripere, nec poteſt dogmaticus, nec vult ipſe Deus. Certè, cum tot legibus civilibus & ad privatam reip. utilitatem comparatis, diſcrepent gentes, hæc conjugii lex omnium eſt. nec eximi ullam puto, niſi ubi ratio juſque omne exulat & periit pudor.

HOOFD. Virtuti, inquiunt, magis parendum eſſe, quam naturæ. à voluptatibus

bus abſtinere virtutis eſt, iiſdem obſequi, lenocinantis ſibi naturæ.

Barl. At in qua ſchola didicere illi, omnem voluptatis contemptum virtutem eſſe. non repugnat virtus naturæ, ſed conveniens eſt, cum nihil aliud illa ſit, quàm moderatrix naturæ. Virtutes ſecundũ naturam ſunt, vitia contra. Et ſecundum Stoicos ipſos rectè vivere, eſt naturæ ductum ſequi moderante ratione. At quid tam naturæ benè conſtitutæ conveniens, quàm conjuge ſana frui & ſoſpite, quæ marito præſto eſt ad omne obſequium, quam in latebris & proſtibulis quærere non eſt neceſſe, quæq; viro fœderis initi ſacroſancto jure, non turpis ſordidiq; quæſtus ſpe copiam ſui facit. Nunc & illud cogita, nihil jucundius gratiuſque eſſe ac delectabilius viro, quàm uxori convivere, cum qua & thalami communionem habeas & quotidiani ſermonis, cui omnia credas, cui animi ſecreta pandas, totum te aperias, quæ te ſe, ſe te putet, cui tua ſua, & ſua tua ſunt. ab aliis, quotquot habemus amicis, prandio, cœna, nocte, die dividimur. à conjuge nunquam. amicus, hoc quod eſſe videtur, frequenter ſimulat. conjux, niſi peſſima ſit, amorem ſimulare neſcit, cum conjugem magis, quam patrem, matrem, fratrem, ſororem, cognatoſq; amet. Si opulentus es, ſi cenſu turgent æraria, habes, quæ pro loculis & nummulorũ cuſtodia vigilet. Sin pauper, tecum de profliganda paupertate cogitat. Si mediocris eſt ſors, auream tecum mediocritatem diligit. rebus ſecundis non gaudes ſolus, nec adverſis doles ſolus. Exeuntem dimittit oſculo, morantem redire, expectat cum deſiderio, reverſo arridet, & adblanditur. Sedes? ſedet a latere. ſtas? juxta adſtes eſt. decumbis? honeſtiſſimo titulo concumbit. Edenti ac bibenti ſuaviter benedicit, ægrotum fovet, curat, reficit. juveni adhuc in deliciis eſt, ſeni auxilio. Et quid durius, aut ab omni humani-

manitate alienius, quam Timonis inſtar fugere congreſſus belliſſimæ honeſtiſſimæq; conjugis? Hanc ob cauſam finguntur à Poëtis Gigantes improbo conſilio cœlum affectaviſſe, quod à mulierum in terris connubiis abhorrerent homines barbari & agreſtes. Nec aliud ſibi vult Orphei fabula, uxorē ab inferis revocantis, & facundia ſua feras lenientis, quàm virum ſapientiſſimum juxta & diſertiſſimū à vago concubitu deterruiſſe efferos Thraces. Nec ulla voluptas conjugii voluptatibus acrior incitatiorq;,ita ſapienter decernente Deo, ne ſegniter curam propagandi generis humani haberet quiſque. Univerſi aſſertor ſit oportet, qui univerſi civis eſt. publico ſtudere fas eſt, qui in publica commoda venit. degener incola mundi eſt, qui ſine ſucceſſore abit. Voluptatis ſtimulum ſubdidit generationi Deus, ut quanto majus eſt ſupereſſe ſpeciem,quam Petrum vel Johannem, tanto majore voluptatis incitamento moveremur ad illius tutelam. Quam inſuper illud jucundum & ſuave, videre liberos pendentes ab ubere matris, patriis ulnis geſtari, parvum *Honoriadem* genibus *conſidere avitis*, reptare per mutua parentum oſcula,& modo patrem,modo matrem ore referre,mox riſu hos ipſos agnoſcere,nec paſſibus æquis ſequi, pedes ad itionem librare, vacillare inter genitorum amplexus, balbutire & afflictis verbis loqui. Quàm inſuper glorioſum, imperare multis, conjugi, liberis, ſervis; quàm honorificum amari & coli à pluribus,quos obnoxios habes, creſcere per nos fratrum, ſororum affinium turbam, naſci de nobis & natos natorum & qui naſcuntur ab illis; longioris nos genealogiæ vel capita eſſe, vel ſurculos. Hinc regius propheta thori fecunditatem humanæ beatitudinis partem facit. *Vxor tua*, inquit, *ſicut vitis abundans, filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ.* Magnus ſemper honos habitus

bitus conjugio. Apud Adrianum Imperatorem cauſam vicit Albinus, ob hoc, quod Remp. numeroſa prole auxiſſet. Et apud Poëtarum turbam, tanta conjugii dignitas, ut Deos Deaſq́; hoc vinculo conſtringant, Jovi ſuam jungant Junonē, Vulcano Venerem; Neptuno Tethyn, Plutoni Proſerpinam. Quin & Stoici, adamantina illa pectora, voluptatem hanc minimè aſpernantur, licet ſedulo diſſimulent, & mille convitiis apud vulgus dilacerent, fortè, ut, deterritis aliis, ipſi ſoli fruantur.

HOOFD. Miror te voluptatis argumento theſin tuam διαφυλάττειν. Si benè memini, non vult Ariſtoteles voluptatis cauſa quidquam agere virum bonum. Et quid? nonne voluptas iſta nobis communis cum brutis? nonne in feris ardentior, quàm in homine? Et quod tu voluptatem, alius moleſtiam interpretabitur, nempe, imperare multis, plurium liberorum curam gerere. quin amant ſæpenumerò fidelius, quos feceris filios doctrina, educatione, quàm quos genueris.

BARL. Non volo nos moveri voluptate, quæ ab honeſtate ſeparata ſit; nec voluptate, ut fine, ſed ut comite individuò actionis perfectiſſimę. nec propterea vileſcit generationis ſtudium, quia cum brutis id commune habemus. nam uti minoris eſt momenti genuiſſe leonem, equum, canem, ita maximi, genuiſſe cum voluptate hominem, Dei imaginē, mundi rectorem, ſummi numinis cultorem. Nec eſt moleſtum imperare multis illi, qui ſecundum leges imperat, qui imperandi artes didicit, & hanc partem imaginis divinæ eſſe obſervat, jus pluribus dicere. Degeneres ſubinde liberos parentum cultum amorem & reverentiam exuere, educantium ſæpe culpa fit, aut liberorum vitio, non matrimonii. Nunc experiar novi argumenti vim, quæ ab immortalitatis amore ducitur. Amat quæq́; res eſſe ſemper, ideò in ea fertur

quæ convenientia ſibi ſunt, fugit adverſa & noxia. vellemus & nos eſſe ſemper, & quoad fieri poteſt, longum vivere. at ut perennemus & ſemper ſimus, per naturam non licet, ob caloris nativi defectum humidiq; penuriam. Hoc ergo immortalitatis præſidio, quod à quotidiana nutritione petitur, depulſi, hoc agendum cunctis, ut ſalva ſtet hominum familia & appellatio. quæ cauſa ſola fuit, quod filiæ temulenti patris inceſto concubitu ſe polluere maluerint, quam pati, ut genus humanum intercideret. Et quid iniquius, quam ſinere, ut virtutis noſtræ memoria exoleſcat apud poſteros? cujus rei gratia animam eſſe immortalem contendit Cicero. & in felicitatis noſtræ poſt obitũ parte ponit Ariſtoteles, benè de nobis ſentire & loqui nepotes. Quare, nihil ego nocentius cœlibatu, certiſſima hominum clade & peſte eſſe arbitror. Etenim per hunc, nec erunt qui meminiſſe parentũ poterunt, nec habebit Dido quod exclamet, *Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor*, nec ille apud Maronem dixerit Aſcanio, *Et te animo repetentem exempla tuorum, Et pater Æneas & avunculus excitet Hector.* Mille morbis & malis petimur, ſingula in necem noſtram conſpirant elementa, inter mortis cauſas ambulamus, lethi ac fati materiam mandimus & deglutimus. Et cœlibatum quis mihi ſuadeat, conjugium aſpernetur? Non eſt ſpes, ne homines ex formicis Myrmidonum more naſcantur, aut è rore, uti cicadæ, aut è jactis poſt terga lapidibus, aut ſparſis per agrum dentibus, uti Deucalioni, Pyrrhæ & Cadmo evenit. Si tibi licet cœlibi eſſe, cur non & alteri? Si ſingulis, deſinent etiam tandem eſſe cœlibes, & qui matrimonio contradicent.

HOOFD. At non quemlibet agrum, quantumvis fertilem, excoli neceſſe eſt. alium negligimus, alium paſcendis oculis ſolum, aut deambulationi aut habitationi ſervamus.

Barl. Qui agrum natura feracem negligit, inſipienti quam ſapienti vicinior eſt. & puniuntur per leges, qui agros fecundos ſine cultura relinquunt. Paſcendis oculis qui ſervant, aut, ad amœnioreē deambulationem, arbores in agris in quincuncē diſponunt, porticus ex omni arborūm etiam fructiferarū genere concinnant. Sed tunc & germinant illæ & fructus ferunt, aut ſemina ad ſimilium generationem apta. Tectis, prædiis, ad habitationis uſum, partem terrę occupari, ipſa neceſſitas ſuadet. nec enim vivere poteſt homo, nec convivere uxori, nec familiam alere, niſi lare ſuo & tecto tutus ſit.

Hoofd. Mutemus jam clypeos. hactenus tu pro conjugio ſtetiſti & diſputaſti. Jam patere, ut in te ac dogma tuum inſurgam, iis rationibus, quibus impeti conjugii neceſſitas à miſogamis ſolet. Pugnabas modo ſcripturis & autoritate ſanctorum. Sed nec mihi perdifficile eſt divinam vocem, & exempla piorum allegare. Nonne gentium Apoſtolus diſertè ait? *Bonum eſt mulierem non tangere. Et volo omnes eſſe, ſicut ego ſum*. & rurſum: *Dico autem nuptis & viduis, Bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego*. & inſuper; *volo vos ſine ſollicitudine eſſe. qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori*. Nonne cœlibem vitam prætulerunt Apoſtoli, & alios ad cœlibatum hortati ſunt? Nonne beatos pronunciat Chriſtus, qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum? Nonne divina res eſt habitus cœlibatus & Angelica virginitas? Patres lege. ſcatent ipſorum ſcripta virginum & virginitatis encomiis. *Major eſt*, inquit Ambroſius, *victoria virginum, quam Angelorum. Angeli enim ſine carne, Virgines in carne triumphant*, & Cyprianus *Virginitatem reginam virtutum, ſororem angelorum, victoriam libidinum* vocat.

Barl. Diſtingue tempora

pora & conciliabis ſcripturas. temporis ſui ſtatum reſpicit Apoſtolus, quo afflictiſſimę erant Chriſtianorum res, ideoq; commodum judicat ab uxorum commercio temperare, quo magis liberum eſſet Evangelico negotio & bonæ menti vacare. quantum enim uxoriis curis ſtudii additur, tantum rebus ſacris deciditur. Adhæc loquitur de iis, quibus continentię donum obtigit. De non continentibus ſe, ait: *quod ſi non continent, nubant. melius enim eſt nubere, quàm uri.* &: *qui matrimonio jungit virginem, benè facit.* Hoc fine exemplum ſuum allegat. continere ſe poterat Paulus, & ſe animo totum devoverat Chriſti ſtudio. Inter Apoſtolos alii uxores habuere, alii non. prout corporum & animorum varietas ferebat. Nec enim pares omnibus ſunt conceſſæ dotes. Chriſti quoque dictum de caſtratis, ad ea tempora reſtringi debet, quibus oportebat Eccleſiaſten ab omnibus mundi negotiis eſſe immunem. quam quã & is ſe caſtrat, qui caſtè ſanctèq; colit conjugii munus. Et cum beatos illos pronunciat, qui ſe caſtraſſent propter regnum Dei, non reiicit illos, qui jure conjugii piè moderateq; uterentur. Inter Patres vehementius Hieronymus in conjuges invehitur. quam ob cauſam ab aliis Epiſcopis ad palinodiam invitatus eſt. Virginitatem laudat, ut non multum abſit à contumelia matrimonii a Deo inſtituti, à Chriſto & Apoſtolis probati laudatiq;. Rectius Auguſtinus, *melius eſt humile conjugium, quàm ſuperba virginitas.* Divina res eſt cœlibatus, angelica, virginitas, quatenus nec Deus nec Angelus conjuges eſſe poſſunt. Deus, quia unus eſt. Angelus, quia corruptionis expers. At divina res conjugium eſt, quia divina benedictione & inſtitutione ſanctum. Angelica res virginitas, modo naturę & honeſto amori bellum non indicat, aut in Sathanę laqueos incidat, aut iis ſe contaminet vitiis, quæ non niſi matrimonio

monio caveri poſſunt. quin & humana res eſt conjugium, quia ab hominum condicione, à maris & feminæ diverſo ſexu minimè alienum.

HOOFD. Ut ut omnia illa concedam de bona conjuge, ſed quid ſi mala contingat?

BARL. Proſpiciendum ſingulis, ne malam ducant. Deum oret quiſq;, ne talem nanciſcatur. quin & ſedulo curet, ne malam faciat. *Domus & divitiæ à parentibus*, ait Salomon, *à Domino autem uxor prudens*. Non abſtinendum à cibo & potu, quia malo & affecto ſæpe utimur. Conjugum iſta malities vitium eſt, non conjugii, accuſantur uxores, & peccamus imprudentia, zelotypia, moroſitate, mariti. cum imbecilliore ſexu contendimus pertinacius, ac ſi glorioſum eſſet de muliere triumphare. cui confeſſionem erroris extorquere, laterem eſt lavare. Si in liticulam à bile pertracta eſt, tace, aut abi. ventorum ſtrepitus audimus, nec indignamur. Subducit navem decumanis fluctibus levi flexu prudens navita. primis conjugis vitiis obviam î, eaq; tolle vel fer. qui tollit, commodiorem præſtat, qui fert, ſeſe meliorem facit. Si amantior tui eſt, pluſculum obſequere & obſecunda honeſta volenti. Si loquacior, dic facundam eſſe. Si avara, tu parſimoniam interpretare, & liberalitate caſtiga avaritiam. Si prodiga, dic liberalem eſſe, ſed nummos minus largè annumera.

HOOFD. At quid ſi res adverſæ ingruant, ſi minus domi tinniat arcula? hui, quanta tempeſtas, quæ turbæ, quæ inquietudo!

BARL. Paupertati occurrere muneris virorũ eſt. & ferre querulam uxorem virile & maſculum. Cynicam philoſophiam tunc profitere. & togam, peram, bacillum, fabaſque & legumina ſapientis opes prædica. Cratis & Hipparchiæ conjugium obiice. Doce, multa petentibus deeſſe multa: Benè eſſe illis, quibus dederit Deus *Parca, quod*

ſatis eſt, manu. non eſſe paupertatem,quæ læta ſit: inopiam honeſtam potiorem eſſe opibus improbis.

Hoofd. Pauperem alere difficile eſt, divitem ferre tormentum.

Barl. Pauperem alere miſericordiæ eſt, divitem ferre fortitudinis. Maluit Pericles; duobus filiam ambientibus, divite altero & imperito, paupere altero & ſtudioſo, pauperi illam elorare, inquiens, illum qui dives feri poſſet, præſtare illi, qui jam eſſet.

Hoofd. At γνώμιας iſtas non capit egena mater.

Barl. Capiet, ſi tu inculcare perſeveres. interim, hoc ſedulo curandum maritis, ne gnomis iſtis ſit opus.

Hoofd. At horreo,cum exempla peſſimarum mulierum & uxorum vetera recentiaque revolvo, quæ maritis, familiis, regnis fatales & pernicioſæ fuerunt.

Barl. Exhilaror ego, cum exempla optimarum cogito, quæ maritis, familiis imperiisq; laudi ac gloriæ fuerunt: Solvitur exemplum exemplo. & plus valoris habent virtutum exempla ad commendationem copulæ conjugalis, quàm vitiorum ad earundem contemptum. Agari oppono Saram, & Rebeccam, Potipharis uxori Suſannam, Dalidæ Juditham, Jezabeli, Eſtheram, Deboram, Jaëlem. Xantippæ oppono Eurydicen Orphei, Circæ Penelopen & Andromachen, Clytemneſtræ Didonem Sichæi, Danaidibus Alceſtim conjugẽ optimam & Veturiam Coriolani, Semiramidi Artemiſiam & Erſiliam Romuli, Roſimundæ Alboini conjugi Porciam Bruti & Sophoniſbam, Laodicę Antiochi regis uxori, Helenam Conſtantini matrem, Agrippinæ Claudii Hypſicrateam Mithridatis & Placidiam, Tulliæ Lucretiam & Zenobiam, Lucillæ Antonini Veri Arriam Pæti & Plotinam Trajani. Pro ſingulis malis geminas repono bonas, & optimæ notæ, ut meliorum

majo-

majorem ſcias eſſe copiam, quàm malarum.

HOOFD. Non incubuiſſent imperio Romano portenta illa feralia, Caligula, Nero, Commodus, Baſſianus, ſi aut nullas aut ſteriles habuiſſent uxores, hos qui genuerunt.

BARL. Et jam pridem concidiſſet idem illud imperium, niſi Pompilios, Brutos, Horatios, Scipiones, Fabios, Catones edidiſſent generoſiſſime matres.

HOOFD. At rara avis in terris mulier proba.

BARL. Convitiantis illa muliebri ordini vox eſt, non à vero profecta. Singuli de filiarū educatione impenſius ſolliciti ſimus, & rara avis in terris erit mulier mala.

HOOFD. Ciceronis illud, vel Petronii, vel potius Porphyrii poëtæ ſub Conſtantino exulantis diſtichon celebre legiſti:

Femina nulla bona eſt, vel ſi bona contigit ulla,
Neſcio quo fato res mala facta bona eſt.

BARL. Cothurnus eſt, quem ſic inflecto:

Femina nulla mala eſt, vel ſi mala contigit ulla,
Neſcio quo fato res bona facta mala eſt.

HOOFD. Sed quā grande Libertatis precium, cujus nomen dulce & res dulciſſima. Si uxorem duxiſti, libertatem amiſiſti, imperium dote vendidiſti. minus es arbitrii tui, alteri mancipatus. nec ſervitutē hanc effugere potes, niſi cum morte. cœlebs nullius mandato dormit, nullius vigilat. ſui juris eſt, & domi ſuę verè αὐτεξούσιος & rex.

BARL. Comicorum, Satyricorum ſententias audio. vagæ libidines non libertatis, ſed ingloriæ ſervitutis nomina ſunt. non eſt liber, quem cupiditas ſua ſcortis alligat. plus ſervile eſt, meretricibus cū infamia, quàm pudicæ conjugi, integra fama, adblandiri. liberat ſe fœdis voluptatibus, qui ſe uni thoro devovet. Vera libertas eſt, Deo, rationi, legibus paruiſſe. Si ſervile conjugium, profectò ſuaviſſima ea eſt ſervitus, è qua conjugum neuter manumit-

ti cupiat. quam ſtabilem ambo perpetuamq́; eſſe volunt. de ea Horatius: *Felices ter & ampliùs, Quos irrupta tenet copula, nec malis Divulſus querimoniis Suprema citius ſolvet amor die.*

HOOFD. At mortalis eſt uxor,& dolore nos angit,vel ob hoc, quod moritura ſit.

BARL. Præſtat felices nos fuiſſe ſemel & ad tempus, quam nunquam. non debet mortalitas angere ſapientem, qui hac condicione ſe natum didicit, ut moriatur aliquando.

HOOFD. Etiam, quæ ex voto quàm maximè ſuccedunt, matrimoniis, incommoda ſunt: major & perpetua rei domeſticæ cura, ſtudium rerum augendarum, adipiſcendi honores, ad quæ nos impellit conjugis fecunditas & liberorum indigentia.

BARL. In Utopia nos vivere vis? & vitam fingere, quæ incommodis careat? nullas me res curare cupis? ut Deo felicior ſim, qui curat omnia? non eſt anima homini pro ſale data, ne putreſcat. agendum aliquid iis, quibus χλωρὸν γόνυ. quare expetenda uxor, ut habeas. Orbus eris ſemper & habebis nunquã, ſi nuptias fugias. aut habere non vis, ne careas? odi ergo vitam, ne moriaris, aut ea careas.

HOOFD. Poſſet pulchra haberi,& juxtà malæ famæ.

BARL. Non ſapit, qui uxorem oculis tantum, non etiam auribus duxerit.

HOOFD. Tritum illud Biantis: Si pulchram duxeris, habebis κοινὴν communem. Si deformem, ποινὴν pœnam.

BARL. Si honeſtã duxeris, non erit pulchra communis. Si honeſtus tu, non erit deformis pœna. Si pulchram duxeris,non erit pœna: ſi deformen, non habebis communem. præterquam quod mediæ formæ uxor placere poſſit ſapienti.

HOOFD. Si doctam duxeris aut nobilem, contemnet te: ſi indoctam & ignobilem, contemnetur à te.

Si

Si doctam, habes domi Peripatum aut Stoam, in qua perpetuo, Præſide uxore, diſputes. Si indoctam & imperitam, habes quam erudias, expolias, formes perpetuo. Si doctam, obiiciet tibi aliquis Juvenalis illud:

Non habeat matrona tibi quæ juncta tenebit
Dicendi genus, aut curtum ſermone rotato
Torqueat enthymema atque hiſtorias ſciat omnes.

Si inſipientem, obiiciet tibi aliquis illud Salomonis: *Mulier inſipiens deſtruit domum, ſapiens ædificat.*

BARL. Si doctam ducis, hoc age, ut ſis doctior; ſi nobilem, virtutum tu nobilitate illam tranſcende. Si indoctam & ignobilem, Satyrici exemplo animũ firma:

Malo Venuſinam, quam te Cornelia, mater
Gracchorum, magnis quæ cum virtutibus adfers
Grande ſupercilium, & numeras pro dote triumphos.

HOOFD. Cicero rogatus ab Hirtio, ut poſt Terentiæ repudium ſororem ejus duceret, negavit, dicens ſe non poſſe uxori ſimul & philoſophiæ operam dare.

BARL. At Menedemus rogatus, num Sapienti ducenda ſit uxor? Non ego, inquit, videor tibi ſapiens? quum annuiſſet, uxorem, inquit, duxi. & tu, Hoofdî, uxori vacas, & ſimul ſcribendis belli Belgici annalibus. quin imo ejus ſum ſententiæ, aptiores eſſe ſtudiis conjugatos, quàm cœlibes. cum illi de re domeſtica minus, hi magis ſolliciti ſint. nec enim habent, in quam curam hanc tutò reiiciant.

HOOFD. Aut placebit uxor parva, aut magna. Si parva, metus erit, ne compreſſius mala ſit. ſi magna, metus erit, ne robuſtiori vapules.

BARL. Cum parva placebit, grandes virtutes ſpera; cum magna, minus malam crede, cum vis mali diſperſa debilior ſit.

HOOFD. Juveni nondum ajunt ducendam uxorem, ſeni nunquam.

BARL. Juveni ducenda uxor ad voluptatem, ſeni ad com-

commoditatē & ſolatium. Juvenis cave vetulam ducas, ſenex cave juvenculam ducas. vel duc uxorem vir, qui juvenis fuiſti, & ſenex nondum es.

HOOFD. Phoroneus legiſlator moriens fratri dixiſſe fertur: Nihil mihi ad ſumman voluptatem defuiſſet, frater, ſi uxor defuiſſet.

BARL. Forte malam habuit. ſi bonam, non fuit vir bonus Phoroneus.

HOOFD. Protagoras rogatus ob quam cauſam filiam dediſſet inimico nuptam, reſpondit, quia nihil illi poteram dare deterius.

BARL. At ego illud Arbitri oppono: nihil eſſe, quod homo maſculus libentius adſpiciat, quàm bellam uxorē. aut ergo, quod belliſſimū deterrimū eſt, aut Protagoras pſeudagoras fuit.

HOOFD. Epaminondas rogatus quidnam utilitatis caperet vir innuptus, reſpondit, pro patria mori non dubitare.

BARL. At ego, ſalva pace Epaminondæ, rogatus, quid utilitatis caperet vir conjux, reſponderem, pro generis humani ſalute vivere & virum ſe præſtare.

HOOFD. Quia magnum apud te eſt precium poëtarum, qui cum Appolline è tripode loquuntur, eorum in conjuges maledicta referam. Apud Juvenalem legi: *mulier ſæviſſima tunc eſt, Cum ſtimulos odio pudor admovet.*

BARL. An non ſuavius? *mulier blandiſſima tunc eſt, Cum ſtimulos thalamo vir ſubdit, & inter amantum Vivitur amplexus, iræque, minæque faceſſunt.*

HOOFD. Senecam audi: *Sed dux malorum femina & ſcelerum artifex Obſedit animos.*

BARL. Claudianum audi: *Naſcitur ad fructum mulier, prolemque futuram.*

HOOFD. Quam illud Horatii Emphaticum!

Sic tibi Penelope frugi eſt. quæ ſi ſemel uno
De ſene guſtarit, tecum partita lucellum,
Vt canis à corio nunquam abſterrebitur uncto.

Et quàm illud tritum! *caſta eſt, quam nemo rogavit.*

BARL. Quam illud verum! *Hæc caſta eſt, de qua*

mentiri fama veretur.

HOOFD. *Semper habet lites alternaque jurgia lectus, In quo nupta jacet. minimum dormitur in illo.*

BARL. Sic retorqueo:

Semper habet riſus alternaque gaudia lectus,
In quo nupta jacet. multum dormitur in illo,
Nec queritur ſatiatus amor.

HOOFD. Iterum ad Juvenalem provoco:

Si verum excutias, facies, non uxor amatur.

BARL. Et ego ad Senecam in Octavia provoco:

Probitas fideſq; conjugis, mores, pudor,
Placeant marito.

HOOFD. Contra uxores pronunciat Naſo:

Cumq; feſellit amans aliqua novitate maritum,
Plauditur, & magno palma favore datur.

BARL. At pro uxoribus Plautus in Sticho: *Pudicitia eſt, pater, eos magnificare, qui nos ſocias ſumſerunt ſibi.*

HOOFD. *O quam cruentus feminas ſtimulat dolor,*
Cum patuit una pellici & nuptæ domus!

BARL. Juſtiſſimus iſte dolor eſt. ſed contra:

Exemplo junctæ tibi ſint in amore columbæ,
Maſculus & totum femina conjugium.

HOOFD. Nec minus Græcorum aculeis punguntur conjuges. γυνὴ, inquit aliquis, τὸ οἰκῶ. πῆμα. *Iactura mulier eſt domus.*

BARL. Mutilum ſenarium profers. additur, καὶ σωτηρία. *quin & ſalus.*

HOOFD. Θάλασσα, καὶ πῦρ, καὶ γυνὴ κακὰ τρία. *Ignis, profundum, feminæ, tria ſunt mala.*

BARL. In media editione legitur: Θάλασσα, καὶ πῦρ καὶ γυνὴ καλὰ τρία. *Ignis, profundum, feminæ, tria pulchra ſunt. Felix,* inquit Propertius,

Admeti conjux & lectus Vlyſſis,
Et quæcunque viri femina limen habet.

HOOFD.

Hoofd. Redeo ad dilemmata mea, ut potentius diſputem. Aut fecundam duces, aut ſterilem. Si fecundam, quantam ibi miſeriam videbis, nati filii, natæ filiæ alia cura. Si ſterilem, ſimplici ſarcinula gravaris, & infenſam ſibi Lucinam queritur uxor.

Barl. Si fecundam, benedictione divina impleris. Si ſterilem, obſequioſam habebis & humilem. Sterilis flet & tacet. Meminiſti ne uxoris Helcanæ?

Hoofd. Aut pudicam nanciſceris, aut impudicam. Si pudicam, metues, ut non ſemper talis maneat. Si impudicam, populi fabula es, & uxorem non tibi, ſed alteri habes.

Barl. Si pudica conjux eſt, ſtude, ut talis ſit ſemper. Erit, ſi ab ocio ſibi caveat, à ſpectaculis, à virorum cœtibus, à choreis & Sibariticis menſis; ſi domeſticas curas obiicias, penſa, colum, acus, telam, & quicquid feminei eſt operis. Si impudicam, ſile, vel fuge, vel ulciſcere.

Hoofd. Aut facunda continget, aut ſilentiaria. Si facunda, videbitur marito infantiam exprobrare; ſi ſilentiaria, ſuam profiteri.

Barl. Si facunda, videbitur à viro facundiam illam didiciſſe; ſi ſilentiaria, videbitur modeſta, & viro loquendi gloriam parteſq; dudum conceſſiſſe.

Hoofd. Ecce ſupervenit diſputationi noſtræ, prolixæ nimis, uxor. Silendum ſuadeo. Nec enim expedit matronas ſcire, quàm ſint ἀμφισβητȣ́μενα, quæ illæ principia autumant.

Barl. Nec expedit conjugem tuam ſcire, te pro pejore parte ſtetiſſe, & multa in conjuges feminas, & conjugii ſuaviſſimam copulam, qua ſola vigent & valent, dixiſſe.

Hoofd. Dialecticũ egi, ut contradiceres tu. Secus tantus ſum conjugii cultor & antiſtes, ut ad ſecundas nuptias feliciſſimis auſpiciis tranſierim; cum tu hæſites adhuc & fluctues dubius, an ſecundis nuptiis pœnitere ſuſtineas, an gaudere.

DIA-

DIALOGVS DE POLYGAMIA.

Collocutores,

BARLÆVS, SINAPIVS.

BARLÆVS.

VNde tu nobis, Sinapi? plane enim viatorem refers & peregrè adventare videris. Faciem Borealem candidamq; aduſſit Sol. Pileum tibi, quale Baiazetho olim & Solymanno fuit. mentum imberbe prorſus, at labrum ſuperius, extenſis hinc inde capillorum apicibus, minaciſſimum eſt. latus enſe falcato & acinace ſtrinxiſti. totus Aſiaticus es.

SINAP. Venio è Turcia, Barlæe, jam jam exſcendi.

BARL. Ita videtur. nam nauteam oles, & picem. Si placet, deflectamus in iſtam Solis domum, ubi hederam foribus ſuſpenſam vides. Vixiſti inter Lunaticos homines, quibus pro inſigni Luna eſt. Commodum hic ſe offert diverticulum ſub inſigni Solis. Gaudet fratri Phœbo, poſt longiorem abſentiam, jungi Luna.

SINAP. Subeamus. valde enim deſidero de cocta Cerere bibere, quæ apud Syros & ad portam Ottomannicam non bibitur.

BARL. Quàm multa nova narrare habes Batavis tuis. alius namq; illic populis victus eſt, alius amictus, alia ædium forma, alii mores. fructus à noſtratibus diverſi & religio & imperii forma. aër quoq; & tellus & aquæ diſcrimē faciunt. Legebam heſterno die apud Moſen nuptias Iacobi patriarchæ cum Lea & Rachele. Subibat de Polygamia quæſtio. quam inhoneſtam judicamus nos; Turcæ, Syri, Perſæ,

ſæ, ut & Gætuli & Thraces, ut honeſtam, exercent.

Sinap. Ut honeſtiſſimam. tot unicuiq; habere uxores licitũ, quot eos alere permittunt cenſus opeſq; nec uxoribus contenti, concubinis inſuper gaudent. Prætorium eſt Imperatori Turcico, illi *Seraglium* vocant, in quo quingentas & ultra uxores è gente ſua ſelectas, magnificè alit, præter concubinarũ agmina, quę fatigãdo exercitui ſuffecerint.

Barl. Mihi Polygamia diſplicuit ſemper, utpote ſacris literis adverſa & rectæ rationi.

Sinap. Et ego monogamus eſſe malim, quam polygamus. moribus noſtris vivere àmem, & Chriſtianæ gentis religione. Legi ſuper hac re autores graviſſimos, Bezam & Ochinum, quorum ille plures uxores ſimul haberi vetat, hic permittit. Verum, ut, quod res eſt, dicam, non carent colore omni Ochini argumenta, licet exercitatiori Theologo grave nón ſit illum detrahere.

Barl. Sine me theſin meam διαφυλάττειν, & Polygamiæ contradicere. Ego mox copiam tibi faciam, ea omnia pro Polygamia dicendi, quæ voles, idque πρὸς γυμνασίαν, & ne, malo more, flagellandis amicorũ vitiis teramus tempus.

Sinap. Aſſentior.

Barl. Illud primum contendo, repugnare polygamiam conjugii finibus, ad quos illud inſtitutum ab ipſo creatore. Sunt autem illi tres: prolis generatio, convictus ſive domeſtica ſocietas, & inhoneſtæ libidinis caſtigatio ac reſtinctio. Qui pluribus uxoribus ſe viros præbent, minus viriliter ſingulis debitum ſolvunt, ſpirituum & naturalium & vitalium fontes exſiccant. calorem vitæ noſtræ fontem; humidumque, quod primigenium vocant, atterunt exhauriuntque, unde corporis totius naſcitur imbecillitas, & prolis inde genitæ minus firma valetudo. Etiam minus placidè & pacatè vivitur,

tur ubi plures imperāt conjuges. Ariſtocraticum hoc regimen eſt, ideoque litibus & diſſidiis ob plurium ſententias obnoxium. Non alit eadem domus ſine ſtrepitu canes duos. Idem regnum non fert tyrannos duos. Eadem reſpublica non fert expiiatores duos, nec idē munus à duobus æq; ambitioſis rectè adminiſtratur. Addamus, nec unam familiam admittere ſine incommodo imperatrices plurimas. Polygamus erat Abramus, ſed commiſſis inter ſe Sara & Agare. Polygamus Jacobus, ſed rixantibus ſororibus, Lea & Rachele. Polygamus Elcana, ſed ingenti æmulatione à ſe metuo averſis, Anna & Phenenna. nec fortuita hæc ſunt diſſidia, ſed ex plurium uxorum convictu per ſe nata. neque enim corrivalium feminarum alia aliam pati poteſt, non magis, quàm faber fabrum, figulus figulum. Denique plurium uxorum uſu & admiſſione, plus urimur, accenſa amoris ab illarū diverſis blanditiis & poppyſmis face. cum inſtituta ſint conjugia, ut uramur minus. Nec ſtat intra conjuges duas treſve amantium audacia. Cum ab una abit, vagatur per plures, & ab his ad concubinas, mox ad ſcorta & proſtibula deflectit.

Sinap. Ut rixis occurratur inter plures uxores, una materfamilias eſt, penes quam eſt rei familiaris cura & gubernatio.

Barl. At hæc ipſa res primaria litis cauſa eſt, primus ſcopulus, in quem impingitur, & ipſiſſimum ἔριδος pomum. citius contradictoria componat philoſophus, quàm mulieres de γυναικοκρατίας diſputantes. Nunc alterum argumentum audi: primæ conjugalis copulæ inſtitutioni repugnare polygamiam. Dicit Dominus, *faciamus homini adjutorium*, non adjutoria. Dicit Adamus, *Hoc eſt os ex oſſibus meis*, non hæc ſunt oſſa. quin addit: & adhærebit *vir uxori ſuæ*, non uxoribus ſuis. *Erunt duo*, non plures, *in carne una*. Potuiſſet

ſanè

ſanè Deus eadem facilitate, qua ex coſta Adami unam Evam condidit, condidiſſe plures, ſi pluribus opus eſſe homini judicaviſſet. Et cum genus humanum multiplicari neceſſe eſſet, felicius illud, integris Adami viribus, duarum pluriumque uxorum opera confectum fuiſſet, quàm unius, ſi quidem hoc Deus honeſtum putaſſet.

SINAP. Fortè ea fuit Evæ, primæ matris viri-potentia, ut una explendis Adami deſideriis ſuffecerit. Et ab unitate ad plures ire convenientius, ut eoſdem omnes parentes haberemus, quotquot poſt primorum creationẽ gigneremur. Et quamvis Scriptura duorum meminerit in matrimonii inſtitutione, non propterea videntur excludi plures. nam & cum duodecim Apoſtolis cœnam inſtituit & ſumſit Chriſtus, nec propterea vetitum cum pluribus cœnam ſumere. Cumq; mandat illa, ut diligamus proximum, non prohibet nos diligere proximos. Nec verum illud, à Moſe dici: *Erunt duo in carne una. duo* non eſt in textu. Apud Euangeliſtam Matth. cap. XIX. ait Servator noſter: *Vbi duo conſenſerint ſupra terram.* nec tamẽ hinc rectè inferas, non licere pluribus, quàm duobus conſentire. Et quid vetat virum cum uxoribus eſſe unam carnẽ conſenſu, ſicuti *multitudinis* (Act. IV. XXXII.) *credentium erat unum cor & anima una.* Et nonne impurus ſcortator fit una caro cũ ſcorto, etiamſi uxorem habeat matrimonio ſibi junctam?

BARL. Illud quod Evæ attribuis per fortè, ſolvitur per non fortè. Nec video, cur convenientius ſit primos parentes duos tantum eſſe, quàm plures, niſi ob hanc cauſam, quod honeſtum judicaverit Creator, Adamo unam aſſignari uxorem & non plures. Cùm Chriſtus cum duodecim Apoſtolis cœnam ſumſiſſe dicitur, hiſtoriæ circunſtantia narratur, non mandatur. Hinc in Geneſi mandati formam habent hæc verba:

Erunt

Erunt duo in carne una. & *Vir adhærebit uxori ſuæ*. Quoties monemur diligere proximum, vox proximi ſingularis eſt numeri, ſi Grammaticam ſingularitatẽ ſpectes, non ſi Logicam. Eſt enim vox proximi univerſalis, quæ rem ſignificat aptam pluribus ineſſe, & de pluribus dici. Et licet expreſſè non ſit in textu Hebræo, Erunt *duo* in carne una, eſt tamen per æquipollentiam. cum plures non eſſent, quam duo. illud expreſſum: *Vir* adhærebit *uxori ſuæ*. at vir & uxor ſua duo ſunt. In Græco codice novi Federis legitur illud *duo*: καὶ ἔσονται δύο εἰς σάρκα μίαν. Nec prohibet, dari conſenſum plurium & animorum conſpirationem in terris. At corporum conjunctio, qualem conjugium exigit, ſine grandi incommodo dari nequit. Non infitior ſcortatorem cum ſcorto fieri unam carnem, ſed nego, quod rei caput eſt, illum tunc cum uxore ſua manere unam carnem; quia adulter eſt, & ad alteram tranſiit.

SINAP. Magnum momentum eſſe putas iſtorum verborum, *adhærebit uxori ſuæ*. ſed fruſtra es: nonne monemur quiſq; ſervare & cuſtodire domum ſuam & ſupellectilem? unde malè inferas, non poſſe alicui eſſe duas domos, quas cuſtodiat, aut duplicem ſupellectilem.

BARL. Alia eſt ratio cuſtodiæ domus & ſupellectilis, alia uxoris. plures domos, plures ſupellectiles curare poteſt unus. at uxores ab uno curari & benè haberi ſine manifeſto alterius incommodo non poſſunt. Non vult Apoſtolus, ut alter conjugum alterum defraudet. at cogitur defraudare, ſi eodem tempore plures uxores maritale officium exigant. Militat etiam pro mea ſententia iſta ratio, quæ ex verbis Salvatoris ſumitur. *mœchari illum*, ait, *qui dimiſſa uxore, non ob adulterium, aliam ducit*. Certè, ſi plures habere uxores licet, tranſitio ad ſecundam, dimiſſa priore, adulterii nomine venire nequit.

SINAP. Qui uxorem dimittit, non adulterii cauſâ, occaſionem præbet adulterii dimiſſæ uxori.

BARL. At Chriſtus utrumq; dicit, & illum, qui uxorem repudiat non ob adulteriũ facere ut illa mœchetur; & ſi præterea uxorem duxerit, mœchari. Et apud Marcum eſt, μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν. mœchatur in ipſam. Nec puto ſolidius refutari polygamos, quàm Apoſtoli dicto: *Vnuſquiſq; habeat propriam uxorem, & quæq; proprium virum.* uxores uni viro junctę non ſingulę proprium habent, ſed communem alteri. Accedat autoritas humana & Imperatorum ſancita, Diocletiani, Maximiani, etiam Arcadii & Honorii, qui ne Judæis quidem polygamiam permittunt.

SINAP. At iidem Imperatores concubinas habere permittunt.

BARL. Uxorum plurium prohibitio à matrimonii reverentia & ſanctitate eſt, quæ Imperatorum animis inſedit. At hæc duos necti cupit. Concubinarum permiſſio à metu adulteriorum & majoris mali formidine profecta eſt, quanquam & ipſa improbanda. Canones quoque ſacros vide. illi duabus nuptiis implicitos aut pluribus συμπίπτοντας arcent ab Eccleſiæ benedictione & duriſſimis ἐπιτιμίοις mulctant.

SINAP. At Canones vetuſtiores & puriores, nec prohibent digamiam, nec diſſolvunt.

BARL. Ab authoritate negativa non valet illatio. etiam de inceſtarum nuptiarum diremtione non determinant ſacri Canones. quia ad civilẽ magiſtratum pertinebat ſub imperio Romano leges ferre de divortiis; & Eccleſiaſticæ animadverſiones in polygamos, officii ſui hos admonebant abundè. Poſtremò, inviſa ſemper res fuit polygamia ſapientibus. Quàm ſeverè illam redarguit Euripides in Andromache, ubi Hermionem ita loquentem introducit:

οὐδὲ

— οὐδὲ γὰρ καλὸν,
Δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἓν' ἡνίας ἔχειν.
Αλλ' εἰς μίαν βλέποντες εὐναίαν Κύπριν
Στέργουσιν, ὅςις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλει.

— *non eſt honeſtum*
Vnum virum habere habenas duarum uxorum.
Sed intuens in unam lecti ſociam Venerem
Eſt contentus, quicunque non vult malè habitare.

Et rationem addit,

Επίφθονόν τι χρῆμα θηλειῶν ἔφυ,
Καὶ ξυγγάμοισι δυσμενὲς μάλις' αἰεί.
Invidioſa quædam res eſt feminarum ſexus,
Et nuptiarum ſociis infeſta maximè ſemper.

Quam etiam illa emphatica ſunt & plena majeſtatis:

Ουδέ ποτ' ἂν δίδυμα
Λέκτρ' ἐπαινέσω βροτῶν,
Ουδ' ἀμφιμάτορας κόρους,
Ερὶν μὲν οἴκων,
Δυσμενεῖς τε λύπας.
Τὴν μίαν μοι ςεργέτω πόσις γάμοις
Ακοινώνητον εὐνὰν ἀνδρός.
Nunquam geminos
Lectos laudabo mortalium,
Neque liberos, qui habent diverſas matres,
Litem ædium,
Et triſtes dolores.
Maritus in nuptiis mihi ſit contentus uno
Lecto viri non communicato cum aliis.

Cauſas recitat Poëta,

Οὐδὲ γὰρ ἐν πόλεσι
Δίπτυχοι τυραννίδες
Μιᾶς ἀμείνονες φέρειν,
Αχθος τ' ἐπ' ἄχθει,
Καὶ στάσις πολίταις.
Τεκτόνοιν θ' ὕμνοισιν ἐργάταιν δυοῖν
Ερειν μοῦσαι φιλοῦσι κραίνειν.

Neque enim in urbibus
Duo imperia
Facilius poſſunt ferri, quam unum.
Eſt enim onus ſupra onus,
Et ſeditio civibus.
Inter fabros etiam duos, hymnorum artifices,
Litem Muſæ ſolent excitare.

Et nonne conjugii ideam in columbis & turturum amoribus cernere eſt! At hîc nulla, niſi duorum, ſociatio. quamobrem totum conjugium partibus duabus, maſculo & femina, abſolvit Naſo:

Maſculus & totum femina conjugium.

SINAP. Nec difficile mihi fuerit poëtarum allegare voces contrarias, pro polygamis, etiam animalium ratione carentium, quæ libidinem in pluribus explent. Verum ἄτεχνα hæc ſunt quæ allegaſti argumenta, quæq; plus momenti habent ad perſuadendũ, quàm roboris ad probandum.

BARL. Non arbitror ullius poëtæ veteris claſſicive autoritatem dari, qui pro polygamia pronunciet, aut ferarum etiam exemplum, cum pluribus femellis conjugii ſpecie viventium. In vagum illas laſcivire fateor, ſed duabus tribuſve adhæreſcere nego.

SINAP. Propugnantis facili-

ciliores ſunt partes, quam oppugnantis. attamen, ſi mihi polygamiā defendendi licentiam feceris, videbor fortè meliori cauſæ patrocinari.

Barl. Gladiatoribus utrumq; licet, & ferire & arcere ictus. eluſiſti pro viribus à me allata. Jam tu feri. ego antagoniſta tuus pari dexteritate ictus tuos avertam.

Sinap. Pro me facit primorum ſeculorum jam inde à mundi creatione praxis, & ſanctiſſimorum exempla, quibus una thori conſors non ſuffecit. nec veriſimile puto creationis principiis proximos, oblitos fuiſſe inſtitutionis divinæ: aut ſi obliti fuiſſent, reprehenſos nuſquā ob crimē hoc fuiſſe.

Barl. Legibus potius pro honeſtate pugnandum, quàm exemplis. illæ quid fieri à nobis debeat, hæc quid factum docent. non errant à recto leges divinę, ſed deviant ab iis, quibus illæ feruntur. primæva lex eſt, ut unuſquiſq; uxori ſuæ adhæreat. hanc abrogatam nullibi legi. ab ea quiſquis primus ivit, peccavit. & itum ab ea priorum conſuetudine. traxit vara vibiam & ſepia percā. Laſcivia, quam novitas acuit, plurium uxorum contubernium ſuaſit. etiam ſterilitas. illi occurrendum fuerat numinis & legis à Deo latæ reverentia. huic fiducia providentiæ divinæ, quæ ſi non per ſingulos, & naturæ vitio malè affectos, per alios mundi diſpendia reſarcit ſtudioſius. quin quibuſdam florida & vigente ætate citius, quibuſdam ſerius prolē indulget. niſi divinæ inſtitutioni repugnaſſet plurium conjugium, primi certè mortales quin imo ipſe protoplaſtus, multiplicando ocyus generi humano, idipſum expetiviſſent. Verum non ante Lamechi tempora, qui vixit anno ab orbe condito octingenteſimo & ſeptuageſimo quinto, quenquam legimus plures uxores duxiſſe. non mirum, ſi tot intercurrentibus ſeculis à primis legibus & proavorum ſanctitate deſciverit nepotum audacia.

Sinap. Illud profectò inconſequens; non fit polygamorum mentio antè Lamechum, ergo non fuerunt. Etiam de pluribus Caini filiis & poſterorum ejus ne γρῦ quidem in Scripturis. & tamen civitatẽ condidit. prima Moſaicæ hiſtoriæ capita multorum ſeculorũ res geſtas ſtrictim decurrunt.

Barl. Si uſitata antè Lamechi tempora fuiſſet polygamia, cur tanquam rem novã notat ſacer ſcriptor, Lamechum bigamum fuiſſe? Omnium Caini filiorum, & poſterorum ejus non meminit, quia propoſitum ipſi genealogiam pertexere Patrum, ad Diluvium uſq;, quæ ab electa Sethi familia diſtinguatur.

Sinap. Si diſplicuiſſet Deo polygamus Lamech, nequaquam familiam ejus ingenioſiſſimis filiis artiumque inventoribus beaviſſet.

Barl. Quaſi verò etiam in improbos non conferat Deus inſignes dotes, ſolertiam, doctrinam, ingenii, memoriæ, judiciiq; vim, quibus ſanctiſſimos quoſq; ſæpius prævertunt. Diſplicuit Deo ſcortatio Gileadi patris Jephtę, qui tamen Judęorum gentem inſigni fortitudine aſſeruit. Diſplicuit Deo Davidis cum Betſabea conjugium, ex quo natus regum ſapientiſſimus Salomon. Diſplicuit Deo inceſtus Thamaræ, è cujus poſteris oriundi heröes maximi fortiſſimiq;, etiam ipſe humani generis Servator.

Sinap. Si peccaſſent Patres, utique reprehendiſſet illos alicubi Scriptura.

Barl. Non reprehenditur ſemper in ſcripturis, quicquid à ſingularibus fit perperam. Satis eſt damnari vitia, mandari virtutum & honeſti ſtudia. Nec inceſtus Iacobi duas ſorores ducentis, nec Lothi cum filiabus concumbentis, neq; Davidis judicium pro Siba adverſus Mephiboſethum pronunciantis, iniquiſſimum aliàs, reprehenditur. Affirmantis Scripturę authoritas ſumma; ſilentis, ad diſputationes minor. Non ignoravere Patres, inſtitutam à Deo monogamiam. Hæc

lex abundè illos facti ſui redarguit, aut redarguiſſe debebat. Et videtur Deus ad hæc ipſa conniviſſe potius, quam probaviſſe, abeunte in conſuetudinem vitio. non impedit ſemper ſapientiſſimus, quæ vetuit ſanctiſſimus. Similis poſtea divortii ratio fuit, quam propter duritiē cordis permiſit Deus, probavit minimè. Promiſſus Abrahamo fuerat nepotum numerus ſine numero, & naſcitura è pauciſſimis gens magna, cui rei inſervire quàm maximè potuit polygamia. quid, quod prolis deſiderio magis, quàm explendæ libidinis, amaverint viri graviſſimi. minus etiam peccaverunt, qui honeſtiſſimorum & Deum timentium exemplis ſeduci ſe paſſi ſunt quàm qui primi legem divinam violavere.

Sɪɴᴀᴘ. At pœnituiſſe ipſos facti oportebat, nec in eo perſeveraſſe, ſi quidem veniam culpæ expectarent.

Bᴀʀʟ. Fecit conſuetudo & inveteratus mos, ne ſe peccare adverterent. nec neceſſe eſt eum, qui veniam criminum efflagitat, ſingula anxiè & velut per catalogum recenſere. qui ſe peccatores fatentur ſeriò & dolent, miſericordiæ divinæ ſpe ac fide animum erigunt. Non ergo tolerantis polygamiam & polygamos Dei facilitas, jus vitio confert, dummodo illam probatam legamus nuſquam.

Sɪɴᴀᴘ. Qui peccat, contra legē it. peccator omnis ἄνομος. At cedò legem quæ polygamiam damnat.

Bᴀʀʟ. Juriſconſulti, inter quos nomen tuum profiteris, & meritò, Jus omne in ſcriptum & non ſcriptum diſtinguunt. Non quicquid expreſſa lege vetitum non eſt, honeſtum eſſe putandum eſt, præſertim iis temporibus, cum nondum ſcripta exſtaret voluntas Creatoris. Lege naturæ & conſcientiæ, & tradita per manus honeſtate ducebantur homines, antè latam Moſi legem. Legis de homicidio expreſſa fit mentio Geneſ. nono. at de lege in adulteros, primis illis temporibus, ante Moſen,

altum ſilentium. Et tamen peccatum hoc eſſe, flammis expiandum, noverat Juda, cum nurum ſuam Thamaram eo ſe crimine polluiſſe ſuſpicaretur. Et unde noverat? vel ex conſcientiæ ac rectæ rationis dictamine, vel ex majorũ ritu ac præſcripto. Quod ſi peccat maritus, qui cum ſoluta rem habet, quam miſſam facit ilicet, quia fidem uxori datam violat; multò magis peccat, qui poſtquam uxorẽ duxit, novam ducere eique cohabitare perpetuò in animum inducit. Et annon disertè ſatis polygamiam prohibet divina lex? *Erunt duo in carne una.* Qui duos vult jungi, prohibet tres quatuorve jungi. Qui ſunt caro una, deſinunt una eſſe, quoties cum pluribus conſueſcunt.

Sɪɴᴀᴘ. Si benè memini, dicit propheta Nathan Davidi: *Dedi tibi domum domini tui, & uxores domini tui in ſinum tuum.* En, Dei δῶρον ſunt uxores plures.

Bᴀʀʟ. Datio illa non eſt ab approbante polygamiam Deo, ſed permiſſio ſolum phyſica, ſive actio providentiæ divinæ, qua Deus non voluit reapſe impedire, ut uxores plures Domini ſui in ſinũ ſuum acciperet David, verùm poteſtati ejus arbitrioque relinquere. Familiare quippe Scripturæ eſt, ita loqui, ut Deus dediſſe, tradidiſſe, feciſſe dicatur, non quod approbat ſemper & pro honeſto habet, ſed quod ſine permiſſione ipſius & ſapienti directione fieri non potuit.

Sɪɴᴀᴘ. Illud omni exceptione majus mihi videtur, quod Deuteron. XXI. Deus matrimonium utriuſque uxoris & dilectę & exoſæ probet, cum ex utroque matrimonio natos pro legitimis haberi velit, nec jus primogenituræ pro animi libidine dari filio dilectæ, prætęrito filio exoſæ.

Bᴀʀʟ. Verba legis hæc ſunt; *Si verò alicui fuerunt duæ uxores, una dilecta, altera exoſa, genuerintque ei filios, tam dilecta, quàm exoſa, & filius exoſæ fuerit primogenitus, adveneritque dies, quo diviſurus eſt filiis ſuis, quos habet, hæredita-*

tem

tem ſuam, non poterit primogenitum facere filium dilectæ, donec ſuperſtes eſt primogenitus filius exoſæ. Ergo etiam ex altera uxore natum filium, pro legitimo habet Deus, utpote hæredem. Verum lex hæc lata eſt vigente polygamia, non ut probetur hæc, ſed ut tolerante eam Domino ordinetur legitima primogeniti hæreditas. Et ſane ex hac ipſa lege patet, prius matrimoniũ majoris fieri à Deo, quam poſterius. nam quia exoſæ filius primogenitus dicitur, utpote ex primo conjugio natus, vult Deus huic jus primogenituræ conferri, ut ut exoſa ſit mater.

SINAP. At filii utriuſq; uxoris legitimi habentur, utpote hæreditatem ambo adeuntes. Si legitimi, ergo & conjugia legitima.

BARL. Fuerint legitima, non in foro conſcientiæ ac legiſlatoris Dei, ſed legis primævæ tranſgreſſionem ad tempus patienter ferentis.

SINAP. Jubetur in lege frater excitare fratris ſine ſobole defuncti ſemẽ, Deut. XXV. nec additur exceptio, niſi frater ſuperſtes uxorem habuerit. Quod ſi fratri marito jubetur, ut fratri ſine prole extincto ſemẽ excitet in uxore relicta, polygamia utique mandatur.

BARL. Exceptio illa manifeſta eſt. neq; enim Deus adulterium mandat, ſed fratrem cœlibem vult in locum mortui ſubſtitui propagandæ familiæ ergo. Et innuunt hoc verba legis: *Si ſimul habitaverint fratres.* non præſumuntur plures conjugati fratres habitare ſimul, ſed diſtinctis ædibus familiiſque vivere. Niſi illa ſubintelligatur conditio, inceſtuoſum fuerit conjugium & repugnabit lex legi. Nam Levitici XVIII. dicit Moſes: *Vxorem fratris ſui nullus accipiat.*

SINAP. Depulſus ergo Veteris Teſtamenti præſidio, nitar Novo. Nonne vult gentium Apoſtolus Epiſcopum eſſe unius uxoris virũ? videntur ergo tunc fuiſſe polygami, quos non à Chriſtianiſmo & Eccleſia, ſed Epiſcopatus munere arcet.

Barl. Ita arbitror, judicaſſe Apoſtolum, tolerari tum potuiſſe polygamiam in Chriſtianis aliis, ſed non in Epiſcopis. Et quia hos vetat plures ſimul habere conjuges, non reliquos, videtur Paulus ſtatuiſſe, non eſſe illam legibus divinis conformem. Legitimum ſiquidem conjugium honorabile eſt inter quoſvis, teſte eodem Apoſtolo. Chriſtianorum ſanè polygamiam quàm non laudaverit vetus Eccleſia, ex eo manifeſtum, quod Clericos nuptiis iſtiuſmodi intereſſe prohibuerit, neque illas benedictione ſacra proſecuta fuerit. Etiã illud reſponderi poteſt, locum illũ non agere de monogamia, prout polygamiæ plurium ſimul opponitur, ſed prout diſtinguitur ab ea, quæ ſucceſſiva eſt & per repetitionem fit nuptiarum, priore conjuge defuncta. quaſi dicat Apoſtolus: Cùm pudicitia in Epiſcopo valde commendetur, ſi non continget, qui voluptatem hanc in totum contemnet, illud certè ſpectandum, ut fuerit aut ſit unius uxoris maritus. Primum matrimonium gignendæ proli datum videri poteſt. at repetitum conjugium non caret, etiam apud Ethnicos, intemperantis animi ſuſpicione. Cæteris nihil obſto, quo minus repetant matrimonium, etſi minus ſibi temperant. Durius fuerit hoc, quàm ut auſim à tota multitudine exigere. At decet Epiſcopum uſque adeò abeſſe ab omni crimine, ut vacare etiam ipſum oporteat ab omni criminis ſpecie.

Sinap. Non pugnabo ultrà authoritate divina. rationibus experiar. Certè minora incommoda polygamiam manent, quam monogamiam. Inter alia, quæ cauſa tot divortiorum, niſi quod aliam priori ſuperinducere non liceat? facilioris conjugis acceſſu, difficilioris moroſitas leniri poſſet, & ferri hæc, dum plus amatur altera.

Barl. Nihil ἄνομον faciendum, commodi cauſa. nec probandus polygamus, ne divortia fiant. Ipſa polygamia

gamia occaſiones divortiis præbet, diſtracto in plures mariti amore, qui monogamia excitatur acuiturque.

Sinap. Facit ad Univerſi elegantiam & perfectionē hominū multitudo, at hæc magis à polygamis quàm monogamis ſperari poteſt.

Barl. Sed magis adhuc ab ingenti concubinarum grege, quàm ab uxoribus binis terniſque. non multitudo generis humani decori eſt Univerſo, ſed benè nata. nec ſpuriorū frequentia familiam illuſtrat, ſed dedecorat. Secus non adſtrinxiſſet Deus, jam ab ipſis mundi incunabulis, virum unius uxoris amoribus. duorum conſortio non circumſcripſiſſet copulam carnalem, ſi ſuſque deque habuiſſet, qua ratione ad hominū frequentiam iretur.

Sinap. Cur ergo Eccleſia polygamos admiſit ad baptiſmum?

Barl. Quia polygami erant longa majorum conſuetudine, de iniquitate facti minus certi. & quia moleſtum ac difficile, repudiare alteram, ſine conſenſū. invenit Eccleſia polygamos, non fecit. nec ad illam pertinebat, receptis in republica moribus, & permittente illos Magiſtratu, refragari.

Sinap. At ſalvus eſſe poteſt polygamus ac regni cœlorum hæres. gratiſſima & dilectiſſima Deo nomina fuere, Abrahamus, Jacobus, David, polygami omnes.

Barl. Omnibus & ſingulis Dei legibus obtemperandum. Quod ſi de lege aliqua controverſia ſit, an lex Dei illa ſit, aut legis iſta mens, nec ne, uti inpræſentiarum, non auſim ſtatuere, cujuſlibet legis tranſgreſſionem damnare; præſertim, ſi ipſum omnium ſuorū peccatorum ex animo pœniteat, & eorundem remiſſionem a Deo vera fide efflagitet, ſive illa omnia pro manifeſtè peccatis habeat, ſive in aliquo fluctuet. Et fortè hujus generis ſunt, de quibus regius Propheta Deum interpellat: *Ab occultis meis peccatis libera me Domine.*

Sinap. Vir capitis, uxor mem-

membri analogiam habet. At nihil dixerit abſoni, qui unius capitis plura dixerit eſſe membra. Monſtroſum fuerit unius uxoris plures eſſe viros, quia monſtroſum, unius membri plura eſſe capita.

BARL. Omnis ſimilitudo claudicat. Capiti plura eſſe membra, nihil vetat, quia ex æquo omnibus membris caput imperat, omnibus ex æquo ſenſum motumque largitur, ſine membrorũ æmulatione & murmure. At pluribus uxoribus non poteſt ſe æquum eundemque præſtare unus idemque vir, nec pluribus ſine æmulatione, & murmure ac querela officia conjugi debita perſolvere. Et poteſt ſimilitudo ſimilitudine eludi. Sicuti uni naſo non conveniunt duo capita, nec uni capiti duo naſi, ita nec conveniens fuerit polygamia uni viro capiti, nec πολυανδρεία uni uxori membro.

SINAP. Allegabas tu modo Imperatorum authoritatem. At pro me Valentinianus facit, qui & duas ſimul uxores habuit, & lege hoc ipſum permittit. Nec Ambroſius, ſeverus ille honeſti exactor, qui Theodoſium Imperatorem templo exegit, & à ſacris arcuit, reprehendiſſe illum legitur, aut Epiſcoporum ullus alius. Etiam Carolo Magno, acerrimo Chriſtianæ religionis vindici & promotori, ut & aliis Imperatoribus Galliȩque regibus duæ uxores fuere.

BARL. Lex Valentiniani cum Valentiniano periit. Principum ſi legibus obſequendum, cum rectæ rationi & cœleſtibus mandatis non refragantur, ſane exemplis omnium vivere omnes iniquiſſimum fuerit. Facile ſibi licere id omne, quod libet, putant, qui aliis, quid faciendum, quid non, præſcribendi poteſtatē habent. Imbibunt iniqui formas avidè, qui pœnas non timent. Infundunt in cives vitia, quę conceperunt prius. Corrumpere eadem majeſtate mores civitatis poſſunt, qua corrigere. Diſtulit in vitæ

finem

finem baptiſmum laudatiſſimus iſte Conſtantinus, nec propterea lentum & fluctuantem in tanta re Imperatorem imitari debemus.

Sinap. At varietatē uxorum delectabilem valde autumant Orientales, non minus, quam colorum. Et qui ſe ſtudiis dant, non unius ſe libri lectioni mancipant.

Barl. Fateor, nec repugnarem illud fieri, niſi à delectabili ſeparatum eſſet honeſtum.

Sinap. De his diſputaſſe ſufficiat. mihi à longo itinere reduci uxor nulla eſt, tibi una placet & ſatis eſt. Quod ſi ſolitudine hac me eximet Deus, unam à Domino petam, nam Boreales ambo ſumus & Septentrionum filii. Urſas frigidiores adſpectamus, & illę nos. Etiam aquis undequaque circumdamur, quæ ebullientem ſanguinem & τὸ ἐπιθυμητικὸν caſtigant. nec peccatur hic polygamorum exemplis, aut Principum authoritate. Orientales cœlo ſoloque animantur acrius, & amant fervidius. ideò inter hos viget plurium copula & à legis rigore abeunt lubentius, prono in libidinem affectu.

Barl. Diſſenſimus hactenus. nunc conſentimus uterque. *Sufficit in thalamis Barbara ſola meis*, & niſi me planetarum fallit poſitura, poſt ariſtas aliquot, *Sufficiet thalamis una Maria tuis*.

DIA-

DIALOGVS DE SECVNDIS *NVPTIIS.*

Collocutores,

ZVLECHEMIVS, BARLÆVS.

ZVLECHEMIVS.

FEriæ jam ſunt vobis, Barlæe. vacatis à lectionibus Profeſſores. vacat à litibus Curia. pulverem licet non Olympicum, excutiunt Scholarum rectores. omnes dilucidis intervallis diſtinguitis labores veſtros. Mihi infelici Siſyphi uſq; ſaxum volvitur, & clitellas meas fero, quietis omnis & otii expers. In cœlis Solſtitia ſunt, in terris Juriſtitia, in ſtadiis & curriculis metę. Aula noſtra, nō ἐντελέχεια, ſed ἐνδελέχεια eſt, & mobile perpetuum.

BARL. Ergò per te deciſā habemus grandē controverſiam, dari perpetuū mobile.

ZVLECH. Σοφιστεύεις.

BARL. Fateor, nec enim illam vultus tui ſeveritatem ferre poſſum. joco temperanda fuit. Sed cùr ferias tibi non præſcribis, aut impetras? non eſt aularum conditio deterior Curiâ & Scholis. & quî ſine remiſſione animus tuus eſſe poſſit, erectus ſemper & liber & ſuus?

ZVLECH. Neſcit quietem Reſpublica noſtra. volvuntur aſſiduò & rotantur conſilia deliberationeſque publicæ. Ego primo motori à conſiliis & calamis jactor & volvor una, nec mihi res, nec me rebus ſubducere poſſum.

BARL.

Barl. Intelligentia es, mî Hugeni, & ut cum Peripato loquar, formæ aſſiſtenti ſimilis, quæ orbibus perpetuo motu aſſiſtit, nec tamen eorum pars eſt.

Zvlech. Ita eſt. Evoco hybernis exercitum, & revoco, equitum peditumq́; turmis & cohortibus quò eundum, quibus locis hærendum, quæ rurſus deſerenda, Principis juſſu monſtro, nec tamen miles ſum. in hoc diſſimilis Intelligentiæ, quod cum illa cœlum ſuum moveat ſemper, fatigetur nunquam; ego verò laboribus me ſentiam atteri & frangi.

Barl. Verſus polos te recipe. illic quies eſt & ἀκινησία. Ad Urſæ minoris caudam Archivum tuum tibi habe, aut ad Auſtrum, ubi nubeculæ nigricantes polo imminent. parvis hic moveberis circulis, & quieſcenti ſimilior videberis, quàm laboranti.

Zvlech. Iterũ jocaris?

Barl. Nequaquam, ſed loquor ἀλληγορικῶς. Hoc volo, ut mane ac veſperi tibi & Muſis vaces. Hæc enim diei extrema ſunt, uti poli axis. nec tunc aut amici, aut ſupplicum turba, aut magnus Imperator quietũ movent. Et quomodo ſine inſigni ceſſatione & otio tam multa, tam docta, tam ſeria & feſtiva ſcribere poſſis, non video. In ipſis caſtris, ubi tumultuũ & motuum plena ſunt omnia, ſcripſiſti nuper Meteorologica tua, & Ariſtotelem in Epigrammata acutiſſima contorſiſti, eo lepore & genio ut in Bilbili nata videantur. Legimus non ita pridem, Diurni operis tui ac Stellæ tuæ hiſtoriam, elaboratiſſimis rythmis conſcriptam, & erudito hic illic ſale aſperſam, denſam gravemq́; ſententiis, ut à bliteis intelligi ob acumina & vernantes floſculos non poſſit. Diſſertationẽ quoq́; tuam vidi de Organorum in templis uſu & abuſu, liberioris animi opus, quæ non niſi à ſerena & defæcata mente proficiſci potuerunt.

Zvlech. Rem acu teti-giſti. dilucula & crepuſcula

ve-

veneror maximè & capto avidiſſimè. oportuna hæc meditationibus meis tempora ſunt. uti & breviores ſeceſſus pomeridiani. In caſtris, ubi ſub pellibus ac tentoriis vivitur, plus mihi ſuppetit otii, quàm cum Hagæ & domi ſum. Et ut allegoriȩ tuæ inſiſtam, hîc velut in Tropicis ſum, ubi negotiorum & laborum vertuntur circuli. Tunc verò in Æquinoctialem, ubi rapidiſſimè cœlum movetur, pertrahor, cum ad caſtra duces, milites, lixæ, calones evocandi ſunt, cum bella & neces ſpirat bellaturiens equus; pontes, tormenta bellica, gladios, haſtas, tympana, & quicquid eſt bellici apparatus armamentaria evomunt. Totum quippe Martē ejuſq; aſſeclas literis meis cieo. ſed quando tu in Æquatore tuo es?

BARL. Cum vincunt Federati, cum victor redit Auriacus, cum Sylvam Ducis, Veſaliam, Berkam, Trajectum ad Moſam, Bredam magnis & ſtupendis auſis expugnat, cum Matancam auro argentoque ſpoliamus, cum claſſem Hiſpanienſem ſub Trompio exurimus, mergimus, capimus.

ZVLECH. Quando in Tropicis?

BARL. Cum nuptiæ & funera amicorum dicenda ſunt.

ZVLECH. Quando Polis vicinior es, & maximè quietus?

BARL. Cum vincimur nos, aut infecta re redimus domum. tunc enim ſtrenuè ſileo & intra teſtam meam lateo cochlea.

ZVLECH. Quando amœna cogitas?

BARL. Quando volo amœnus eſſe.

ZVLECH. Quando voluiſti poſtremùm?

BARL. Cum, non multis retrò diebus, Amſtelodamo diſceſſiſſes. Tunc Epigramma mihi ſcripſiſti, quod altè animo meo inſedit.

ZVLECH. Quale illud eſt?

BARL. Quo perpetuam tibi viduitatem videris indicere & ſecundas nuptias adſpernari.

ZVLECH.

Zvlech. Quid hoc ad te?

Barl. Ad me? penè mihi perſuaſiſti ſimile perpetuæ viduitatis inſtitutum, exemplo tuo, & rationibus à tribus L. L. L. petitis.

Zvlech. Quid innuis iſtis tribus L?

Barl. Liberos, libros & libertatem. Tunc enim te ſecundò Sponſum fore ais, *cum deſinent, Placere libri, liberi atque libertas*.

Zvlech. Num tu ſecus judicas? & novum thalamũ ſcandere auſis ea ætate, qua de tumulo cogitandum ſapienti, & quidem tot ſtipatus liberis, quot cœlum rutilat planetis, tot filiabus, quibus familiæ curam credere tutò poſſis?

Barl. Hæreo inter monogamũ & deuterogamum, inter primas & ſecundas nuptias. quodcunque elegero, vereor ne me pœniteat aliquando vel iterum ductæ conjugis, vel ſervatæ viduitatis.

Zvlech. In quam partem inclinas maximè?

Barl. Dicam, ſed Philoſophorũ diſtinctione. Judicium mihi rerum agendarum, ut & aliis omnibus, duplex eſt: Abſolutũ unum & generalis æſtimationis, alterum comparatum, &, prout ſe res jam dant, quod particularis approbationis vocant. illo præfero ſecundas nuptias, ob rationes quas habeo maximas, hoc viduitatem. ſed cum cautela, niſi humanitatem meam expugnet alia humanitas & rationes maximis majores.

Zvlech. Cedo mihi rationes iſtas maximas, quibus ad ſecundas nuptias permoveri poſſes. ego obſequar loquenti vera, non vera proferenti obloquar.

Barl. Ordiar rem, Mathematicorum more, qui demonſtrationes ſuas hypotheſibus fulcire ſolent. Et quia cum Juriſconſulto mihi res eſt, cui jamdudum omnia arcana Themidis patuere, illud primum ſupponam, ſermonem mihi eſſe de ſecundis nuptiis poſt debitum luctus tempus. nec enim illis patrocinari cupio, qui amiſſa conjuge ilicet

cet alteri fidem dant, primi amoris copulæque immemores. Non fruſtra id prudentiſſimę Imperatorum leges vetuere. ne ſanguinis fieret turbatio, & ſuperfœtationis metu incertũ eſſet, cujus ſit genitoris partus. Præterea, ut publicæ honeſtatis haberetur ratio. indecorum quippe, mulierem prioris mariti oblitam ad ſecunda vota properare. denique ne nimia feſtinatione ſuſpicionem præbeat violati ante matrimonii, aut ſuſceptæ cum novo marito in defuncti necem conſpirationis. Graviter Pompeius ad Corneliam uxorem loquitur, apud Lucanum: *ultima debet Eſſe fides, lugere virum*. & ſalſè Martialis lib. IX. Epigr.

Funera poſt ſeptem nupſit tibi Galla virorum,
Picentine, ſequi vult puto Galla viros.

Altera hypotheſis eſt: eas ſecundas nuptias à me intelligi, quæ liberorum prioris thori condicionem deteriorem non faciant. quo ſenſu accipi debet illud Chryſoſtomi Homil. 11. in Epiſt. Pauli ad Titum: *Noſtis profectò omnes, quod etſi per leges* (Romanas puta) *ſecundæ nuptiæ permittuntur, multis tamen ea res accuſationibus patet*. Inter illas accuſationes eſt, quod plurimi inſigni liberorum damno nuptias repetant. Hæc præfatus, confidenter affirmo, nuſquam vel in veteri vel nova verbi divini pagina ſecundas nuptias ἁπλῶς prohiberi. Incidunt tempora, fateor, quibus conſulit Apoſtolus, ſatius eſſe commodiuſque, ſi ſecunda uxor nõ ducatur. Sed quia illa κτ᾽ συμβεβηκὸς eveniunt, ſimplicis prohibitionis vim non habent. Aſſero & illud, ſucceſſivam digamiam à Deo inſtitutam & primæva benedictione ſanctificatam. Etenim & pro viduis militat iſta conjugii princeps ratio: *non eſt bonum homini, ſoli eſſe*. eget ergo adjutorio, tum ad ſobolis generationem, tum ne ſolitudine marceat & contabeſcat. Sanè quandiu effœta nõ ſunt nobis corpora, nec prolis ſpes decollavit

pror-

prorſus, etiam ad nos pertinet divina vox, *Creſcite & multiplicamini*. ſive ſecundæ illæ ſint nuptiæ, ſive tertiæ, ſive quartæ. Et quid ſi primæ improles ac ſteriles fuerint, nonne ſecundis licebit *replere terram?* quo jure, quo fine primas, etiam ſecundas adimus. Vult Apoſtolus eas nubere, quæ uruntur. At uri viduos viduaſque ea ætate, quæ naturæ officiis par eſt, clamat res. Quin & vi iſtius, de creſcendo, mandati, etiam irrationale animal alteri adſueſcit femellæ. Cur non & homines, quorum plurimos exiſtere ad pulchritudinem univerſi & Dei gloriam maximè facit?

ZVLECH. At de viduis pronunciat gentiũ Doctor, *Bonum eſſe, ſi ſic maneant*.

BARL. Sed interpretatur ſeipſum luce meridiana clarius, I. Cor. VII. cum addit: *ſi ſe continere poſſint. ſi non, nubant.* probat innubum ſtatum propter *inſtantem neceſſitatem* & perſecutionum tempora, & ut *Deum minore impedimento obſervent obſecrentque*. quin licentiam facit mulieri nubendi denuò, cùm inquit, *Mulier alligata eſt legi, quandiu vir ejus vivit, quod ſi dormiverit vir ejus liberata eſt, cui vult nubat, tantum in Domino.* Et ne concedentis ſolum verba eſſe putes, audi eundẽ imperioſius loquentem in priore ad Timotheum Epiſtola: *Volo juniores viduas nubere*. Sexagenarias enim ſacris ſe officiis mancipare mandat.

ZVLECH. At ſaltem videntur ſexto repetitæ nuptiæ damnari à Servatore Chriſto, cum dicit mulieri Samaritanæ: *Benè dixiſti, quia non habeo virum. quinque enim habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir.*

BARL. Inficiabatur mulier matrimonium, diſſimulans ſtuprum. Etenim cum quinque habuiſſet viros explendæ libidini, nullum tamen habuerat legitimum. etiam hunc ipſum, quem habebat tunc, non erat legitimus. propterea viri titulo ipſum non dignatur magnus conjugii legiſlator.

ZVLECH. At quàm apertè Apoſtolus loquitur ad

Timotheum: 1.Tim. v. 11. *Iuniores viduas rejice. poſtquam enim laſcivierunt adverſus Chriſtum, nubere volunt; damnandæ quod primam fidem rejecerint.*

Barl. Non vult Apoſtolus juniores viduas rejici à matrimonio, ſed ab Eccleſiæ officiis. nec per fidem primam intelligit fidem priori marito datam, nam per mortem ab eo ſolvitur, ſed fidem quam Chriſto pactæ videntur, eam irritam faciunt. duplici nomine notandæ, & quod temerè ſuſceperint profeſſionem caſtitatis, non ſatis exploratis viribus, & quod à ſuſcepta reſilierint ſecundarum nuptiarum amore, à quibus propter ſuſcepti muneris moleſtias eas abſtinuiſſe ſatius fuiſſet. quid! quod nulla ratio cogat, fidem iſtam de votiva continentia intelligere, ut ut aliquis ejus uſus fuerit primis illis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus.

Zulech. Ut altius rem repetã, non dixit Deus Adamo aut per Adamũ, & *adhærebit uxoribus ſuis*, ſed *uxori ſuę*, ergo una ducenda videtur.

Barl. Ita eſt. una ducenda, non plures ſimul. nec definit unam ducere, qui plures ſucceſſive ducit, niſi Montani errorem errare velimus, qui conjugii vinculum ne morte quidẽ diſſolvi vult.

Zulech. *Duo erunt in carne una*, non plures, de primis nuptiis dictum eſt, non de ſecundis.

Barl. Quid vetat? etiam in his duo ſunt in carne una, ſive caro una. qui deceſſit conjux, non eſt, ſed fuit.

Zulech. Primus Adam μονόγαμος fuit, ſecundus ἄγαμος. Qui digamiam probant, exhibeant tertium, Adamum digamum, quem ſequantur.

Barl. Nulla lege adſtringimur, ut in conjugiis vel primi vel ſecundi Adami, nedum tertii alicujus, morem, in omnibus ſequamur. Et unde conſtabit, num Adamus Evæ ſupervixerit, & num ſe ex eo continuerit? à Scripturis negativa argumentatio inconſequens

quens eſt. Quod ſi ad exempla libeat alludere, dixerim ego eos, qui ſecundò uxorem ducunt, Abrahamum credentium patrem imitari, teſte Auguſtino, *Proviſum eſt hoc exemplo contra hæreticos futuros, ſecundarum nuptiarum adverſarios.*

ZVLECH. Gravis iſte Eccleſię doctor Ambroſius, *Nemo*, inquit, *cum ſecunda benedicitur.*

BARL. Quî ergo nubens *vidua in Domino nubet?* verius Auguſtinus, ſive quicunque auctor eſt libelli de fide ad Petrum, *Si cui*, inquit, *primo contigerit privari conjugio; ſecundum vel tertium iniens, nullum peccatum habebit. Nuptiæ non tantum primę divinitus inſtitutæ ſunt & benedictæ, ſed & ſecundæ & tertiæ, pro eorum, qui ſe continere non poſſunt infirmitate.*

ZVLECH. Ad laudem Annæ Phanuelis filiæ facit, quod vidua non redierit ad nuptias.

BARL. At qua ætate vidua eſſe cœperit, non exprimit Scriptura. & potuit ſe Anna continere, ut Deo ejuſque ſacris vacaret expeditius.

ZVLECH. Sed quid jure Canonico & Civili ſuper hac re deciſum?

BARL. Quaſi verò Dominus Zulechemius hoc ignoraret. Ego nec juris Canonici nec Civilis ſum peritus, ut penè cum Flacco dixerim: *Diſperam, ſi Aut valeam ſtare, aut norim Civilia jura.* Tu Zulechemi, jus omne & Canonicum & Civile in ſuccum & ſanguinem convertiſti, tibi tituli, paragraphi, rubricæ, canones noti ad unguem, & iſta ex me quæris? Audeo tamẽ affirmare, utroque jure ſecundas nuptias probari.

ZVLECH. At Tertullianus integro libello, quem de Monogamia ſcripſit, in Digamiam ſucceſſivam acriter invehitur.

BARL. Eſto. faſcinavit illum paracletus Montani, ut & in aliis. ipſe Auguſtinus hanc ejus ſententiam hæreticam vocat, libro primo de hæreſibus.

ZVLECH. Chryſoſtomi hæc verba allegant: *Hac ratione*

tione & Apoſtoli præceperunt ſecundas nuptias adire, propter incontinentiam hominum. Nam ſecundam quidem accipere ſecundum præceptum Apoſtoli eſt, ſecundum veritatis autem rationem verè fornicatio eſt.

Barl. Negant juris Canonici interpretes illa eſſe Chryſoſtomi, ſed potius autoris Operis imperfecti in Matt. Homil. XXXII. Quis enim Chriſtianus eò impudentiæ prolabatur, ut dicere auſit, Apoſtolum quid præcepiſſe, contra veritatis rationẽ, aut ſecundas nuptias, ex juris divini mente, fornicationem eſſe?

Zvlech. Suffragatur prioribus Nazianzenus, cujus hæc ſunt: τὸ πρῶτον συνοικέσιον, νόμος. τὸ δεύτερον, συγχώρησις. τὸ τρίτον, παρανομία. ὁ δ' ὑπὲρ τοῦτο, χοιρώδες. *Primum matrimonium lex eſt. ſecundum permiſſio. tertium legis tranſgreſſio. & quod numerum hanc excedit, porcinum.* Adde Leonis conſtitutionem, quę eſt inter Novellas XC. ubi iis, qui quæve tertiò nubunt, pœnitentiam injungit, ceteriſque ſubiicit pœnis, quæ continentur in Canone tertio Synodi NeoCęſarienſis. Et Conſtantinus Porphyrogenneta Novella prima, quæ quotannis Conſtantinopoli legebatur, menſe Julio, à Republica Chriſtiana reiiciendum eſſe pronunciat, qui quartò matrimonium iterat. licet in quadragenariis & prole carentibus tertias admittat, uti & in trigeſimum annum egreſſis, ob infirmitatem ætatis. Hieronymus in Epiſt. x. ad Furiam ſcribit: *Habes præterea generis tui grande privilegium, quod exinde à Camillo vel nulla vel rara veſtræ familiæ ſcribitur ſecundos noſſe concubitus: ut non tam laudanda ſis, ſi vidua perſeveres, quàm execranda, ſi id Chriſtiana non ſerves, quod per tanta ſecula gentiles feminæ cuſtodiverunt.*

Barl. Liceat mihi à Patrum autoritate recedere, ubi illi à Scriptura deſtituuntur, & ipſi inter ſe diſſentiunt. Et tam in hoc argumento varius eſt Hieronymus,

mus, ut lectoribus illudere videatur. Eſt ubi ſe *nec digamos, nec trigamos, &, ſi ita dici poteſt, octigamos damnare,* ait. Eſt rurſum, ubi contemptiſſimè de iis loquitur: *Melius eſſe alterum & tertium unum virum noſſe, quam plurimos, id eſt, tolerabilius eſſe uni homini proſtitutam eſſe, quàm multis. (lib. in Iovin.)* Ad illud Apoſtoli de viduis quibuſdam, *quæ declinaverunt poſt Sathanam. Vide*, inquit, *qualia ſint matrimonia, quæ lupanaribus præferuntur. Ideò adoleſcentula vidua, quæ ſe non poteſt continere, maritum potius accipiat, quàm diabolum. pulchra nimirum & appetenda res, quæ Satanæ comparatione ſuſcipitur.* Et ubi ad Gerontiam ſuam ſcribit, digamos non niſi pœnitentes recipit, ab eleemoſyna Eccleſiæ excludit, *ſerpentibus, matulis* denique minus pudicè comparat. Quibus omnibus Apoſtoli illud ſanctius oraculum oppoſuiſſe ſuffecerit. *uxor, ſi vir obdormiverit, libera eſt ad nubendum, cui velit, tantum in Domino.* Verum error iſte de repetiti conjugii infamia à gentibus fluxit. Hinc Dido, cum ducis Trojani thalamos ſperaret, *Huic uni*, inquit, *forſan potui ſuccumbere culpæ.* Et Portia minor Catonis filia, cum mulieris denuò nuptæ laudes recitari audiret. *Tacitè*, inquit, *nam neq; felix neq; benè morata aut pudica eſſe poteſt femina, quæ ſecundò nubit.* Nec ob aliam cauſam Martialis de muliere, quæ decimo viro nupſerat, ſalſè canit:

Quæ nubit toties, non nubit. adultera lege eſt.
Offendor mœcha ſimpliciore minus.

Etenim pœnæ olim conſtitutæ fuere iis, qui ſive à primis ſive à ſecundis nuptiis abſtinerent. Certè Auguſtus Cæſar, urbe nimium civibus exhauſta, legem Iuliam de maritandis ordinibus tulit, (*A. Gellicus lib.* II. *Noct. Attic. cap.* XV.) quam tamen poſterior ætas abrogavit. Et ante Auguſtum Scipio Africanus, laborante urbe civium inopia, poſt ſecundum bellum Punicum, leges in cœlibes tulit.

ZULECH. Sed quàm a-

 pertè

pertè Novella XXII. cap. XXXVII. *Non finit lex ad ſecundas nuptias venire, invito priore marito: ſed deinceps nuptias fornicationem judicat & corruptionem.*

Barl. Eſt hic ſermo de ancilla manumiſſa, & in uxorem ducta à domino ſuo, quęque eo invito alteri vult nubere, quod omnino vetitum. Quamobrem nuptias ſecundas non ſolum licitas, ſed & honeſtas eſſe ſtatuo, cum & jure divino ſint permiſſæ probatæque, necnon jure Canonico & Civili. Et ſi pro honeſtate primarum nuptiarum facit, quod Chriſti & Eccleſiæ arctiſſima unio matrimonio comparetur, non poterunt eſſe inhoneſtæ ſecundæ, cum & illæ ſacroſanctam illam & arcanam copulam, non minus, quàm primæ, adumbrent.

Zvlech. Sed quid ad locum Plutarchi reſponderes, Problemate XCIX. *Quid eſt*, inquit, *quod publicis feſtis, veteri more, virgines nubunt, viduæ non nubunt? An quod virginibus decorum, viduis verò multis præſentibus fœdum nubere? felices namq; & ſanctæ primæ nuptiæ, ſecundæ verò triſtes ac deteſtandæ. Pudet enim vivis adhuc iis, quibus ante nupſerant, alios accipere. mortuos autem lugent.*

Barl. Triſtes & deteſtandæ ſunt nuptię illarum, quæ ſuperſtite marito aliis nubunt, aut eo defuncto intra debitum luctui tempus protervè contrahunt. de talibus eſt ſermo Plutarcho. Et hactenus legum autoritate pro ſecundis nuptiis diſputavi. Jam exemplis & rationibus agam. Nonne poſt defunctam Saram Cethuram duxit magnę propaginis pater Abramus? Nonne Ruth Moabitis ſecundò nupſit Boozo regis Davidis proavo? & Abigail Nabalis uxor regio prophetæ, & Eſther Aſſuero Perſarum regi? quę nomina cum ſanctiſſima ſint, non eſt veriſimile, rem illicitam fœdamq; incœptaſſe. Quod ſi ab appetitu generationis conjugiſque primæ nuptiæ neceſſitatem accipiunt, cur non & ſecundæ? cum ſecundæ quoq; uxoris appetitus altè animis inſideat,

deat, nec fruſtra eſſe poſſit. Diſputatû pro primis nuptiis argumento, quod à ſexuum diverſitate ſumitur, quæ ad generationem non minus comparata eſt in ſecundò tertiòve quam primò nuptis. totus quoque & ſtupendus partium apparatus in mare feminaque etiam denuo nubentibus pro inſtrumentis eſt propagandi generis humani. Si bono utili movemur, etiam nuptiarum repetitio utiliſſima, tum ut Rebuſpublicis, familiis, Eccleſiiſque ſua maneat ab hominum perpetuitate incolumitas, tum ut mutuis officiis obſequiiſque conjux conjugem demereatur. Neque abeſt à ſecundis nuptiis honeſta voluptas. imò acrior hæc ſæpè eſt, cum minus afficiat inexperti boni fruitio, quàm experti. Quod ſi ad propagandæ virtutis memoriam attendimus, non minus avitas paternaſq; virtutes memorabunt ſecundâ tertiâq; conſuetudine nati, quàm primâ. Et ſi ob fornicationem unicuiq; viro ſua debet eſſe uxor, & vice verſa, cur non & in ſecundis idem valeat nuptiis, ubi idem malum metui poteſt? Quin imò ſecundas ego nuptias auſim magna probabilitate primis præferre. prudentiores quippe & ſapientiores ſecundò jungimur, quam primò. & nonne primam copulâ amoris ut plurimum inconſulti impetus conciliat, cum ſecunda rationem in conſilium admittat? nonne priore conjugio alter alterius vitiis ferendis non ſine lite & querimonia adſueſcit, quæ poſteriore fert lubentius cordatiuſque? nonne priore liberis gignendis impenſius operam damus, à qua non abeſt moleſtia & dolor & morborum genus multiplex, cum poſteriore liberorum potius educationi ſtudeamus, quàm generationi? Navitam laudamus, qui mare conſcendit & trajecit ſæpius. itidem & militem, qui in acie ſtetit & conflixit non ſemel. Dicam hęc carmine, ut gratior ſim:

Compeſce linguam livor, obloqui cave

Votis ſecundis tertiiſq; conjugum.
Si res amica, ſi jucunda, ſi bona eſt
Puella conjunx, cur vetas bona frui
Bis hac carentes? nubimuſq; & ducimus,
Ne fœda ſterilem vaſtitas mundum voret.
At hoc cavemus bis quaterve conjuges.
Bis æde Cypri, bis ſtetiſſe ſub Papho,
Bis vulnerari, ter medullitus peti,
Ter igne carpi Romulæ poſſunt nurus,
Et cœlibatus neſcii Graiûm patres.
Si ſuave rident liberi, ſi penduli
In ore matris luſitant tenerrimæ,
In ore patris vagiunt tenerrimi:
Quis eſſe tales deneget ter conjugi?
Non flamma, peſtis, non procella liberis
Conjux modeſta eſt. non penatibus faces
Immittit atrox, cui noverca perplacet.
Noverca nulla eſt, quę marito condolet.
Noverca nulla eſt, orphanis quę ſubgemit.
Noverca nulla eſt, quę mariti baſiis
Placidè fovetur. ſunt amabiles thori,
Placabileſque, neſciæque litium,
Et jurgiorum, cum leves cunæ rotant
Litis ſequeſtrum pondus & pacis vadem.
Primos amoris impetus ciet furor,
Ratio ſecundos. prima fax dementiæ eſt,
Sequens malorum conſciæ prudentiæ.
Quin prima amantum ſtudia ſunt diſcentium,
Et neſcientum conjugî duras vices.
Hęc ſcit ſecundò Sponſa. quis rebus modus,
Quæ vis amori, quę fides, quę gratia,
Quid expetendum, quid cavendum mutuò.
Si vidua turtur nuptias odit novas,
At optat illas Leſbiæ paſſerculus.

Soles redire cernimuſq́, & occuli.
Cur non amantes? ſolitudo peſſima eſt.
Cur non Creuſæ, poſt maritales rogos?
Vagos amores odimus. ſed & viri
Facti ſecundò tertiòque. plus amant,
Experti amoris verba, rem, dulcedinem,
Et quicquid hic eſt ſeſami & papaveris.
Non ille Tiphys, qui ratem ſemel mari
Committere auſus, ſed frequentius, fuit.
Non Hector audit, qui ſemel vaginula
Diſtrinxit enſem. ſæpè miles militat,
Et enſe crebrò hoſtile perforat latus.

ZVLECH. Malim te hęc heroicè dixiſſe, & quaſi è cothurno.

BARL. Dicam. nec enim ad Jambos deflecto, niſi novitatis cauſa:

Cur noceat bis adire Paphum, bis templa Diones,
Bis molles adamaſſe Deos? ſi femina res eſt
Optima, cur pudor eſt iterum arriſiſſe maritæ,
Nec ſimplex voluiſſe bonum? repetita probantur,
Quę bona ſunt, vacuiq́ gravis poſſeſſio lecti eſt.
Quem privat conſorte Deus, cui dulce cubili
Pondus abeſt laterìſque comes dulciſſima ceſſit,
Sperat amans aliam, veteriſq́ incendia flammæ
Sentit, & aſſueto nova pabula quęrit amori.
Antè oculos ſtant prima thori. ſtant baſia, riſus,
Et, quibus antè viri, rurſum complexibus arctè
Abdimur, & memorem recreat Venus altera mentem.
Hoc Grajæ fecere nurus, patreſq́ togati
In thalamos venere iterum. poſt funera prolis
Spes alias Erycina facit, gaudetq́ renaſci
Poſt cineres redivivus amor, viduoq́ potentes
Accendit ſub corde faces. plus urget egeſtas
Felices olim, & ſaturis afflictius inſtat
Atra fames, cœliq́ favor bis plaudit amanti.

Vin-

Vindicat occaſum lampas Phœbæa, novoque
Lumine demerſæ reparat diſpendia flammæ,
Et Sponſus vult eſſe recens, populiſq́ videri
Lætior, & ſponſam radiis circundare terram.

ZVLECH. Si & honeſtã rem & jucundam & utilem putas nuptiarum repetitionem, cur Juris autores pœnas decernunt ſecundò tertiòve contrahentibus? quales hæ ſunt: quod infames habeantur: quod non poſſint nomine dotis,aliove quovis titulo, plus in maritum ſecundum conferre, quàm tertiam partem bonorum ſuorum, etiamſi improles ſint ex priore conjugio: quod ab hæreditate omnis extranei ſecludantur: quod iis omnibus bonis excidant, quæ defuncti mariti facilitate ei obvenerunt.

BARL. Non decernuntur pœnæ ſecundis nuptiis, ſed immaturis & intempeſtivis, à quibus decor, honeſtas & debita priori thalamo reverentia abeſt.

ZVLECH. Non poteſt non liberis nocere pater, qui novercam priori ſuperinducit. Scitè Seneca, *Nulli non magno ſtetit & bona noverca.* Menandri ſententia eſt: *Nullum malum majus noverca.* Charondas legiſlator lege cavit, ut à Senatu moveretur, qui ad ſecunda vota tranſit. putabat utique vir ſapientiſſimus, non benè conſulturum patriæ, qui familiæ malè conſuluiſſet. Nec minus liberorum damno nubit ſecundò mater. quippe novi amoris capta illecebris, præſenti marito non ſolum filiorum res, ſed & vitam addicit.

BARL. Ego contra patrem vel matrem prodeſſe ſæpenumero liberis novis nuptiis aſſevero. preſertim, ſi conjugum alteruter opimiore ſit ſorte, & alterius indigentiam poſſit ſublevare. Clamat res,humanitatis & benevolentiæ officiis expugnari hodie vel viri vel conjugis improlis liberalitatem, & in partem bonorum venire ſuperſtitem, liberorum ſuorũ commodo, ſi quos ex priore habet matrimo-

trimonio. Quod ſi ambo prole donati novo thalamo jungantur, poteſt pater opulentior digniorque liberis, ſolo conjugio ſuis, opitulari, conſilio, opibuſq; ſubvenire,& liberalius illos habere, ſine liberorum ſuorum inſigni & manifeſta injuria. Adſunt ad manum exempla laudatiſſimarum conjugum, quarum fides, comitas, ſtudium, beneficentia erga privignos & privignas eximia & excellens eſt. Si conjugiis accidunt caſus minus fauſti & ſucceſſus non undequaq; felices, ſanè accidunt etiam iiſdem caſus proſperrimi & ſuprà votum ſecundi. ut non magis me deterreat metus conjugis malæ, quàm erigat ſpes bonę. Malè quibuſdam evenerint ſecundæ, modò ſint, qui ſibi ob ſecundas gratulantur. Nec movet me Menander. Comicus fuit, quorum proprium eſt in novercas inſurgere, ut populo fabula placeat. Ratio, quę Charondam impulit, ut legem iſtam ferret, ſingulos ſpectat. Nihil vetat ſecundò conjuges & reip. benè conſulere & familiæ. nulla neceſſitate diſtrahuntur, quæ ſubordinari amant. Non omnis noverca mala. aliàs fruſtra addidiſſet ingenioſiſſimus Maro: *Eſt mihi namq; domi pater, eſt injuſta noverca.* Cur injuſtam diceret, niſi daretur juſta? quin efficit conceptum vulgo in novercas odium, ut honeſtiores ſummo annitantur ſtudio ſe maritis liberiſq; quantumvis non ſuis, probare, & receptæ calumniæ injuriã exprobrare.

Zvlech. Novercas laudabiles candidas cornices vocant.

Barl. Rara cariſſima habemus. nec faſtidimus ob hoc, quia rara ſunt & minus obvia. quis cibos negliget, quia corrupti dantur? aut aquam bibere abſtinebit, quia non omnes æquè limpidæ & puræ?

Zvlech. At, quantum illud incommodum, liberos ex ſecundo tertiove conjugio genitos, à parentum cura & educatione citò deſtitui, ob ætatem & ſenium.

Barl. Non deſtituuntur

tur à Deo, orphanorum ſupremo & ſerio curatore, non ab amicis, magiſtratu, tutoribus.

ZVLECH. Senecam graviſſimum autorem audi: *Habent locum maledicti crebrę nuptiæ. quæ multis nubit, multis non placet.*

BARL. Familiare eſt Senecæ, res maximas minutiſſimis ſententiis frangere. dum ludit acuminibus, optimos ſenſus elidit. cur quæ multis ſucceſſivè nubit, multis non placet? nam ut mortuis placeat, quis requirat? & ut vivis olim maritis plaucuerit, non impedit novi mariti amor. plus acuminis habebit ſententia, ſi dicam, *Habent locum benedicti crebræ nuptiæ. nam quę multis nubit, multis placet.*

ZVLECH. At Martia Catonis filia, rogata quam ob cauſam poſt mariti mortem alteri non nuberet, reſpondit: *quia virum non facilè invenero, qui me magis velit, quàm mea.* noluit matrona caſtiſſima probare conjugium, quod mutuo careret amore. Quæ enim dotis cauſa nubit viro, concubina verius, quàm marita habetur.

BARL. Puto Martiam iſtam in Veneris caſtris minus fuiſſe Martiam, & ſe continere potuiſſe. ideoq; aptiorem fuiſſe fabricandis ſententiis, quàm liberis. At ego huic Martiæ oppōnam Barbarę Imperatricis, Sigiſmundi Cæſaris uxoris, elegantius & facetius dictum. Cum enim ipſam hortaretur inſignis gravitate vir, ut turturis viduæ exemplum imitaretur, quæ mortuo compare non nubit denuo. *Si me*, inquit, *volucres ratione carentes imitari vis, cur non paſſerculos me & columbas imitari jubes, quę repetitis non ſemel nuptiis gaudent?* Digna profectò ob hoc reſponſum, quæ feliciſſimè nupſerit.

ZVLECH. Nonne Portia, cum diutius lugeret maritum, rogata, *quem eſſet habitura diem luctus ultimum*, reſpondit, *quem & vitę?*

BARL. Et hæc de Martiarum fuit genere. moleſta Portię fuit pituita, quę Cupidineam flāmmulam obtundit. Vellem familiarem il-

illam fuiſſe Barbaræ Imperatrici. mollior fuiſſet & minus ſevera.

Zvlech. Annia ab amicis monita, ut defuncto marito alteri nuberet, cum ætas adhuc eſſet integra & forma præſtantiſſima, quorum alterum ſpem præberet prolis, alterum mutuum amorem promitteret: *Nullo*, inquit, *pacto hoc factura ſum. Si enim bono viro nupſero, metuam iterum, ne amittam: ſin verò malo; demens fuero quę, poſt optimum, talem admiſerim.*

Barl. Retorquebo in Anniam dilemma ſuum. Si bono viro nupſeris Annia, bis habeberis beata. Si malo, obſequere tu & adblandire, ne malus ultrà ſit. Et cur non malum metuebas, cum primò nuberes? Si bono, laudis fuerit bono inſiſtere. Si malo, apud Stoicos hoc ipſo beatior eris, quod materiam patientiæ, manſuetudinis, comitatis & urbanitatis nacta ſis.

Zvlech. Quàm illud affectus plenum Valeriæ reſponſum, quæ interrogata, quam ob cauſam defuncto Servio marito nulli nubere vellet. Ideò inquit, hoc facio, *quia Servius meus, licet aliis defunctus ſit, apud me etiamnum vivit vivetque ſemper.*

Barl. Ego Valerias tales plures eſſe nego. vix ex viduarū millibus unam reperiat conſultus Apollo. Didicere noſtrę, mulierem non eſſe alligatam viro, poſt ejus deceſſum. nec vivere vitam hominis maritos, niſi cum corporibus. animæ immortalitas cogitantium ſolatium eſt, non cubantium. nec immeritò dubitaverit quis, an non, cum tam graviter loqueretur Valeria, malè valuerit. certè ſplenetica fuiſſe videri poſſit, cui mortui mariti pernox memoria, ad vitę felicitatem, ſuffecerit.

Zvlech. An ignoras tu, quantis odiis privignos perſequantur novercæ? quàm malè audiverint ſemper & *Omnibus in terris, quę ſunt à Gadibus uſque Auroram?* ut proverbio huic locum dederint, *Novercale odium*. Si neſcis, lege Epigramma Græcum, cum primis acutum & mordax.

Στή-

Στήλην μητρυιῆς μικρὰν λίθον ἔστεφε κοῦρος.
Ὡς βίον ἠλλάχθαι, καὶ τρόπον οἰόμενος.
Η δέ τάφῳ κλιθεῖσα κατέκτανε παῖδα πεσοῦσα.
Φεύγετε μητρυιῆς καὶ τάφον οἱ πρόγονοι.

Marmoreę puer ut ſuſpendit ſerta novercę,
Mutaſſe ut vitam, ſic ratus ingenium :
Extinguit puerum caſu delapſa . novercę ,
Privigni , exanimem vel tumulum fugite .

Etiam illud Euripidis in Alceſtide :

Ἐχθρὰ γὰρ ἡ 'πιοῦσα μητρυιὰ τέκνοις
Τοῖς πρόσθ', ἐχίδνης οὐδὲν ἠπιωτέρα.

Hoſtis noverca eſt liberis prioribus ,
Nihiloq; mitior nocente vipera .

BARL. Adde & illud vel proverbium vel maleverbium : *Flet, tanquam ad novercę tumulum*. Verùm, Nobiliſſime Hugeni, non ſunt hæc oracula è tripode profecta, nec propoſitiones καθόλου. Dari immodeſtas, efferas novercas, non inficior. Sunt in hoc etiam genere leænæ & urſę & tigrides. Sint quędam viperis & baſiliſcis nocentiores, dummodo dentur manſuetæ, probæ, faciles, quę veris matribus fide & amore in privignos nequicquam concedunt. Et fiunt ſæpenumero malæ novercæ ac difficiles, non ſua, ſed liberorum laſcivientium aut irreverentius eas habentium culpa. Eſt etiam Poëtis, præſertim Comicis, familiare, nigro carbone notare ipſam virtutem. mordent immeritos, adulantur indignis, laudant vituperanda, vituperant laudanda, ut ingenii potius ſui in omnes formas verſatilis, quàm veracitatis documentum præbeant. Nec poteſt non in novercas detonare orcheſtra, ut afficiatur auditor rei vulgò odioſæ execratione. verum hic tragicus furor & bac-

bacchantis Phædræ oratio rationem pervertit & ſanam mentem.

ZVLECH. Animam defuncti mariti contriſtat,quæ ſecundò nubit, ait Novella XXII. cap. XLIII.

BARL. Non contriſtat, quod ſuperſtes ſecundas nuptias contrahat; ſed quia retinere cupit mulier, quod ipſi maritus, ſub hac conditione, *ſi non ſecundò nupſerit*, reliquit. De his diſertè agit Novella. Nec ego illam triſtitiam defuncti ob novas nuptias magni fecero, cum nulla ſit.

Id cinerem & manes credis curare ſepultos?

ZVLECH. Qui ex primo conjugio prolem habens ſuperinducit novercam, ſuis manibus in domum ſuam faces incendiumq; mittit, ait Petrarcha. & duriſſimi eſſe oris affirmat, quibus ut domentur & frenentur, opus eſt altera conjuge. & neſcio,cujus illud ſit poëtæ:

Qui capit uxorem, defuncta uxore, ſecundam,
Naufragus in medio bis natat ille freto.

BARL. Et hæc in odium & invidiam rei bonæ,honeſtæ,licitæ conficta ſunt. Superinducatur priori uxor pia,humilis,placida,non faces illa in domum immittet, ſed pacificam olivam, non turbas dabit, ſed lenitate componet; liberis prioribus in exemplũ vivet, in partem domeſticæ curæ admittet, formabit à teneris, &, ut quæ à chariſſimis dono accepimus, ſervamus ſtudioſius; ita & liberos, quos non genuit, ſed mariti beneficio accepit, diliget religioſius.

ZVLECH. Nonne tu liberos ex priore conjugio habes, Barlæe, ſeptem, quot ſunt cœlo planetæ, & Nilo oſtia? & inter hoſce nonne adultiores filiæ domum curant,ut ſuã, tua ut ſua? ætas adhęc tibi ea,ut omnino deferbuiſſe videri poſſis. nulli factorum rationem reddis, totus αὐτοκράτωρ es & in regno tuo αὐτεξούσιος. liberis inſtar imperatoris, Dei gratia, imperas, & ut alibi cecinisti:

His leges, his jura legis. Sic Cæſaris umbram
Sic ſpeciem auguſti conſpicis imperii.

Amicos inviſis, & inviſeris, nec inviſus ob hoc es. nec quæ de abſentia tua queratur, invenis domi. conviviis & feſtis nuptialibus crebrò interes, quia unus cum ſis, numerū non facis, & locum vix imples, cum uxorato latius ſedendum ſit: dormis ſuaviter in vacuo cubili, nec turbant dormientē vel quæ à latere eſt domina, vel ex ubere dependens infans, vel in cunis ad ravim uſq; vociferans. edis, bibis ad nutum, & quod lubet & quantum lubet. veſtiris novo fluxoq; ſeculi more, cum uxores veteri inſiſtant & minus precioſæ conſuetudini. convivam ſubinde advocas; nec eſt quæ frontem corruget.

O fortunatum nimium, tua ſi bona noris.

Levis fortè & momentaneę voluptatis memoria te lancinat, quam ſi cum incommodorum mole & numero compares, mirabor, ſi deſipere & inſanire denuo tibi libebit.

BARL. Mutas, Zulechemi, diſputationis ſtatum. à theſi ad hypotheſin deſcendis. Ego pro nuptiis ſecundis dixi in univerſum. Me quod attinet, nec averſor illas, nec expeto valde. *Nunc rapit invitum nova vis, aliudq; cupido, Mens aliud ſuadet.* nec lapis ſum, nec naphta. poſſum affici amator, nondum effici. Steti non ſemel inter ignem hunc & hanc, dubius quò me verterem. Cum me cogito, poſſem dicere:

Sola hæc inflexit ſenſus animumq; labantem
Impulit.

Cum ad liberos reſpicio, arctiſſimo mihi amore junctos, erumpo in hæc verba: *Sed migi vel tellus optē, &c.* & cum conjugis dulciſſima ſubit recordatio, eloquor hoc:

Illa meos, primum quæ me ſibi junxit, amores
Abſtulit, illa habeat ſecum claudatq; ſepulchro.

Similis ſum mercatoribus, qui, cum opum ſunt ſaturi, ſine periculo mercari amant, nec niſi cum certa afful-

fulget lucri ſpes, mercimonium faciunt. Similis ſum aucupi, cui ob unius macilentioris fringillę capturam non vacat concutere retia. etiam piſcatori, qui ſquillas aut apuas non ſectatur, ſed aſellos, & cyprinos & lucios. Intereà dum in magnæ dotis ſum expectatione, nec, quod ego volo, vult illa, labuntur anni & tacitè ſeneſco & frigeſco. Quod de voluptate ſubiicis, non ſum is, qui tantillæ rei cauſa, cupiam pœnitere. Adhæc exemplis valde moveor, præſertim tuo. nec video cauſam, cur non poſſim pari tecum fortitudine & conſtantia eſſe mei victor.

ZVLECH. Si me vis prę-euntem ſequi, pro uxore tibi erunt liberi, libri atq; libertas. hæc ſi dilexeris, non eris ſolus. nec gravem experieris novercam, nec ad infantum deſuetos ingemiſces vagitus, nec inter ſexagenariæ cujuſdam aut effœtæ conjugis ſuſpiria ac tuſſes mœſtam trahes vitam.

BARL. Quò fata trahent retrahentq; ſequemur.

DIALOGVS,

Cujus argumentum,

An formoſa ſit ducenda,

Et quidem ob formam.

Collocutores,

CATSIVS, BARLÆVS.

CATSIVS.

IAm Dordraci es, Barlæe, & ex urbe ſpacioſiſſima in minorem tranſiiſti. minorem, inquam, non dignitate, prima enim in Hollandiæ Conſeſſu loquitur, ſed pomœriis, opibus & civium numero.

BARL. Vixi hic olim, vir præſtantiſſime, cum puer eſſem & prima literarum tyrocinia feci, ſub Marcello & Rekenario præceptoribus. Syndici tum dignitate fungebatur Berckius, vir ſingulari prudentia poſtea apud Venetos legatione perfunctus. Florebat ea tempeſtate civitas, exterarum mercium luculenta apportatione, quę ab Eburonibus, Tungris, Ubiis, Sicambris huc deferebantur. Vidi repletos portus navigiis longis pandiſq; quæ ferrum, ligna, calcem, marmorum ingentes moles & omnis generis fructuum incredibilem vim habebant. Vini Rhenenſis immanibus doliis ſtratæ erant plateæ, & meſſem Palatinam, Deliacam ac Moguntiacam redolebat tota urbs, uti Moluccarum & Perſarum civitas noſtra. Iam omnia retrò ſublapſa videntur, & longè infra priſtinum ſplendorem ſtare.

CATS. Uti magna flumina minora abſorbent, etiam nos abſorpſit vicinarum urbium ſuccreſcens felicitas, & per alias vias tranſvehen-

hendi merces ſolertia. Verum, nihil tibi ex tam longo tempore ſtabile fixumq́; in urbe hac videtur?

BARL. Unum.

CATS. Quid illud?

BARL. Hoc ipſum, quod bonum fragile dicimus, quantumq́; accedit ad annos, fit minus & ſpacio carpitur uſq́; ſuò.

CATS. Formam innuis?

BARL. Imò formam, ſed non urbis, non ædium, non mœniorum aut portuum, licet & hæc conſpicua ſatis ſint & decora, ſed puellarum, virginum & matronarum. Habent ſingulæ ferè Hollandiæ urbes excellens quid ac propriũ. Delpham cereviſiæ, Leidam olera, Goudam caſei annona, Harlemum textrinæ, Roterodamum halecum captura, at Dordracum matrum virginumq́; pulchritudo inter Batavas celebrem fecere. Nec hac parte mutatam video urbem, ſed conſtare ſibi in hunc uſque diem. Conſpexi exeuntium è templo & venientium à concione mulierum grande ſyrma. Videbar mihi videre Danäen ſociam ire Agariſtę & Æglę Naiadum pulcherrimæ, Amaryllidem Phialæ, Antiopam Hermionę, Ariadnam Atalantæ, Hippodamiąm Hypſiphylæ, & Laodamiæ. Et, ne ſacra nomina ſileam, incedebant cum Rebeccis Saræ, cum Rachele Nöemi aliqua, cum Abigaele Barſabea, cum Eſthera Iobi filiæ. Putabam me in Chalcide, aut Tenedo eſſe, ubi pulchrarum mulierum abundè eſt. Omnes Senenſes eſſe dixiſſes. quales inter Italas præcellunt. Nec mirabar valde, cum per traducem eat forma, virtus minus, eruditio minus. pendet enim à corporum temperie & primarum qualitatum mixtione hoc ipſum, quod pulchritudinem vocamus.

CATS. At ego miror, te ex tam eleganti urbe & puellarum ſelectiſſimarũ metropoli huc delatum, ad formas reſpicere, & non potius ad domos ſtructuras veteres, templa, Conſulis eminentiam, & Romanæ gentis veſtigia plurima.

 BARL.

Barl. Templorum Amſtelodami & ædium ſplendidarum, portuum etiam & aquarum ſatis eſt. At formarum elegantiam & benè compoſitos ſequioris ſexus vultus deſidero. Et, ut ut ſint pulcherrimæ, rariores tamen ſunt. Non ignoras, maxime Catſi, me viduum eſſe, proh dolor, & pati poſſe non deformis conjugis adſpectum.

Cats. Chordam moves valde oportunam meditationibus meis. Scripſi nuptias Iacobi patriarchæ bigami. ad illam diſſertationem libuit quærere, *An formoſa ſit ducenda, & quidem ob formam*, cum Iacobus dicatur amaſſe Rachelem, quod formoſa eſſet.

Barl. Multa ſunt, quæ amanti delectum imperant. cur hunc præ illo, hanc præ illa amemus. Et voluit ſapientiſſimus Deus, cum in amoribus humani generis ſpem poſuiſſet, exſtare irritamenta amandi in viris feminiſque, ne negligeretur aut lentius ageretur pôſteritatis cauſa. Etenim, hunc virtus ſua & indolis probitas amabilem facit, quæ, cum oculis conſpicitur, incredibilem ſui gignit amorem. Hanc nobilitas conciliat & grande ſupercilium, quale Corneliæ fuit Gracchorum matri, magnos pro dote triumphos numeranti. Aliam ut amemus, opum facit fulgor, pictai veſtis & auri. Eſt & illecebra amoris verecundus pudor, genuina virtutis tinctura, & permixtus illi lepor. Non ego illam, inquit Plautus, mihi dotem duco, quæ dos dicitur, ſed pudicitiam & pudorem & ſedatam cupidinem. Et quæ ſit facundiæ in amore vis, Cleopatrę exemplum docet, quę non Antonium modo, ſed & Cæſarem eloquentiæ ſuæ mellitis globulis in amorem ſui pertraxit. Comitatis quoq;, & venunſtatis & gratiæ incredibilis vis. trahimur blandimentis, verborum myrothecio, & ſeſamo aſperſis ſermonibus. Aliis ſapientia placet, & prudens oratio, & ad omnem gravitatē compoſiti mores. quibuſdam morum ſimilitudo pro

pro glutino eſt. Inter has amoris illecebras non minima eſt forma, vultuſq́; ac corporis totius recta habitudo. Verum priuſquam ad quæſtionem tuam reſpondeam, illud diſquiri velim, quid forma ſit, & quæ pulchra, quiſve dicendus ſit pulcher.

Cats. Hæc tui fori ſunt, Barlæe. Eſt enim forma de rerum genere, & inter qualitates, ut accepi puer, quarta. Etiam Phyſicus nil niſi formas loquitur & crepat. Quare ex te audire velim, quid ſit forma & pulchritudo, & num bonorum numero accenſeri debeat.

Barl. Inter macilentas ideas verſor, cum de Vniverſalibus rerum generibus, quæ decem ab Archyta Tarentino numerantur, verba facio. Verum, dum in hoc circo ſum, non ſine voluptate aliqua de Forma diſſerere ſoleo, quæ ſub Qualitatis vexillo militat. Hæc ipſa non eſt ex earum rerum numero, quæ ſimplici eſſentia abſolvuntur, ut albedo, nigredo, calor, frigus, verùm res eſt ex plurium concurſu reſultans, nempe ex quantitatis varia determinatione & qualitate. à quantitatis varia circumſcriptione & terminis, figura eſt cujuſque corporis, ſive partium συμμετρία & debita proportio. à qualitate color eſt, & grata eorum in partibus, præſertim vultu, mixtio. utraq́; formam & pulchritudinem abſolvit. nec enim abeſſe ab altera altera poteſt. Non erit pulcher, qui diſtortis eſt membris, aut peccantibus nimia longitudine, brevitate, latitudine, vel ſitu, duricie, mollicie, pinguedine, macie; quantumvis faciem pingant colores ſpecioſiſſimi. Nec erit quoq́; pulcher, cui vultum deturpant, maculæ, aut lemæ in oculis, aut colores lividi, & luridi, & cadaveroſi, etiamſi ad Geometricam normam membra omnia exegerit natura. Sed concurrere illa duo ad formam neceſſe eſt, primò partium omnium dimenſionem optimam, & colorum mixturam gratiſſimam. illam figu-

ram, hanc propriè formam, levi rerum diſtinctione, vocant Dialectici. Figuræ vitio deformis habitus fuit Socrates, ut qui ſimis erat naribus, piloſis humeris, & repandis cruribus; deformis Epictetus claudicans, & Cyclops monoculus, & Zeuſippus cervice curva, Aratus panda, Zeno fronte contracta, Epicurus cute diſtenta, Diogenes barba comante, Ariſtoteles brachio exerto, Xenocrates crure collecto. Ob eandem cauſam longè à pulchro abfuit Heraclitus, oculis fletu clauſis, Democritus labris riſu apertis, Chryſippus digitis propter numerorum judicia conſtrictis, Euclides propter menſurarum ſpatia laxatis, Cleanthes propter utrumq; corroſis. Et ne philoſophos omnes ac ſolos deformes putes, accenſe his Galbam imperatorem gibboſum, & Pipinum parvum & ipſum Vulcanum loripedem. Formæ autem vicio, aut potius figuræ & formæ, deformes habiti Æſopus Phrygiæ fabulator, nigerrimus, unde & illi nomen. nam Æſopus & Æthiops idem ferè ſunt. etiam Hipponax vultu fœdiſſimo, & Therſites celebratæ ab Homero deformitatis, & Bilbilici vatis Zoilus, crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læſus. Adde Philænin ejuſdem, de qua canit:

Cur non baſio te Philæni? calva es.
Cur non baſio te Philæni? rufa es.
Cur non baſio te Philæni? luſca es.

Etiam Vetuſtillæ deformitatem pingit vel fingit, libro tertio Epigr. cui tres fuiſſe dentes ait, tres capillos, pectus cicadæ, crus formicæ, rugoſam frontem, mammas aranearum caſſibus pares, os rictibus crocodilo ſimile, cantum, qualis ranarum eſt vel culicum, noctuæ viſum, hirci fætorē, præter alias inhoneſtas deformitatis notas. Contra, ob partium omnium ἀναλογίαν & colorum venuſtatem, formoſi, fuere: Alcibiades, Bellerophon, Nereus, Hippolytus Virbius, Gyges

Gni-

Gnidius, Lauſus apud Maronem, Lycus apud Flaccum, Narciſſus apud Naſonem, Paris & Phaon, etiam Phædrus Socrati & Platoni familiaris, Pyramus, aliiq; In feminarum verò ordine, Paſiphäe, Berenice, Briſeis, Erſilia Romuli uxor, Virginia, Arſinöe, Caſſandra, Clælia, Ilia & aliæ propè infinitæ. Et hæc, de qua loquor, forma, in bonorum ordine eſt, ut ut obmurmuret Stoa. Dicam ſubtiliſſima & quæ Peripatum ſapiunt. Inter res forma eſt. at quicquid eſt rerum, à Deo creatum vel creatis rebus concreatum eſt. ſi hoc, ergò bonum. nec enim à bonorũ fonte malum proficiſci poteſt. ideo Metaphyſici rem & bonum converti dicunt, nec alterum ab altero unquam relinqui. deinde, appetibilis eſt pulchritudo; at nihil tale, niſi bonum. deformitatem averſamur. quare? quia mala eſt, & minus conveniens nobis. Et quid quæſo eſt, quod homo maſculus libentius adſpectet, quàm bellam uxorem? Eſt inter illa bona, quæ ſi beatitudinem non conſtituunt, valdè tamē illuſtrant & conſpicuam faciunt. Et fuit apud omnes gentes magnũ ſemper formæ precium & momentum. Ideò Stagirites philoſophus dixiſſe fertur: pulchritudine magis, quàm epiſtola commendari homines. Nec temerè ſapientiæ pater Homerus Hectorem & Achillem, à virtutibus bellicis illuſtres, formoſiſſimos facit. quin & ipſe Plato librum περὶ τοῦ καλοῦ Phædro ſuo inſcripſit. Et cum gratior ſit pulchro veniens è corpore virtus, miraq; ſuavitate perfundat ea omnia, quæ vel facimus vel dicimus quotidie; cumque ſignum eſſe ſoleat elegantioris animi, corporis habitus elegantior, quis è bonorum cenſu formam expungat? præſertim cum inter benedictiones divinas ſit, & præmium virtutis ſapientiæque. Etenim facilè à Deo rex Salomon formam, divitias gloriamque impetravit, poſtquã ſapientiam ab ipſo

petiviſſet. Euripideum eſt: εἶδος μὲν ἐστιν ἄξιον τυραννίδος, *forma decet regem.* Nec illud ſilentio prętereundum, hoc bonum, uti & alia omnia, in comparatione & relatione ad aliud bonum eſſe. nec enim bonum utile omnibus tale eſt. nec jucundum omnes afficit, nec honeſtas quælibet quoſvis decet. neq; forma eadem omnibus probatur. quod uni arridet, ut pulchrum, diſplicet alteri. diſcrepant inter ſe etiam rigidiſſimi formarum cenſores. & ſua cuique placet Helena. Cæcutit quoq; amor, nec deformem putat, quam amat impenſius. alius mollicellulam, alius gracilem, hic longioris, ille brevioris ſtaturæ amaſiam præfert. quidam candidam, quidam rubentem, alii auricomam expetunt. eſt qui lata fronte, eſt qui tenui fronte Lycorida laudat. Nec tamen diffiteor, facere ad exactiſſimam formam multa, in quibus convenimus omnes, ſive de viri forma pronunciandum ſit matribus, ſive de muliebri viris. Illud certū, populorum gentiumque judicia in multis diſſentire, & aliud Græcis, aliud Romanis, aliud Italis vel Hiſpanis, aliud noſtratibus pulchrum videri. ut difficile ſit una & immobili definitione circumſcribere formā. Hujus ideam aliquis ita depingit, ut exigat frontem tenuem; ſupercilium, quale Jovem olim habuiſſe credidit Homerus, cœruleum: oculos nigerrimos: crines ſumma ſui parte aureolos, ſed qui infra ſupercilio, ſi non reſpondent planè, aliquantulum accedunt tamen, quales in Bathyllo ſuo eſſe voluit Anacreon: candorem exquiſitum, ſed quem rubor iſte virginalis, genarum ille pictor, illuſtret potius, quàm pingat: os anguſtum, quod rubente utrinq; labellorum purpura diſtinctum, dentium quoque candorem plurimum commendet: nares ſurſum leniter inflexas, ſed quæ à Socraticis quàm plurimum recedant: veſcum corpuſculum, & tamen ſolidum

lidum ac ſucci plenũ, quod nec mole carnis amplectentem oneret, neque exhauſtum magna ſui parte offendat: papillas autem parvas quidem illas, & quæ orbe modico cohibeantur, inſtar verò marmoris, ut vetus Poëta loquitur, conſiſtant. Æneas Sylvius Lucretiæ formam paulo aliter effert. Statura mulieris eminentior reliquis: comæ illi copioſæ & aureis laminis ſimiles, quas non, more virginum, retrorſum miſerat, ſed auro gemmiſq; incluſerat: frons alta ſpatiiq; decentis, nulla infecta ruga: ſupercilia in arcum tenſa, pilis paucis nigriſq; debito intervallo diſiuncta: oculi tanto ſplendore nitentes, ut, in Solis modum, reſpicientium intuitus hebetarent. his illa & occidere, quem voluit, poterat, & mortuos, cum libuiſſet, in vitam revocare: naſus in filum directus roſeas genas æquali menſura diſcriminabat. nihil his genis amabilius, nihilq; delectabilius viſu; quæ, cum mulier riſit, in parvam utrinque dehiſcebant foveam. nemo has vidit, qui oſculari non cuperet. os parvum decẽſq;, labia corallini coloris ad morſum aptiſſima: dentes parvuli & in ordinem diſpoſiti ex cryſtallo videbantur: tremula lingua diſcurrens, non ſermonem, ſed harmoniam ſuaviſſimam movebat: quid dicam menti ſpeciem & gulæ candorem? nihil in illo corpore non laudabile. Interioris formæ indicium faciebat exterior. nemo hanc adſpexit, qui viro non invideret. Erant inſuper in ejus ore multæ facetiæ: ſermo is fuit, qualem rumor eſt Gracchorum matrẽ habuiſſe Corneliam, nec ſuavius aliquid ejus oratione, nec modeſtius fuit. Non, ut pleræq;, triſti facie honeſtatem oſtendebat, ſed alacri vultu modeſtiam: non timida, non audax, ſed temperatum verecundiæ motu virilem animũ femineo in corde gerebat. Veſtes illi multiplices erant, non monilia, non fibulæ, non armillæ deerant: redimicula capitis mirifica: multi uniones adaman-

man-

manteſque tum in digitis, tum in ſerto fuere. Non Helenam pulchriorem fuiſſe crediderim, quo die Paridē in convivium excepit Menelaus: nec ornatiorem Andromachen, cum Hectoris nuptiis initiata eſt. Celeberrimus iſte elegantiarum ſub Nerone arbiter, Petronius, in ſatyrico ſuo mulierem depingit, omnibus ſimulachris emendatiorem. Nulla vox eſt, inquit, quæ formam ejus poſſit comprehendere. nam quidquid dixero, minus erit. Crines ingenio ſuo flexi, per totos ſe humeros effuderant: frons minima, & quæ radices capillorum retrò flexerat: ſupercilia uſq; ad malarum ſcripturam currentia, & rurſum confinio luminum penè permixta: oculi clariores ſtellis extra lunam fulgentibus, nares paululum inflexæ, & oſculum, quale Praxiteles habere Dianam credidit. Jam mentum, jam cervix, jam manus, jam pedum candor, intra auri gracile vinculum poſitus, Parium marmor exſtinxerat. inceſſus compoſitus, & ne veſtigia quidem extra menſuram aberrantia. Atque ex his liquidò videre eſt, plurium rerum concurſu abſolvi pulchritudinem, unius alteriuſve defectu deformitatem naſci.

CATS. Raro iſtam formæ omnimodam perfectionem reperias. imaginatione illam aſſequi licet, dare non item. deſcribit poëtam Horatius, oratorem Cicero, ſed tales reperias nuſquam, niſi forte in Platonis intermundiis, ubi Ideę habitant. Gradus pulchri agnoſco. nec deformis ſtatim, quæ non omnibus numeris formoſa exiſtit. Sed, quid ſi formoſa tibi obtingat, an ob formam eam ducendam putares?

BARL. Omninò, cæteris paribus.

CATS. At quæ illa cætera?

BARL. Virtus, opes honeſtæ, familia, valetudo. non velim formoſam & improbam; non formoſam & Bauce pauperiorem, non formoſam & mariſcis aut Neapolitanis ulcuſculis laboran-

borantem; non formoſam & patris ſuſpendio claram.

CATS. Sed, ſi honeſtam exactiſſimiſq; moribus nanciſci poſſes, & vegetam & bonis prognatam, patereriſne te à forma pellici, eam ut duceres, alias eam relicturus, ſi formoſa non eſſet, ſed deformis?

BAKL. Omninò. & ratio in promptu eſt. quia non fruſtrà, ſed grandi conſilio magniſq; de cauſis formam corporiſq; decorem homini conceſſit mundi opifex. Et cum ſingula amemus bona diſtinctè, cur non eam amemus magis, quæ pluribus abundat? Claudiani eſt: *nam quæ faciunt diviſa beatos, In te miſta fluunt.* Eſt ſuum ſingulis ſenſibus bonum, ſua voluptas. Aures demulcet cantus harmonicus, linguam ſapor delicatior pertentat, odoratui blanditias faciunt pigmenta & balſama, tactus ſuas quoq; voluptates habet. At oculos forma faſcinat & pulcherrimorum viri feminæve conſpectus. Ideò quicquid elegans & ſpecioſum in picturis, ſtatuis, imaginibus veterum noviſq;, in horologiis, conchyliis, floribus, veſtibuſq; apparet, ſuſpicimus & admiramur. Et profectò maximum eſt honeſtæ voluptatis autoramentum pulchritudo. quæ tanta efficacia animos percellit, ut inhoneſtiſſimi corporis ſpeciem eximiam plurimi perditè ament. Quos honeſti ſtudium & ad normam verbi divini compoſitus amor jungit, à forma amori ſtimulum mutuantur, & pulchram oſculari amant, præ turpi. quanquam nec hæc, dummodo virtutis ſtudioſa ſit, ob formæ defectum, ridenda veniat. non laudamur, ait philoſophus, aut vituperamur ob ea, quæ natura inſunt vel abſunt. nec, quam ducere nolim uxorem, contemnere ſtatim & ſugillare velim. aliud eſt, ferri non pulchram, aliud præferri pulchram. Et quàm multis quotidie malis incommodiſque mulctamur conjuges. Privamur liberis, offendimur eorum improbitate, fortunam novercantem experimur mercatores, alter-

alternis jurgiis committitur lectus, graves ſumus amicis, aut illi nobis, annonæ caritate affligimur, ægrotamus ſæpius, maledictis inceſſimur, breviter, non una malorum Iliade obruimur. Quibus omnibus, præter rationis & prudentiæ conſilia, ingens ſolamen adfert formoſæ conjugis adſpectus & fruitio. Hæc pro lenimento eſt miſeris, & velut mulſum amarioris vitæ & Lethes poculum, quo malorũ omnium derepentè obliviſcimur. Turbato tempeſtatibus aëre, Sole nubibus obducto, ſi affulgeant alcyonia, recreamur afflictiſſimi. Quamvis conjugibus eveniant mala plurima, & ſuis quoque fluctibus jactentur thalami, evaneſcit tempeſtas omnis & vitæ non una calamitas, ubi forma vel maritæ vel mariti lætior decentiorque affulget. Erigitur ſenex & pedibus terram pulſat, cum tibia Pan aliquis ludit, aut calamos leves inflat Corydon. Etiam ſegniori amanti veternum excutit pulchrior facies, & oſculis inhiat alacrior fervidiorque amator, cum pulchritudo pro tibia & calamis eſt. Nonne ab omnibus retrò ſeculis, ſive Aſſyrios, ſive Ægyptios, ſive Perſas, vel Græcos Romanoſque adſpectes, formoſas impenſius adamatas legimus? & ob hoc ipſum, quod formoſæ eſſent? Herodotus ſcribit, Agariſtham Cliſthenis filiã adeò formoſam extitiſſe, ut in nuptiis ejus celebrata ſint procorum ſpectacula & certamina. quo ſpecioſiſſimi quiq; Græciæ adoleſcentes confluxerunt. Candaulis Sardium tyranni uxor, ob formam dilecta fuit. Hippodamiæ tam elegans & concinna fuit pulchritudo, ut, inſtitutis ſuper eâ inter Græcos certaminibus, victor Pelops eam uxorẽ duxerit. Lucretiæ formam tanti fecerunt Romani, ut eam ſuis ubique monumentis ab immortalitate vindicaverint. &,

Qualiter in thalamos formoſa Semiramis iſſe
Dicitur. ——

Si-

Siſigambim ſuã Darius Perſarum rex, ob formæ raritatẽ, qua nulli ſuę ætatis feminæ ceſſit, unicè dilexit. De violantilla Stellę Poëtę uxore canit Statius lib. 1. Sylvar.

——— at tu pulcherrima formâ
Italidum, tandem caſto poſſeſſa marito.

Tranſſcribendi eſſent loci Communes, ſi formoſos formoſaſq; omnes recenſere velim, quibus ſua forma conjugium fecit. Ne ſacra quidem nomina ab hac mea ſententia eximo. Placuit Abrahamo uxor Sara, ob formam. placuit ob eandem cauſam Abimelecho & Pharaoni. Rebeccam adamavit Iſacus. erat enim puella decora nimis & virgo pulcherrima. Præelegit quoq; Rachelem Leæ Jacobus, quia hæc lippis oculis erat, ut eſt in textu. illa venuſto adſpectu. Nec diſplicuit Elimelecho Noemi, quia nomine & re pulchra erat, aut Abigaël Davidi, mulier prudentiſſima & ſpecioſa. Eſtheram dilexit Aſſuerus, pulchram nimis & decoram facie. Nec temerè Sponſum Sponſamq; in Cantico ſuo à pulchritudine commendat regum Sapientiſſimus, licet allegoricos ſenſus à literali & proprio mutuetur, &, ſub rerum corporearum involucro, cœleſtis & ſpiritualis copulæ majeſtatem exprimat.

CATS. Pergam ſubtilius quęrere & te premere preſſius. Si daretur optio, formoſiſſimam ut accipias, & juxta ſtolidiſſimam, aut deformem valde & ſapientiſſimam, quàm eligeres?

BARL. Neutram. in illa me ſtoliditas, in hac deformitas offenderet. Ad utramque dicerem: *Non poſſum pater.*

CATS. At ſi cogaris alterutram eligere?

BARL. Dî talem terris tyrannidem avertite. ſi tamen eveniat, ſapientiſſimam mallem & deformem valde. verum ut ſapientiſſimam, Penelopen eſſe juberem de die & telas texere, ut deformem, noctu accederem & ſpiſſiſſimis tenebris, cum rebus nox abſtulit atra colorẽ.

CATS.

Cats. Quid ſi offeratur ab una parte formoſiſſima & ſtolida utcunque, ab altera parte deformis admodum & ſapiens utcunque, quam præoptares nanciſci?

Barl. Priorem. majora enim mihi incommoda pollicerer à deformitate inſigni, quam à ſapientiæ defectu, quem ſupplere ſenſim poſſem prudentior.

Cats. At ſi compos fieri poſſes, hinc formoſæ mediocriter, ſed quæ juxta ſit eximiè fatua; inde deformis mediocriter & ſapientiſſimæ, quo te verteres?

Barl. Ad poſteriorem. cum majus ſit momentum ſapientiæ eximiæ, quam deformitatis non eximiæ.

Cats. At ſi una mediocriter formoſa ſit, & formæ uxoriæ, ut vocant, & ſtolida mediocriter, altera deformis mediocriter & ſapiens utcunque?

Barl. Placeret prior, quia licet ſapientia præeligenda ſit formę, tamen, cum deformitatẽ corrigere non ſit meæ opis, fatuitatem verò mediocrem corrigere me poſſe ſperem, malim eligere fatuum ſanabilem, quam deformem inſanabilem.

Cats. Video formoſam tibi probari & præferri deformi, dummodo Sapientiæ ſucco, pro ſexus iſtius ratione, vel mediocriter tincta ſit.

Barl. Ita eſt. & rationem dixi.

Cats. At ſi formoſiſſima tibi & ſapientiſſima & opulentiſſima, obtingere poſſet?

Barl. Exclamarem alta voce:

Ite triumphales circum mea tempora lauri,
Incidit in caſſes præda petita meos.

talem ſi mihi conciliabis, majorem inibis gratiam, quam ſi me epicis vatibus inſeras.

Cats. At poëtarum te teſtimoniis obruam, qui formã formoſaſque inſectantur nõ uno nomine & carmine.

Barl. Ego poëtas cum poëtis committam, & verſus verſibus confodiam, ut omnino Cretenſis in Cretenſem incidiſſe videar. quin & hoc oſtendam, eam formam

mam illis improbari, quæ ab honeſtate divortium fecit, quæq́; ſola amoris conjugalis illecebra fuit & cauſa & vinculum.

Cats. Naſonem audi, cujus hoc eſt in formoſos fulmen:

Faſtus ineſt pulchris, ſequiturq́, ſuperbia formam,
Lis eſt cum formâ magna pudicitiæ.

Barl. Ego ita malim legere:

Faſtus abeſt pulchris, quos virtus pulchrior ornat.

quin, *Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.*

Cats. Audi eundem:

Non honor eſt, ſed onus, ſpecies læſura ferentes.
Lis eſt cum formâ magna pudicitiæ.

Barl. Sic retorqueo:

Non onus, at levis eſt ſpecies inſignis amanti.
Pax eſt cum formâ ſæpe pudicitiæ.

Cats. Quàm formam depreciat graviſſimus Seneca in Hippol.

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breve temporis,
Vt velox celeri pede laberis!

Barl. Ego eadem facilitate dixero:

Sat formæ eſt, juveni quę datur & viro.
Nec vernans vetulum forma decet caput.
Ætatis teneræ gloria vultus eſt,
Et pulchri facies.

Cats. At, *Raris forma viris, ſecula proſpice,*
Impunita fuit.

Barl. *Multis forma viris, ſecula proſpice,*
Sceptri cauſa fuit.

Cats. Nonne *Florem decoris ſinguli carpunt dies?*

Barl. *Florem decoris ſinguli nolunt dies.*

Cats. Etiam in pulchritudinem invehitur Juvenalis Satyr. x.

Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem

Ipſa habuit. cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque ſuum Rutilæ dare. filius autem
Corporis egregii miſeros trepidoſque parentes
Semper habet.

BARL. *Tarquinios metuat bellatrix Roma ſuperbos.*
Nobis forma placet manſuetis læta maritis.
Non optat Rutilæ gibbum Virginia, quando
Appius ingenuæ non tangit clauſtra puellæ,
Et vim neſcit amor. ſi pulcher filius, arte
Inſtrue, præceptiſq; bonis moderare juventam,
Ne tua formoſi geminent ſuſpiria vultus.

CATS. In formam quàm rigida acumina ſtringunt philoſophi.

BARL. Pro forma vis dicere.

CATS. Contra formam. Eſt, qui ejus difficilem eſſe cuſtodiam perhibet, cum formoſa à pluribus expetatur. Eſt, qui eam ſuperbiæ flabellum vocat & impudicitiæ & in maritum imperii. ſunt, qui eam dulcé venenum putant, & compedes aureos, quibus in ſplendidam ſervitutem vincimur.

BARL. At Carneades philoſophus formam regnum eſſe dixit ſine ſatellitio. quoniam formoſi impetrant, quod volunt, nulla adhibita vi. & acutiſſimus Ariſtoteles, ut ſupra dixi, pulchritudine hominē magis commendari dixit, quá epiſtola. Nec piguit divinum Platonem, uti dictum antè, de Pulchro ſcribere. Ipſe Pythagoras tam fuit formoſus, ut diſcipuli illum Apollinem, qui ex Hyperboreis veniſſet, opinarentur. imò, ſi Laërtio fides, nudato fortè, femur aureum apparuit. Nec dubium, quin fidem meruerit, formæ eminentis lenocinio. Tanta fuit apud Perſas formæ æſtimatio, ut, Teridate Eunucho mortuo, quod omnium in Aſiæ juvenum formoſiſſimus eſſet, luctum per univerſam Aſiam indixerit rex Artaxerxes. Et laudat Julum ac Turnum à forma maximus Maro, *primique duces*

ces & pulcher Iülus. de Turno canit,

—— perit antè alios pulcherrimus omnes
Turnus, avis atavíſque potens.

Memorat quoque Plutarchus, Scipionem Africanum majorem, formæ dignitate barbaris Hiſpanis admirationi fuiſſe. Quare, cæteris paribus, Siſigambim malim, quam calvam & luſcam Philænin, aut ſi mulier eſſem, prǫeligerem Phaonem Vulcano, Nereum Æſopo aut Crati Thebano. utcunque brevis & fluxa ſit forma, & ad ſuperbiam & impudicitiam proclivior. Quæ enim rebus κατὰ συμβεβηκὸς inſunt, ea rei per ſe bonæ laudem non deterunt, nec amari eam aut expeti vetant.

CATS. Qualem laudaſti, qualem probaviſti, talem tibi ex animo opto.

BARL. Sperabo talem. Si nanciſcar, oſculabor ſæpius ardentiuſq; formoſam virtutem: ſin minus, oſculabor parcius remiſſiuſque malè habitantem.

DIALOGVS FESTIVUS,
De Philoſophi uxore,
SIVE,
An Philoſopho ſit ducenda uxor.

Collocutores,

BARLÆVS, PETITIVS.

BARLÆVS.

SÆpius me Ultrajectum vocas, Petiti dilectiſſime, ut loci amœnitate captum detineas aliquandiu, & amico fruaris, quem nunquam tibi gravem difficilemq; expertus es.

PETIT. Ita eſt, mi Barlæe. docuiſti me olim, cum Sapientiam in agris ambulans profitereris, Ariſtotelem inter alia felicitatis humanæ bona (neque enim illam ſapientiſſimus philoſophus unius boni anguſtiis circumſcribit) amicos recenſere, nec carere illis poſſe, niſi qui aut Deus ſit, aut, ut ille loquitur, θηρίον, hoc eſt, è ferarum genere, quæ ſolitudine gaudent. Et cum amicus quilibet eſſe non poſſit, ita fato accidit, ut ego in amicum te, tu in amicum me incideris, optima ac laudabili relatione, quæ nulli omnium rerum, quas hoc Univerſum habet, & quas decẽ Categoriis clauſit Archytas Tarentinus, locum ceſſerit.

BARL. Amicos & cœli favor & prudens electio conciliat. ideòque amicitiam tuam cœlo maximè, mihi ut ſecundæ tantummodo cauſæ, imputo. Obſervabam jam tum in te candorem & comitatem ſponte natam & diſcendi ſtudium & ingenium bonarum prçeptionum capax. quæ cum te mihi conciliaviſſent, (anni jam ſunt

ſunt viginti & ſex) amicitiam tuam iis, quibus oportuit, mutuæ humanitatis & benevolentię officiis fovi & colui, alloquiis puta, literis, menſa nec ſicca prorſus nec liquoris profuſi, riſibus, jociſque, citra ullius contumeliam, innoxiis. Et fecit hæc res, ut quotannis, veluti homagio, utar Feudiſtarum tuorum vocabulo, me obſtrinxeris, inviſendi te & in Epiſcopalem Diœceſin tranſeundi, ut dies illic aliquot tecum comburam, iis ſtudiis, quibus vacare ſolent feriati & à ſtiva ſua dimiſſi profeſſores.

PETIT. Multa ſunt, quæ me movent, ut Trajecti ad Rhenum te eſſe malim, quā Amſtelodami. Etenim & cœlo illic ſalubriore vivimus, & elementis melius ſe habentibus. ſolum altius puriore nos aëre involvit, quàm paludes veſtræ, quibus merſi, ſenſim ad inferos deſcenderetis omnes, niſi trabibus totoq; Septentrione fulciremini. Jam urbem noſtram vide, & qualem quantamque turrim attollat cœlo, quàm ſola oſtentet auguſtam Adriani, utinam non Pontificis, domum, quàm ſola Canonicorum illuſtres conſeſſus habeat & veteris Rheni veſtigia, & extra pomœria ambulacra amœniſſima, porticus frondiferas umbroſaſque, ut, ſi ullibi, hic ſit formoſiſſimus annus & Theſſala Tempe.

BARL. Mira narras. nec tamen hoc mirum, laudari à te urbem, quæ vitæ tibi primordia dedit & doctrinę. Nihil ego ejus laudibus detraho. uti turrem ipſam, ita & multa alia eximia excellentiaque habetis. Sed ne Amſtelodamū urbe tua minus beatum puta, aut iis minus abundare, quæ magni facimus mortales. Pro turri veſtra, turres hic nobis ſunt & Phari plurimę, partim per mediam urbem ſparſæ, partim ad Yæ fluminis ripam ordine ſuccedentes. Si elementis vivitis ſanioribus, hic corporibus mixtis mercatores gaudent utilioribus & metallis ponderoſioribus. Si editius vobis ſolum eſt & minus paludoſum, tan-

to longius abeſtis à re optima, aqua nempe, quam Pindarus ἄριστον vocat. Si trabibus ſilviſque innitimur, minus magnificè ædificamus, & ſoli vitio frenamus luxum.

PETIT. Quæ illa metalla ſunt ponderoſiora?

BARL. Aurum & argentum, quæ parcius Apoſtoli, luculentius Mercuriales noſtri poſſident. Sed nondũ omnia ad commendationem urbis meæ dixi. Pro Pontificis domo, nobis ſunt tot pontifices, qui Amſtelam amnem & elices Amſtelę ac Yę foſſas mille pontibus ſternunt. Canonicorum collegia veneror, præſertim cum ad canonem vivunt. Verùm & nobis ſunt cœtus conſeſſuſque illuſtres & conſpicui, nempe utriuſque Societatis, & quæ ad Orientem & quæ ad Occidentem militat & mercatur. ad hæc, quem mari præfecere Fœderati Ordines, & qui maris Septentrionalis potiſſimum curæ invigilat. Ambulacra nobis non extra pomœria, ſed intra ſunt. ut auſim dicere, nullum verno æſtivoq; tempore amœniorem ullius urbis toto terrarũ orbe eſſe conſpectum. Sunt etiam hîc, viduę Petiti, ex illuſtri Viduarũ familia plurimæ, inter quas una eſt, quam cupidiore oculo adſpecto, quàm Orientem Solem, aut, ſi mavis me propriè loqui, Lunam, tunc, cum, cornuum expers, pleno lumine & honore fulget. Hujus conſpectum, colloquia, præſentiam majoris facio, quàm veterem Rhenum, quàm Adriani domum, quàm veneranda Canonicorum ſubſellia.

PETIT. Quid hoc rei eſt? quale verbum fugit ſeptum dentium tuorum? ut Homerico verſu loquar. hæccine philoſophi & ſapientis oratio eſt? videris mihi nondum excuſſiſſe animo veteris veſtigia flammæ. Inſanire tibi denuò libet, quod tanta contentione viduam illam prædices? Ego inter Stultitiæ ſpecies pono ſecundas nuptias, præſertim ejus, qui Jubilæum quinquagenarium vixit. Seriò illa loqueris, Barlæe, an ad

dia-

diatribam me vocas & diſſertationem?

Barl. Dico, quod res eſt. De nuptiis nihil in hunc uſque diem ſtatui. mei, per Dei gratiam, juris ſum, nulli vel viduæ vel virgini obnoxius. Verùm tam mihi chara eſt conjugis memoria, ut vehementer diligere poſſim aliquam, quam an ambire velim etiamnum delibero. Et, ſi ducerem, non ſtultitiam hoc ipſum, ſed ſapientiam interpretarer.

Petit. Sapientiæ? in plebeis, hoc ipſum & indoctis conceſſero. in philoſopho nequaquam, qui conjugum adverſa omnia & caſus inopinatos perſpectos habet ad unguem.

Barl. Nihil attinet ſuper his παραἶραγωδεῖν. Eſto hoc Problema noſtrũ, An philoſopho ſit ducenda uxor. ego affirmantem partem adſtruam, tu inficiantem tuere. Quid alii ſtatuant, non moror. rationibus pugnabo, & quidẽ non vulgaribus & communibus, ſed ex ipſa philoſophia ejuſque penetralibus petitis.

Petit. Hoc ſi eviceris, mutabo ſententiam, licet ſapientiæ me ſtudioſiſſimũ, non ſapientem profitear.

Barl. Nec ego me. Exolevit Sapientis nomen in Scholis, ex quo ſapientes modeſtius loqui docuit Pythagoras.

Petit. Mare controverſiarum ingreſſus es. ſacculos jam tuos & utres aperi, & dimitte Zephyros bonæ mentis, ut decurras tutò & jucunde & citò hoc, quod ingreſſus es, pelagus.

Barl. Ordiar à definitione, uti philoſophis mos eſt. Tune, ſtultitiam, mi Petiti, arbitraris, ſi conjugali ſe copula nectat philoſophus, cum Sapientiæ definitio ipſiſſima ſit conjugalis copulæ definitio?

Petit. Deſidero audire, quò rem deducas.

Barl. Sapientia rerum divinarum & humanarum cognitio eſt per cauſas, ad hominis perfectionem, prout illa naturali intellectus lumine haberi poteſt. At hoc omne amor conjugalis eſt. Etenim & humana

cognoſcit & divina. Humana, quia quid humanum magis, quàm mas & femina? imò quid humanum, præter illos utriuſque ſexus homines? & quid certius, quàm virum noviſſe, quid ſit femina,& feminam,quid ſit vir? nec inhumanum eſt, affari, oſculari, delinire, amplecti indiſſolubili fide junctam conjugem. Et quis hæc novit melius conjugibus ipſis? imò quis hæc novit rectè penituſque, niſi conjux ſit? Nec divina ignorant, qui ſciunt Deum eſſe ſupremum nuptiarū conciliatorem, ad ejus gloriam has ipſas dirigi debere, qui ex poëtis didicere, quid ſit Dione, Venus, Cupido, Hymen, Lucina, Thalaſſio. quæ ſanè omnia amatori ſapienti & philoſopho ignota eſſe non poſſunt. Et ſciunt hæc ſapientes, non ſuperficie-tenus, ſed per cauſas. Qui contrahunt, cauſæ efficientes ſunt, iidemque materia parteſq; conjugii. Forma,quę matrimonium à vagis libidinibus diſcriminat, legitima & indiſſolubilis contrahentium conjunctio eſt. Et facit hæc ad perfectionem hominis,cum & Socrati bonum ſit voluptatibus neceſſariis frui, & toti humano generi morientium vices ac damna nova hominum generatione reſarciri. Quin, uti Philoſophia, naturali hęc lumine nota ſunt, cùm gentibus quoq; à ſacrę Scripturę lumine deſtitutis, natura blandum inſpiret per pectora amorem.

PETIT. Nunquā ita ſtudioſis tuis, vel in Academia Leydenſi,vel in illuſtri Amſtelodamenſium ſchola interpretatus es Sapientię definitionem.

BARL. Fateor. quia nunquam hoc mihi Paradoxum movit auditorum quiſquam, Philoſopho non eſſe ducendam uxorem. Urgebo ulterius, & Ariſtotelem in Metaphyſicis de Sapientia diſſerentem tibi opponam. Octo ait eſſe Sapientiæ prędrogativas, quæ omnes conjugii notæ ſunt & proprietates. Prima eſt: Sapientiam verſari circa omnia. quod & de amore verum eſt. quia in amo-

amore inſunt omnia. amor vincit ſuperatque omnia, amor accendit omnes, iis exceptis, qui naturæ vitio non ſunt, quod eſſe debebant. Quin & novit omnia amor. quia & cœleſtium ſibi & terreſtrium rerum cognitionem vendicat, uti dixi ſupra. Secunda eſt, Sapientem verſari in rebus difficilioribus & abſtruſis minuſq; obviis. Nec aliter Sapientia conjugalis, res difficillimas aggreditur. cum difficile ſit eligere eam, quæ expediet; & cum elegeris, difficillimum ſit nanciſci; & cum nactus fueris, difficillimum ſit iis ſe illi officiis uſque exhibere, quæ facilem, lenem, obſequentem prę ſtent. Et nonne abſtruſa ſunt amoris arcana? nonne nefas revelare Eleuſinia ſacra? nonne tacitum eſt, quod gliſcit ſub pectore vulnus? carpimur cœco igne, & intenſos cortina abſcondit amores. Tertia eſt, Sapientiā certā indubiamq; eſſe. At quid certius ratumque magis matrimonii vinculo, quod nec divino nec humano jure ſolvi poteſt?

Felices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulſus querimoniis
Suprema citius ſolvet amor die.

Quarta, Sapientiam ad docendum aptiſſimam eſſe, uti & philoſophus conjux. Nam multa hic docere habet, quando ducenda uxor & qualis, & quæ generationis ſint requiſita, quæ fecunditatem promittant, quę ſterilitatem minentur, quæ mariti partes & officia, quæ uxoris, quomodo educandi liberi & formanda tenella ætas, cerea in vitium flecti. ut proprium hoc novæ profeſſionis in Scholis argumentum eſſe poſſit. Quinta, Sapientia maximè expetitur ſui gratia, nec ad aliarum ſcientiarum fines dirigitur, quod & honeſtioris conjugii proprium eſt. expetitur matrimonium liberorum, hoc eſt, ſui gratia, nec, ut maritus aliis placere ſtudeat, præterquam uxori ſuæ, aut uxor aliis, præterquam marito

ſuo, patitur veneratio religioque ſacroſancti nexus. Sexta eſt, Sapientiam præeſſe omnibus artibus & ſcientiis, iiſque robur dare & terminorum intelligentiam. Faciunt & hoc conjugati. præſtant & præſunt aliis vitæ generibus, ideoq; & honoratiores habentur iis, quibus virginitas & cœlebs vita præeligitur. Imperant liberis, ſervis, ancillis, reip. gubernaculis admoventur, jus trium liberorum impetrant. Terminos inſuper plurimos explicant, in vita civili cognitu utiles, de thalami legibus, de liberorum procreatione, inſtitutione, cura; œconomicas virtutes, blandimenta & myrothecia amoris non ficti, fidem conjugalem, oſcula, ſalutationes, concordiam, ſine quibus vita hæc omnis noſtra miſeriarũ officina eſt, & mille ærumnarum Ilias. Septima eſt, Sapientiam eſſe primorũ principiorum cognitionem & concluſiones ſuas ex illis proximè deducere. quod & conjuges probè novimus. nam inter juris naturæ principia ſunt, maris & feminæ conjunctio ac dilectio mutua, & ex his præmiſſis ac principiis, per ſe notis, elicimus pro concluſionibus pulcherrimam progeniem, filios filiaſque,. quæ ex illis ſequuntur proximè & *ἀμέσως*, & quidem non caſu aut fortuitò, vel *κατὰ συμβεβηκὸς*, verum neceſſariò, *ἐξ ἀνάγκης, διὰ τῶν τιθένλων*, propter illa quę poſita ſunt. Octava eſt, Sapientiam eſſe in nobiliſſima animæ rationalis parte, quę *ἐπιστημονικὴ* appellatur. At in hac ipſa quoq; reſidet ſapientia conjugalis.

Petit. Conſului ſuper hac re interpretes Ariſtotelis, Averroën, Scotum, Thomam, Iavellum, Soncinatẽ, Occamum, Durandũ, Fonſecam, ſed ne hilum de iſtis.

Barl. Non cogitant de conjugiis Scholaſtici, quotquot continentiæ ſe voto obſtrinxerunt. Subtiles & acuti magis eſſe malunt, quàm humano generi

uti-

utiles. qui acumina ſectantur, plana & communi via incedere neſciunt. inter nubes gradiuntur, & quæ ante pedes ſunt, negligunt. Sed neSapientiam ſugilles,quod à Prudentia multum diſſideat, hoc etiam evincam,prudentiſſimos eſſe conjuges,& matrimoniis exactiſſimam prudentiæ civilis ideā contineri. Prudentiam definit Philoſophus ſexto Ethic. ad Nicomachum, habitum conſultandi & agendi ea, quæ homini in univerſa vita ſunt bona & mala. Eſt ergò eadem Prudentiæ & matrimonii arena. Nec enim optabilius homini bonum evenire poteſt, quàm uxor bona. nec malum deteſtabilius prava conjuge. Prudentia circa ſingularia occupatur & τὰ ἕκαστα. Et in conjugiis Cajus Cajam, Titius Semproniam amat. Prudentia à virtute ſeparari neſcit; neq; bonorum nuptiæ. Prudentiæ quaſi ſociæ & adminiſtrę ſunt,εὐβουλία, conſilii rectitudo, ἡ σύνεσις, ingenii perſpicacitas, ἡ γνώμη, ſententia, ἡ δεινότης, naturalis ſolertia, μνήμη, memoria, & ἐμπειρία. experientia. quas omnes in conjugibus reperias. Etenim conſultant rectè & deliberant, cum matrimonii finē, iis mediis conſequi ſtudent, quæ honeſta, jucunda & utilia ſunt. Non deeſt ingenii perſpicacitas,in obſervandis futuræ conjugis moribus, opibus, forma, valetudine, familia, amicis. Adhibent quoque γνώμην, hoc eſt, rectè de alterius dictis factiſque alter judicat. quæ per ignorantiam, aut animi impotentiam fiunt perperàm, benignè interpretatur,& ignoſcunt mutuum εὐγνώμονες & συγγνωμονικοί. Solertes quoque ſunt, cum rationes cogitant, quibus alere honeſtè familiā & augere res ſuas poſſint, & proſcribere longè bonę mentis peſſimam ſororem πενίαν. Memoria valent, quia langueſcere amoris impetus non inviti agnoſcunt, ſi ad memoriam anteacti tempo-

ris reſpicere libeat. Deniq; experientia diſcunt, amare etiam poſſe,quibus labor eſt ἀφροδιάζειν.

Petit. Neſciebam, me prudentiæ omnes partes explere, cum maritalem thorum ſcanderem. Non veniebant tunc in mentem famulæ, quas enumeraſti.

Barl. Magna agunt & ſeclo digna, qui de probæ conjugis amplexu ſeriò cogitant. Et ſicuti cœlum neſcit motus ſui finem ordinemque,ex quo pendent inferiora hæc: ita mortalium plærique adſueſcimus conjugi,ignari tam clari operis, pulchrique bonique.

Petit. Vellē plura ejus generis ex te audire. iſtud enim philoſophandi genus minus tetricum mihi videtur & illepidum.

Barl. Cum in Miſogamos incido, aut illos, qui me Sapientię ſtudioſum valedicere nuptiis debere vehementer urgent, hoc contrà urgere ſoleo: nullum eſſe in tota philoſophia vocabulū, quod non conjugio ἀνάλογον ſit,& ſponſi ſponſæque indolem ac genium ſpiret. ut uxorem nulli deberi jurari auſim, præterquam philoſopho.

Petit. Ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα ἴδομεν ἄμφω.

Barl. Ordiar à philoſophia Theoretica, & primū à naturali ſcientia,quam Ariſtoteles exequitur Auſcultationum libris, & illis de Cœlo,ac Generatione & Corruptione, uti & de Meteoris & libris de Anima & parvis naturalibus. In libris Acroamaticis utramque paginam faciunt, Materia, Forma, natura, efficiens, finis, fortuna, caſus, motus, quies, locus, tempus, quantitas. Materiam ait formam appetere,ſed uti virum appetit femina. Ergò femina materiæ ſimilis, vir formæ. Et meritò. nam materiæ eſt parere ex ſe formam. formæ, materiam reſtringere ad certam ſpeciem,ut vel hominis, vel equi, vel arboris ſit materies. Ad eun-

eundem modum feminæ eſt parere, viri eandem ſibi vendicare, ut propriam. Nec parturit materia formam, niſi diſpoſita & ſubacta prius. neque prolem mulier edit, niſi poſtquam *Matri longa novem tulerint faſtidia menſes*. Duas formas ſimul eidem materiæ ineſſe poſſe negant Peripatetici: Duos maritos eidem conjugi jungi, vetant Theologi. Cauſa efficiens eſt, à qua primum eſt mutationis principium. Sic & à viro. nec enim unquam mater eſſe ſuſtinet uxor, niſi mutatam ſe à viro ſentiat. Natura cauſa eſt motus & quietis, ejus, in quo ineſt. Etiam amor. Natura omnis finem intendit. nec enim caſu res humanæ volvuntur & fortuitò. quos fines intendat conjux uterque, neuter ignorat. Motus ad terminum tendit, uti conjugum ſocietas ad prolis generationem. Motus fit ſucceſſivè: nec conjugia momento conficiuntur, moras nectente vel prudentia vel pertinacia. In motu ſufficiunt termini duo. In matrimonio mas & femina totum conjugium ſunt. Magnum in Phyſicis momentum loci: nec minus in amore. noverat hoc Dido, cum, conjugii ſpe, ſpeluncam eandē cum Trojano duce ſubiret. Tempora præterito, præſenti, futuro diſtinguuntur. conjuges præſenti maximè gaudent. Odit vacuum natura, & conjugibus duo vacua exoſa valde, uxor & loculi. licet vacuam à rixis & Zelotypia domum unicè cupiant. Non datur infinitum in natura. nec in infinitum abeunt oſcula & amplexus. habet & hic natura ſuum maximum, habet ſuum minimum. Quid de Cœlo dicam? niſi amoris eſſe theatrum & forum. Ambit orbis orbem, uti maritus maritam. Moventur perpetuò, quietis expertes. Eſt & ſua conjugibus inquietudo, ut perpetuum quoq; mobile dici poſſint. Movent hæc inferiora cœli, & in nos agunt. prout familiam omnem movent & moderantur pater & materfamilias. Cœlum planetas habet vagos.

fami-

familia famulos famulaſq; accedentes modò, modò abeuntes. Cœlo fixæ ſunt ſtellæ, quales liberi ſunt, parentum immobile peculium. Non omnia aſtra amica conjugibus. quædam felicitatis, quædam infelicitatis cauſæ ſunt. Et liberorum alios in parentum ſolatium ſubſidiumq; ſuccreſcere videas, quoſdam degeneres & eorundem dedecora & vomicas. Cœlorum mira eſt concordia. mira quoq; conjugum. nõ diſſolvitur ætherea compages: nec diſſolubilis eſt hæc amantium. In elementis qualitates agnoſcimus, calorem, frigus, humiditatem & ſiccitatem. quæ ad thalami quoque laudem faciunt. Incaleſcere eum ſubinde exigit res & refrigeſcere. Siccis omnia dura propoſuit Deus, teſte Flacco. at humido ſuas deberi partes, docet fabula Veneris è ſpuma maris ortæ. Unum elementum altero calidius eſt vel frigidius. Eadẽ conjugum ſors. Longè ab igne diſtat terra. multum à ſene amatore, amator juvenis. Gaudet natura elementorum mixtione. matrimonium maris & feminæ. Quod ex elementorum concurſu naſcitur, aliud ab elementis eſt. Quod ex ſponſorum naſcitur unione, à genitoribus quoq; ſuis numero diſtinguitur. Neque peragitur mixtio, ſine mutua elementorum reactione & repaſſione. quæ an vera quoque ſint in conjugali amantium permixtione, judicent conjugati. Meteora imperfecta naturæ corpora ſunt, ſicut abortus conjugii. Habet doctrina illa fumos ſuos & vapores evaneſcentes facilè, uti & parturientibus fœtus ſunt ſubventanei, nec ſibi conſtantes. Ignes adſpicimus ſubitò naſci in aëre & denaſci. tales flammæ ſunt, quæ malè junctos accendunt. Ignes ſunt, quos fatuos vocamus, qualibus quoque uruntur, qui imprudenter amant. Meteororum ignitorũ alia dracones ſunt, alia lanceæ ardentes, alia ſtellæ decidentes, vel fulmina & fulgura. & conjugiis pluribus ineſt veneni malique

que

que moris multum. pungunt ſe mutuò maledictis, debacchantur & fulminant ira correpti animi, primaq́; matrimonii fax odiis divortiiſque exſtinguitur. Iris multicolor vultum mutat facilè, nec diuturna eſt, ut diutinę non ſunt amantium iræ, ſed amoris redintegratio. Metalla,&,materiā avaritiæ humanę,aurum argentumq́; altè defodit in terræ viſceribus divina providentia, nec invenit illa pallidus foſſor, niſi præeunte virgula divina. Difficilis quoque inventu eſt prudens & benè compoſitis moribus uxor. nec de fide ejus aut probitate certò quidquam tibi perſuaſeris, niſi afflictionum igne probatus. Jam quid ſimile magis herbis floribuſque & hortis ac viridariis matrimonii dulciſſima contemplatione. quæ gratior, quàm amoris,fidei,benevolentiæ, pacis fragrantia? nonne mare & femina diſtinguuntur herbæ? nonne ſuis herbulis gaudet amans? quales ſunt amaracus, amaranthus, flos amoris, anemone,apium paluſtre, barba Aaronis, eruca, ſatyrion, euphraſia, carduus Mariæ, umbilicus Veneris, aliæq́; plures. Avium & amoris tanta cognatio eſt,ut alas ab iis ſuas commodaverit Cupido. gaudet celeritate amor, & moras odit, ut & volatile quodvis. In mediis aquis exardeſcere Squamigerum genus, dudum Lucretius cecinit. At quanta res Anima eſt, qua vivimus! Et nonne poëtis prociſque hoc omnibus familiare, Animulę Vitęque,& Corculi nominibus inſignire quam diligas? Sine anima trunci ſumus lapideſque.etiam ſine amore. nutrit illa, auget & generat. Itidem & amor alimenta ſufficit amantium deſideriis, ſuis ea incrementis adauget, donęc generet. Anima ſentimus & movemur. Ab ea viſus eſt, auditus, guſtũs, odoratus, tactus. quibus ſenſibus omnibus ſinguliſq́; valent conjugia. Lyncei ſunt oculi nuptis,& ſollicitè cavent ne ad Danäen, vel Lædam, vel Europam deflectat Jupiter.

ter. Auſcultant attentè & aures mille arrigunt, etiam blandæ orationis popyſmo demulceri amant. afficiuntur ſuavitate, ab amarulentis alieni. olfaciunt è longinquo, quid foris agat abſens alter. Sine tactu frigent, torpent, ſtupent. Meminere baſiorum, quæ Penelopæ epiſtolam iſtam ad lentum Ithacum dictavere. Imaginationis vi abrepti æquora ipſa tranant, in abeuntem Æneam, vel Theſea excandeſcunt. nec carent ſenſu communi, cum ſingulorum ſenſuum voluptatibus fruantur. Quot affectibus ducimur, tot conjugio famulis gratificamur. inter illos ſunt, amor, deſiderium, ſpes, gaudium, quos melior digniorque noſtri pars Ratio coërcet & moderatur.

PETIT. Sed quomodo Metaphyſicā amoribus applicare poſſis, ſcire deſidero. illa enim tota in immateriali, hoc eſt, exucco & exangui argumento verſatur, quale odit amor cane pejus & angue.

BARL. Metaphyſicus de Unitate, Veritate, Bonitate rerum omnium diſſerit. At hęc ipſa unicè deperit amor nuptialis. Unam amat, cum honeſtus eſſe vult, plures, cum nequam. Veris virtutibus præditam veneratur, non ſpecie talem: veram formā pulchritudinemque laudat, non vultus emptos fucatoſque. Et licet bonum illud, quod cum Ente convertitur, minus moretur, eam tamē valde æſtimat bonitatem, quam conjugis propriam eſſe oportet. Angelis tota intenta eſt ſcientia iſta, & dæmonibus bonis maliſque. At hæc conjugum quotidiana vocabula ſunt. Cum ὑποκοριστικῶς loqui amant, εὐδαίμονες ſunt, cum ὀργίλως, κακοδαίμονες, & Harpyiæ. In Matheſi, ut de ea aliquid quoque dicam, puncta ſunt, inchoantia, finientia, copulantia, intervalla, lineæ coincidentes, parallelæ, circuli, cubi, aliæque figuræ complures. Sunt conjugiis exordia quoque ſua, lætiora ut

ut plurimum, fines varii & copulæ. habent ſua intervalla, non dilucida ſolum, ſed & obſcura. incidentes lineas minus averſantur, rotundam in amore figuram, & officiorum circulum, etiam cubicam immobilemque. fidem eſſe exoptant. Arithmeticam callent optimè, impare numero gaudent, at tunc pari, cum paribus malis premuntur, paribus bonis eriguntur. Verum Catullo ad Leſbiam ſcribenti, iſtos numeros invident: *Da mi baſia mille, deinde centum, Dein mille altera*, &c. Cum opticis reflexum amoris radium efficaciorem arbitrãtur, ſimpliciter recto.

PETIT. In Theoreticis video non deeſſe tibi alluſionum materiem. Sed quid Practicæ philoſophiæ, cujus eſt formare virum bonum, cum amoribus & thalamo negotii?

BARL. Multum ſanè. ſingulis enim virtutibus luculentum ſuppeditant argumentum conjugum officia.

PETIT. Hoc me doce.

BARL. Nonne utramque paginam in Ethicis faciunt, honeſtatis, voluptatis, utilitatis nomina? At hæc ipſa characteres ſunt & inſignia ſocialis lecti. Honeſtatem tolle, amor luxuria eſt. Voluptatem tolle, amor frigus eſt & merum gelu. Utilitatem tollo, amor oleum & operam perdidit. Nemo vir bonus naſcitur, nemo conjux. Virtus eam eligentis eſt, & ejus, qui rectè agere inſtituit. Conjux quoque ejus eſt, qui deliberatò amat. Invitâ actio nec laudem nec vituperium meretur. nec laudabile invitos matrimonio necti. Spontaneum quodcunque liberumque, prœmio pœnave dignum, maximè in deligenda conjuge. Fortitudo circa res arduas difficileſque verſatur. nec minus virgo rem arduam aggreditur cum viro cõſueſcens. Ita Maro interpretatur: *audetq́; viris concurrere virgo.* Profectò niſi moderatè ſe circa voluptates habeant thori partes, conclamatum eſt, & *cum lapidoſa chiragra*

Fregerit articulos, vitam ingemuere relictam.

Juſtitiæ officium eſt, unicuique ſuum dare, nec debitis thalamo officiis fraudare ſe mutuo. Adhæc patientiam, concordiæ & æquitatis ſtudium, caſtitatem, verecundiam, fidem & urbanitatem nullibi requiras magis, quàm in conjugio. Pulchrũ eſt, nunquam cum uxore aut marito rediiſſe in gratiam. pulchrum, moroſitatem Xantippes ſuperare Socratica comitate vel ſeveritate. Pulchrum, ſi quanto blanditiis plus indulget vir, tanto uxor ſit continentior modeſtiorque. Pulchrum, ſi erubeſcere poſſit uxor, ad mariti effeminatam ſapientiam. Pulchrum, cum ſe Placidias prȩſtant & Creüſas & Artemiſias. Quod ſi Oeconomiam reſpicias, quæ illa ſine marito & uxore? Ille rei familiari proſpicit, & id ſibi negotii dari patitur, ut culina fumum videat. hæc maritum fractum laboribus vel ſtudiis, alio labore fovet, lenit, reficit, meditanti attentius riſum movet, libellos è manibus oſculo extorquet, lucubrationes ſibi potius, quam libris deberi ait, ad prandium vocat dulcibus epithetis, ad cœnam dulcioribus, in menſa cibi capiendi oblito, cibum in os ingerit, ut Meliſſa fecit Chryſippo ſuo, ægrum ſolatur, lectulum è tomento inſternit, focum ſuppedaneum frigenti offert, æſtuantem ſtrophiolo detergit; ſupellectilem curat, purgat, adornat, nitori ſtudet mariti & liberorum, ut ſine illa domus ſit ſolitudo mera, carcer unius, melancholiæ ſtabulum, querelarum officina, ſuſpiriorum & deſideriorum triſtiſſima ſcena. Expende jam, doctiſſime Petiti, Num philoſopho ducenda ſit uxor, illa ipſa qui novit, docet, agit & in uſus ſuos, cum res exigit, convertit. Toto cœlo errant, qui hominibus ineptis & ſemi fatuis uxores indulgent, quibus abutantur *δι' ἄγνοιαν*, ſapientioribus verò, quique conjugii leges omnes perſpectas habent, invident. Quod ſi hæc quæ dixi, nondum perſuadent quod intendo, mutabo dicendi genus,

nus & ſolum amorem conjugalem ſapere, veramque ſapientiam eſſe, probabo verſibus. ineſt quippe carminibus vis quædam incantandi immutandiq; animos, quā non habet ſoluta oratio.

PETIT. Age, incanta me, quantum potes. non rumpār. nec enim anguis ſum. non obturabo aures adverſus te incantatorem, & ſi fortè contingat, ut tuis cedam carminibus, erit minus execrabilis illa cantillatio, quæ me amatorem faciet.

BARL. *Ludimus humanum genus, & dum ſidera volvit*
Iupiter, & variis radiat ſub vultibus æther,
In varios unà luſus vitæq; lepores
Cum Superis rapimur. verſat ſe maxima mundi
Machina & ingentem miſcet Sapientia rebus
Stultiam, frangitq; aliquo ſua ſeria ludo.
Deſipit Eoa quiſquis de gente lapillos
Colligit, & tumidum mox ſorbet naufragus æquor,
Securus tutuſq; domi. tu deſipis audax
Miles, & hunc vitæ paucis divendis honorem
Aſſibus & ſtolidis impendis regibus arma.
Deſipit heroum ſoboles titulumque ſuperbæ
Nobilitatis emit, quam virtus neſcia fuci
Debebat meruiſſe ſibi. qui celſa frequentas
Atria adulator, magnis diſcrimina quæris
Porticibus totaq; miſer rideris ab aula.
Tu quoq; qui calidæ ſcutaris cominus Ætnæ
Pabula, terribileſque focos abſtruſaque rerum
Principia, & mundi cauſas deducis ab alto,
Deſipis, & ſtulta dictas incerta cathedra,
Ignaruſque tui geminos ediſſeris axes.
Eſt, qui ventoſæ venatur murmura plebis,
Et jejuna levi paſcit præcordia fumo
Narrator, vaniſque forum ſermonibus implet,
Et Finnos Gotthoſque crepat. cui cauſa laborat,
Facundas redimit voces, pauperque patronum

Adſpicit & vacuis loculis ſua rura reviſit.
Ille, cui infido pendet ſpes omnis ab hamo,
Dum ſedet æternumque ſedet, quàm deſipit excors!
Quàm patiens capta ſolatur prandia perca,
Piſciculique jecur, non tacta bile, trucidat!
Et tu qui curſu præceps venator anhelo
Per campos graderis, pavidæ veſtigia damæ
Ponè legis, curriſque, fugis, refugiſque, miſellus
Quò lepus aut te cerva vocat. cum Principe vilis
Beſtia decurrit, ſequiturque inſana priorem
Majeſtas auguſta feram. nugamur ubique,
Et ſtolidi ſine fine ſumus. mordaxq; Menippus
Quiſquilias noſtras recitat. clamemus, amici,
Te facimus, mens ſtulta, Deam, terriſq; locamus.
Has inter curas & vaſti ludicra mundi,
Solus amor Cypriſque ſapit. tollitque ſerenum,
Stultitia ringente, caput. non deſipit ille,
Quiſquis in optatæ gremium deſcendit amicæ,
Et Sponſæ placuiſſe ſtudet. Sapientia, credas,
Iudice me, caſtis Veneris ſplendeſcit in ulnis,
Atque unum præter cuncti inſanimus Amorem.
Hoc ſine delirant alij, vel languida luctu
Membra trahunt.. tædet cœli convexa tueri,
Tactus hebet, nulla recreantur virgine vultus,
Menſa ſilet, frigent omnes ſine conjuge nervi,
Deficimus miſeri, neſcit ſua gaudia lectus,
Ignavoſque lares vacuoſque perire penates
Ocyus adſpicimus. mortique ſimillima vita eſt.
Ipſa Deum ſocio gaudet Sapientia lecto,
Et ſenior Saturnus amat. cum compare ludit
Mulciber. &, doctam genuit qui Pallada, magnus
Iupiter, in multum querula Iunone lepores
Invenit & Paphiis caſtigat fulmina curis.
Nerea formoſum complectitur Amphitrite,

In-

Inclyta Neptunum Tethys. cœleſtibus ut jam
Turgeat exemplis thalamus. non illa Pelaſgos
Dedecuit ſors læta ſenes, magnique Platonis
Atria, quo quondam Graij ſtupuere magiſtro.
Qui malè compoſitis mores dictavit Athenis,
Xantippen ſapiens tetigit legeſque ſeveras
Dogmataque, umbroſos inter diſcuſſa receſſus,
Diluit amplexu. nec qui veſana Quiritum
Crimina perſtrinxit cenſor, faſtidiit udum
Baſiolum, facileſque ſibi procedere noctes.
Quàm ſapit, imperio totum qui ſubdidit orbem
Rector Amor! cui regales diademata prona
Subdunt fronte apices, qui ſævi dura Leonis
Corda domat, mollitque ſuis adamantina verbis
Pectora & Eurydicen ſtygiis revocavit ab umbris.
Iam loquitur facundus amor, voceſque diſertas
Virginibus recitat. per mille pericula ſolers
Impavidum molitur iter, fortique dolores
Mente premit. jam ſacra pius delubra ſalutat,
Et totum ſonat ore Deum. jam munera larga
Diſtribuit lucroſa manu. blandiſſima fatur
Comis amor, feſtivus amor. quin tempora captat
Commoda & in varias una pro virgine formas
Se torquet verſutus amor. nunc triſtior illi
Frons contracta riget, nunc exporrecta jocatur.
Flet, ridet: vigilanſque omni ſua lumina parte
Circumfert. ſperat, metuit. non odit & odit
Cum ratione tamen. ſic cuncti Cypride in una
Virtutum coiêre chori. & veſtitus honeſto
Fulget amor. dudum ſapiens ab amoribus arſit
Phœbus, & in ſola ſapiunt Cithereide vates,
Vates cura Deum. ſpernit ſapientia fraudes.
Spernit amor. tacitæ per amica ſilentia noctis
Vrget opus, nulloque ſagax ſe teſte tuetur.

Heu quantum neſcis Sapiens! quam plurima tecum
Ignorat quoq; cœcus amor. quàm gaudet amari
Vir ſapiens & lenis amor! metuitq; timeri,
Nec cuivis placuiſſe ſtudent. quàm ſuaviter idem
Dormit amor, ſapienſque, trucis nec curat Iberi
Bella nec Arctoo circumdata mœnia Moſcho!
Tempora componit ſapiens ventura priori.
Proſpera fert modicè, nec rebus frangitur arctis.
Sic generoſus amor poſt primæ damna repulſæ
Ambulat & credit nondum ſapuiſſe puellam.
Semper amat ſapiens medio tutiſſimus ire,
Nec medio deflectit amor. moderata probatur
Ambobus prudenſque quies. Sapientia terris
Præſidet & faſces domino ſubmittit Amori.

PETIT. Jam Dialogiſtam, jam poëtá agis, & in omnes te formas verſas, ut philoſopho obtrudas uxorem. Verùm, ſine, ut me exonerem iis, quæ parum ad uxoris commendationem faciunt,& quæ in ore eſſe ſolent Sophroniſcis & ſeveris frontibus. Turbulentas eſſe ajunt feminas, ſapientẽ contra placidum lenemque. illas impetu potius,quàm ratione agi, hunc prudentia omnia moderari. illas procelloſo & irato mari, hunc tranquillo ſimilem.

BARL. Vis ergò homines imperitos,ab humanitatis ſtudiis alienos, quibus anima pro ſale eſt, cucumeres cucurbitas & pepones necti turbulentis,ut reddantur turbulentiores? nonne turbulentam citius mitigaverit ſapiens, quàm effrons & amens & Davus aliquis aut turbo? an putas ſolis philoſophis turbulentas obtingere & communi ſenſu deſtitutas? non arbitror. Et ſi nubendũ Clytemnæſtris, Fauſtinis,Roſimundis,Meſſalinis, ſatius profectò eas nubere Socrati, & Platoni & Ariſtoteli, quam iracundo Agamemnoni, aut fatuo Claudio, aut furioſo Oreſti. At quid vetat, ſapientem ſapienti jungi & minus turbulentæ?

lentæ? Nonne viris ſapientiores fuêre uxores plurimæ? Nonne ab uxoribus optima conſilia accepêre Imperatores Principeſque. Antiqui poëtæ verſus ſunt:

Vos etenim juvenes animos geritis muliebres,
Illa virago viri.

Melancholicos ingenioſos eſſe ait Ariſtoteles & uxorios. ergo optimè, citra ſapientiæ ingeniique detrimentum, cum conjuge ſe maritabit ſapiens.

PETIT. Hoc urgent: philoſophorum eſſe, alta ſapere, nec demittere ſe ad imbellem & ſequiorē ſexum. ſapientis eſſe, voluptates contemnere, nec affici contactu conjugis: indignum eſſe Metaphyſico, ad Cypridis ſinum reſpicere; indignum Aſtrologo, hærere in intermundiis Epicuri; Phyſici eſſe, contemplari illas res, in quibus vulgus ſtultitiam ſuam explicat; Mathematici eſſe, ſomniare circa quantitatem, non vigiles traducere noctes, ea libidine, quæ nobis cum belluis communis eſt.

BARL. Irem in vulgi ſententiam pedibus, ſi philoſophi ſine nervis ambularent, ſi natura non viros feciſſet, ſi nec edendi nec bibendi ſupra quàm ad nutritionem ſatis eſt, artem noſſent, ſi philoſophi eſſe poſſent & non animal, non vivens. Nunc, cum talem fecerit Zenonem natura, qualem fecit Therſiten, talem Cratem, qualem Corœbum injurium ac inhumanum prorſus fuerit, illos ab amplexibus arcere, hæc monſtra admittere. Rectius Plato cenſuit, qui in libris de repub. mulierum communionem non omnino promiſcuam eſſe voluit, ſed optimis prudentiſſimiſque eas ſociari, ne degeneres naſcerentur.

PETIT. Negant ſapientem vacare poſſe conjugi. alio abripi eruditorum mentes.

BARL. Quaſi verò vacandum ſit conjugi indeſinenter. non eſt Siſyphius iſte labor nec vultur eſt maritus, cui æternum incubandum ſit Promethei extis. pro

verſibus intercalaribus ſunt conjugum blanditiæ. & pro choris, qui medios actus intercinunt. Imò, nemo rectius vacare poteſt conjugi, quàm philoſophus. commendat voluptates rarior uſus. ſatietas contrà contemptum parit. nec jocatur ſapiens, niſi cum tempeſtivum eſt, nec blanditur, niſi cum in orgaſmo eſt. Et quia non niſi honeſtas voluptates expetit, certiorem robuſtioremq; gignit prolem. Quare rationem in conſilium adhibet, etiam tunc, cum nihil minus eſt, quam Metaphyſicus & contemplator. Certè Socrati, oraculo Apollinis ſapientiſſimo, uxores duæ fuerunt. nec tamen deſiit propterea ἀεροβατεῖν, καὶ τὸν ἥλιον εἰσορᾶν, *per nubes ambulare & ſolem intueri*. Etenim, non laudaverim illos Sapientes, qui uxori non niſi rogati reſpondent, qui egregias matrum animas culinæ curis mancipant, qui Muſæis ſuis ſe abſcondunt, ut cochleæ teſtis, intempeſta nocte atramentum bibere malunt, quam cum tenera conjuge διαλέγεσθαι, ſtylo codicillos, ſub ipſis periſtromatis, importuna diligentia fodiunt, & pulpita alibi quam inter Bibliothecas inveniunt. Tales ego in muliebri Synodo cauſam dicere juberem, & illius cadere vel ſtare ſententiâ.

PETIT. Cicero rogatus ab Hirtio, ut poſt Terentiæ repudium, ſororem ſuam duceret, negavit, dicens, non poſſe ſe ſimul & uxori & philoſophiæ operã dare.

BARL. Dixit hoc forte Arpinas noſter, poſt repudiatam Terentiam, cum ſatur jam eſſet voluptatum, & ab alia Terentia ſibi timeret. Et ſi dixit, non conſtitit ſibi Cicero, nam ſenex juvenculam & vix nubilem duxit.

PETIT. Illud quoq; objiciunt, fatuos ut plurimum naſci ſapientibus. dum enim perpetuo animum meditationibus obſtringunt, avocant ab officio, quod conjugi debetur, attentionem animique præſentiam.

Nu-

BARL. Nugæ. Quis ſapientiæ filiam unquam dixerit eſſe fatuitatem? Quis ſapientem alia cogitare præſumat, cum humani generis commodis & incolumitati ſtudet? naturæ vitium eſt fatuitas, non doctrinæ. accidunt ſapientibus pediculi, ſed non à ſapientia.

PETIT. At mala plurima incommodaq; manent conjuges, quæ moleſtiam faceſſunt ſapienti.

BARL. Manent ea etiam inſipientem, & magis. quia quæ hic mala interpretatur, ridet ſapiens & contemnit, aut Sapientiæ præceptis inſtructus ſuperat. Aliter ſenſit ſummus in Rep. Romana vir, qui in concione ad populum, hæc dixit: Si abſque mulieribus eſſe poſſemus, Quirites, magna moleſtia careremus. Nunc vero cum ita natura ſit comparatum, ut nec cum illis ſatis commodè, & ſine illis nullo modo vivere poſſimus, potius eſt neceſſitati, quam brevi voluptati concedendum.

PETIT. At Eraſmus, magni nominis vir, in quo doctrinā mite ac come invenit ingenium, in ſuo Stultitiæ Encomio, inter infinitas Moriæ formas ſpecieſque, primam refert conjugii.

BARL. Hoc te neſcire nolim, Eraſmum, illo libello, Stultitiæ elogio inſignire plurima, quæ reapſe ſtolida, delira, fatuaq; ſunt. Deinde, eandem Stultitiam, ut ſtulta deprædicare, res ſapientiſſimas graviſſimaſque, imò ſanctiſſimas, quæ pro ſtultis habentur aliorum minus ſapientium judicio. Inter has, Conjugium eſt, uti & tota Euangelica doctrina, quam ut fatuam exagitat Moria, quia Sapientiam Dei ſtultitiam credit mundus & infidelium quiſque.

PETIT. Amare & ſapere vix Deo conceditur.

BARL. Hyperbolicum hòc. non ſapit, qui inordinatè amat, nec deſipit, qui honeſtis amoribus indulget.

PETIT. Lucianus fingit Muſas Pallademque innuptas, ſtudiis occupatiſſimas, quæque à Cupidine ſagittis lædi nequeant.

Barl. Non diffiteor. Muſæ, Pallas, exangues Deæ ſunt & rationis entia, quæ uti οὐ σῖτον ἔδουσι, καὶ οὐ πίνουσι αἴθοπα οἶνον, ita nec amare neſciunt. Cum de Pallade loqueris, de prudentia & Sapientia loqueris in abſtracto, quæ ſanè virum neſcit. Sed da mihi prudentem aliquam doctamque benè habitam, & toroſam, audebis dicere, illam vulnerari non poſſe? Sane docta ſapienſque fuit Sappho, ſed læſa marito. Sapiens fuit Aſpaſia, mulier Mileſia, philoſophiæ ſtudiis innutrita, verùm magni Periclis magiſtra & uxor. Scripſit in Aſtronomiam Hypathia Alexandrina, Theonis Geometræ filia, ſed tacta Iſidoro philoſopho. Arete Ariſtippi mater publicè Athenis docuit, ſed & vulnerari illa à Cupidine potuit, cum Ariſtippum genuerit. Nonne ſapiens Cornelia, Africani uxor, & Claudia Statii Papirii conjux & Polla Lucano nupta? Poſſem infinitas congerere Pallades & Muſas, capaces muliebris patientiæ, quarum conjugiis ſplendorem decuſque ingens attulit Sapientiæ ſtudium.

Petit. Non duxêre uxorem ſapientum plurimi.

Barl. Rectè dicis plurimi. cum plures & ſapientiores duxerint. Quid? quod ſapientiſſimi æternum victuris ſcriptis amorem conjugalem commendaverint. Plato in ſympoſio ſuo non ſolum amoris naturam penitiſſimè inveſtigat, verum ut divinum aliquod numen in cœlum extollit. In Oeconomicis ſocietatem conjugalem civili præmittit Stagirita, & præceptis informat. In Xenophontis ſympoſio tanta facundia de amoris laudibus verba facit Socrates, ut mariti omnes eo ſermone inflammati ad uxorum amplexus citatis equis avolaverint, qui autem uxores non duxiſſent, quamprimum ſe ducturos eſſe juraverint. Et quam profecto eruditus ille eſt Plutarchi commentarius de mulierum virtutibus & matrimonii

for-

forma legibuſque.

Petit. Oneras me probationibus, & rationũ plauſtris. Et poſſem iis permoveri, ſi præires tu profeſſione philoſophus. Pro uxoribus & conjugio verba facis nullibi non. & ſtas intra verba, eodem vitæ ſtatu. quod facit, ut dubitem, an credas prorſus, quæ tanta contentione diſputaſti.

Barl. Defendi ego, licere philoſopho uxorem ducere. Sed vide, quanta ſit emphaſis in philoſophi vocabulo. Si talis ſum, expendendum, qualem ducturus ſim, an vetulam & quinquagenariam, an Lunæ adhuc periodis obnoxiam: an dotatam, an loculis vacuam; an diſertam, an ſilentiariam: an pulchram, an uxoriæ formæ: an quæ rhytmos ſcribere norit & pingere & canere & nere, an quæ has artes neſciat: an proceriorem me, an breviorem: an macilentam, an benè curata cute pinguem: an ancillis imperantem, an cui ancillæ imperant; an viduam an virginem: ſi viduam, an bis an ſemel viduam, an improlem an cinctam liberorum corona. De his dum delibero, Petiti, quod philoſophorum eſt, ruit hora, tacitiſque ſeneſcimus annis. Militavimus ambo, ſi ita loqui fas, non ſine gloria. nec peccaverim ego, nec peccaveris valde tu, ſi *Arma defunctumque bello Barbiton hoc paries habebit*.

Petit. Quia ab univerſali ſermone ad te & me deſcendis, abrumpam diſputationis noſtræ filum. Nec enim attinet curioſos lectores ſcire, quid mihi vel tibi illa in aurẽ dixerit, aut quid Jupiter fabulatus ſit cum Junone.

Barl. Vale & Ultrajectinos omnes non miſogamos ſaluta.

CAS-

CASPARIS BARLÆI

N V P T I Æ

PERIPATETICÆ,

ſive

Univerſæ Philoſophiæ ad ſtatum Conjugalem feſtiva applicatio.

Google

CASPARIS BARLÆI
NUPTIÆ PERIPATETICÆ,
Ad Theodorum Gravium Sponſum.

SI citharœdos, ſi tibicines & choraulas ad feſtū hoc tuum admiſiſſe minimè nefas eſſe putas, GRAVI dilectiſſime, ut cantus ſuavitate delicias auribus faciant; etiam mihi inter geniales hoſce ſtrepitus lætæ ac feſtivæ vocis uſuram concedere non gravaberis. In turba non loquar, ubi longis menſis diſcumbitur, nec attentis eſſe vacat commeſſantibus. Tecum ad ſecretiora me conferam, ubi Veneris genio pervigilium debetur, nec ferias te agere patitur tempus. Dum novam rem incœptas & arduam, non fraudabo te Sapientiæ monitis, verum optimis ac ſalutaribus præceptis pergam animum tuum componere. Præivi olim verba Juveni, & ad doctrinæ templa contendenti iter monſtravi. Jam virum ſequar, & ſuaſoria oratione compellabo novum Amoris candidatum. Dum filio regnum parat Cyrus, ea loquitur, quæ poteſtatem regiam ſpectant. Hectori ad bella ituro permixta baſiis monita in caſſidem ingeſſit Andromache. Peregrè profecturis maritis ultima verba loquuntur ſollicitæ conjuges. Tibi nuptias meditanti, & maritale imperium capeſſenti hic in promulſide ſperatæ voluptatis militabit ſermo. Fecit idem in nuptiis Polliani & Eurydices Plutarchus, in nuptiis ad Paulinum Auſonius. Nec temerè veteres in eodem ſacello Venerem & Mer-

Mercurium collocavere, quod voluptas genialis præcipuè ſermonem poſtulet, Suadamque & Gratias. Quo tempore (uti jam dicere incœpi) in illuſtri Batavorum Academia præclaris artibus operam navabas, per varias Philoſophiæ partes circumduxi omnis diſciplinæ capacem animum. Per Dialecticorum ſalebras & abrupta ad ipſam Sapientiam ibas, & verum à falſo diſtinguere doctus, torquebas catum Enthymema, formabas immobilem apodixin, diſcutiebas ſpecioſum Sophiſma. Hinc ad Naturæ ſacra admiſſus, ſupera, infera, cauſas & ex iis nata, tot rerum formas ſpecieſque, ſimplicia & compoſita, animata & inanimata contemplabaris. Mox à natura digreſſus ad morum doctrinam deflectebas, & quid turpe, quid utile mecum meditabaris. Breviter, hoc agebas, quod in perfecto viro requirit Chæroneus philoſophus, ut eſſes θεωρητικὸς τῶν ὄντων, καὶ πρακτικὸς τῶν δεόντων. Ecce, libet jam hæc ipſa, quæ tum docui, apud Sponſum, apud conjugem, inter faces, tedaſque repetere, & totius Philoſophiæ ſummam tibi ob oculos ponere; & eo quidem tempore, quo ἀπροσδιόνυσον judicabit Sponſa gravem ſapientiæ orationem. Nempe, hoc agere inſtituti, quod familiare eſt Medicorum filiis, qui ne nauſeam moveant, catapotia ſolent ſaccharo condire, aut melle edulcare. Et uti poëtarum mos eſt, ſub fabularum involucro res ſerias tradere, ita & mihi propoſitum alium vultum tetrico argumento inducere, & ex tenebris ac fumo philoſophantium lucem thalamis tuis inferre. Legiſti, cum puer eſſes, apud Naſonem, mutata in novas formas corpora. Legiſti, inquam, & ſtupuiſti, hìc arboreſcentem Daphnen, mugientem Iſidem, illic lachrymantem in marmore Nioben, alibi canentem Philomelam, latrantem Hecubam, & quæ ſunt plura ejus generis. Jam grandior mirare, ſed non ſine riſu, converſam in conjugales artes

Lo-

Logicam, Phyſicam, Ethicam, Politicam, Oeconomicam, Mathematicam totamq́, Philoſophiam in Γαμικὴν. Tibi, nuptiiſq́; tuis iſtam metamorphoſin ſacramus, dum maritali ordini initiatus nominis vitæque metamorphoſin ordiris. Scio, te Poëmation expectare. ſed pudet ſemper eodem ludo includi, & qui exhauſtam nuper paludibus ſuis Sylvam-Ducis fuſiùs cecini, unà exarui totus. Quid quod auctâ recentibus victoriis patriæ Libertate, ſervitium omne orationis compedeſque odiſſe incipiam, & ſerenæ liberrimæq́; mentis impetus non impeditos amare. Quod ſi convivio interſint, qui riſerunt nunquam, qui cum magnis virtutibus adferunt grande ſupercilium, qui theatra ingredi ſolent, ut mox exeant, Catones, Marii, Timones, Heracliti, Momi, Demeæ, eos omnes ab horum lectione abſtinere jubeo: aut, ut ridere diſcant, ſpectare attentius Nympharum γυμνοπόδια, Sileni κόρδακα, & Polyphemi petulantiſſimum τρελανολό. Tibi verò ſi tam prolixum ſermonem inpræſentiarum perlegere non vacabit, dum inſueta cogitas, vacabit ſanè poſtea, ubi prima tempeſtas deſævierit, &, ut Hippocratico verbo utar, periculum nullum erit ab orgaſmo.

Ac primùm quidem, ut à *Dialecticorum* ferculis Nuptias Peripateticas ordiar, Porphyrii vide Iſagogen, quam præfigere Organo ſolent ii, qui metuunt ne ἀκέφαλον ſequantur Ariſtotelem. Tractat ille Univerſalia, eaſque naturas, quæ aptæ ſunt pluribus ineſſe. Tu, mi Gravi, velut è Scotiſtarum Scholâ progreſſus, totus in amabilem Hæcceitatem juras, & ab *Vniverſalitate*, velut inani Morphei vultu, alienior, ſingulari Sponſa gaudes, quæ non pluribus, at ſoli tibi conjugii federe adeſſe amat. Et cum *Prædicabilia* de multis dici poſſint, tu unius BICHERÆ vir, illa unius GRAVII uxor appellari gloriatur. Multa ille de *Individuo* philoſophatur. ſed Individuum quoque

eſſe conjugum par, aut neſcivit ipſe, aut præterivit ſtudio. Illud ſolum nota, individuum, quod vagum vocant, ab Univerſalium numero ſecludi; nec minus honeſto conjugum numero eximi, quotquot vagas libidines ſectantur & plures amando conjugii ordinem infamant. Inter Univerſalia familiam ducit *Genus*, non Heraclidarum aut Arſacidarum, ſed illud, quod de pluribus ſpecie differentibus prædicatur. At hæc naturarum in *Species* multiplicatio conjugio magna ex parte debetur, cujus beneficio, ut eſt apud Lucretium,

—— genus omne animantum
Concipitur, viſitque exortum lumina Solis.

De Specie citat ex Euripide,

Εἶδος μὲν ἐστιν ἄξιον τυραννίδος,
Specioſa regem forma corporis decet.

Ego mutata vocula de virgine dixero,

Εἶδος μὲν ἐστιν ἄξιον παρακοίτης.
Specioſa nuptam forma corporis decet:

nec ego ſolum, ſed & Satyricus;

Si verum excutias, facies, non uxor amatur.

Licet nihil vetet, utrumque amari. & Propertius,

Omnia formoſam propter Briſeida paſſus.

Verum illud magis ad rem: Speciem de pluribus ſingularibus dici, quo tacitè moneris, operam uti des liberis, non ſolum, ut trium liberorum jus adipiſci poſſis, verum etiam, ne, ſi ἄτεκνος vivas & ἄπαις, degener mundi accola habearis. Quod ſi marem primum, mox feminam tibi indulſerit favens Lucina, optatam conjugum votis *Differentiæ* notionem aliquam contemplaberis. Nec deerit *Proprium*, ſi in patrias virtutes filii, in maternas filiæ adoleſcant. Jam verò illa *Accidentis* indoles, quâ citra ſubjecti corruptionem modo illi adeſſe, modo abeſſe amat, ideam exhibet earum omnium rerum, quæ ſalva conjuga-

jugalis copulæ fide vel proſpera vel adverſa nuptiis accidere ſolent.

Οὐ πάντες ἐπὶ δυςυχοῦσιν ἐν γάμοις,
Οὔτ' εὐτυχοῦσι.

Non conjugali ſemper Infelicitas,
Felicitaſque ſemper eſt comes thoro;
Adſunt, recedunt, mobiles loco Deæ.

Excipit Porphyrium Ariſtoteles, qui Categoriarum doctrinam in προθεωρίαν, θεωρίαν & ὑποθεωρίαν dividit, planè uti conjugii apparatus Sponſalibus præludit, Matrimonio perficitur, & ſua habet ἑπόμενα. Fugiunt *Homonymiam* Sponſalia, non minus, quàm laudabilis quævis dictio. Amant *Synonymiam*, cum corpore mixti nomina quoque ſua confundant, alterque alterius titulos cum dote ſibi vendicet. Nec *Paronymiam* faſtidiunt, cum uti à juſtitia dicitur juſtus, à fortitudine fortis; à ſponſalibus ſponſus (ignoſcite Grammatici) à conjugio conjunx dicatur. Et licet *Simul* naturâ ſint conjuges, illud tamen non minus certum, alterum & ordine & dignitate eſſe *Priorem*. Affirmat Tragicus:

Γυνὴ γὰρ νικῶσ' ἄνδρα κακὸν ἐςιν μέγα.

Uxor marito dignior res peſſima eſt.

Inter *Habendi* verò modos illum maximè improprium eſſe perhibet, quo uxorem habere dicimur, cum interprete Ammonio, uxor non minus habeat, quàm habeatur, præcipuè apud Ægyptios, teſte Herodoto, & hodie apud Belgas, quibus familiare eſt γυναικοκρατεῖσθαι, illud fateor, cum *Subſtantiæ* nihil eſſe contrarium perhibet longè eum à præſenti re abire. Plurima enim in amore contraria inſunt vitia, injuriæ, ſuſpiciones, inimicitiæ, bellum, pax rurſum, &, ut ex Plauto ſuppleam, inſomnia, ærumna, error, terror & fuga, ineptia, ſtultitiaque adeò & temeri-

meritas, incogitantia, excors immodeſtia, cupiditas, deſidia, inopia & diſpendium. At alterum illud, quod Subſtantiam neget recipere magis & minus, ego contrà de Amore veriſſimum eſſe affirmo, qui à virtute, blanditiis, fortunæ riſibus, prole, incrementa capit, remiſſior valdè futurus, ſi illis ipſis deſtituatur. Ita ſentit magnus ille amorum præco & arbiter, qui ſublatis otiis perire ait Cupidinis arcus. &, ut majus aliquid afferam, generoſa Carthaginis conditrix, ab obitu Sichæi frigidior, viſo Ænea,

Huic uni rurſum potuit ſuccumbere culpæ.

In *Quantitate* illud reperio, magnum ab ea ac parvum Amorem dici, verùm non ab ea quantitate, quam molis, ſed virtutis vocant: eundem longum quoque dici, ac brevem, ratione Temporis; cœleſtem & terrenum, ratione Locorum, in quibus vel Dii, vel homines amant. Et Numerum quod attinet, didici jampridem celebrem illum denarium Pythagoricum, inter alia, ex Mare & Femina conſtare: didici amplius, numerari vulgo dotem, non virtutes, aut ſi in cenſum veniant, non niſi poſt nummos. Ultima, (ſeculi vitia taxo,) de moribus quæſtio eſt; prima, quot ſervos paſcat, quot agri jugera poſſideat, quàm multa, pulchraque paropſide cœnet. *Qualitatis* vaſtiſſimo ambitu mirùm quàm multa contineantur, ſine quibus virum uxor, hæc virum faſtidiat. Annon ſapientiæ, probitatis, modeſtiæ Habitibus illos ornari ſatius, quàm armillis, gemmis, torquibuſque? annon generandi Potentiâ totum hoc opus abſolvitur? uſque adeò, ut, ſine illa, matrimonia diſſolvi patiantur Jureconſultorum rubricæ? Annon Cupido conjugalis neceſſitudinis autor oculis captus fingitur? Annon fervidos eſſe amantes oportet, & ſuaves, & blandos, & molles & candidos? non moroſos, zelotypos, procaces, aridos, deformes? *Rufamne illam virginem, cæſiam, ſparſo ore, adunco naſo? non poſſum pater*, dicebat adoleſcens apud Terentium. Annon inter qualita-

tes

forma legibuſque.

Petit. Oneras me probationibus, & rationũ plauſtris. Et poſſem iis permoveri, ſi præires tu profeſſione philoſophus. Pro uxoribus & conjugio verba facis nullibi non. & ſtas intra verba, eodem vitæ ſtatu. quod facit, ut dubitem, an credas prorſus, quæ tanta contentione diſputaſti.

Barl. Defendi ego, licere philoſopho uxorem ducere. Sed vide, quanta ſit emphaſis in philoſophi vocabulo. Si talis ſum, expendendum, qualem ducturus ſim, an vetulam & quinquagenariam, an Lunæ adhuc periodis obnoxiam: an dotatam, an loculis vacuam; an diſertam, an ſilentiariam: an pulchram, an uxoriæ formæ: an quæ rhytmos ſcribere norit & pingere & canere & nere, an quæ has artes neſciat: an proceriorem me, an breviorem: an macilentam, an benè curata cute pinguem: an ancillis imperantem, an cui ancillæ imperant; an viduam an virginem: ſi viduam, an bis an ſemel viduam, an improlem an cinctam liberorum corona. De his dum delibero, Petiti, quod philoſophorum eſt, ruit hora, tacitiſque ſeneſcimus annis. Militavimus ambo, ſi ita loqui fas, non ſine gloria. nec peccaverim ego, nec peccaveris valde tu, ſi *Arma defunctumque bello Barbiton hoc paries habebit*.

Petit. Quia ab univerſali ſermone ad te & me deſcendis, abrumpam diſputationis noſtræ filum. Nec enim attinet curioſos lectores ſcire, quid mihi vel tibi illa in aurẽ dixerit, aut quid Jupiter fabulatus ſit cum Junone.

Barl. Vale & Ultrajectinos omnes non miſogamos ſaluta.

clamet: *Cras amet, qui nunquam amavit.* In *Situ* (piget referre) ſua dicent eſſe vocabula. In *Habitu* nihil ſe invenire, quod huc ſpectet, præter eas forte denominationes, quæ à flammeis, zona virginea, annulo pronubo, ſimilibuſque nuptarum inſignibus deſumuntur. Extat porrò apud Ariſtotelem libellus περὶ Ἑρμηνείας, quem cum ſcriberet, calamum non in atramentum, ſed mentem tinxiſſe fertur. Hic multa diſſerentem audimus Philoſophum de copula Verbali, ejuſque virtute ac facultatibus, prorſus ad ſimilitudinem copulæ jugalis. licet hoc diſcrimine, quod illa à mente ſit; hæc minimè; illa ea quoque, quæ ejuſdem ſunt ſexus generiſq; copulet, ut cum dico: Thaidem eſſe Alexandri filiam, ſponſam, nurum; hæc verò non niſi ea, quæ diverſi ſunt ſexus, ἄῤῥενα puta, καὶ θῆλυ, Thaidem cum Alexandro, Catullum cum Leſbia. Illud ibidem appoſitè Stagirites ait: Res ubique eſſe eaſdem, eoſdem rerum conceptus, ſed voces diverſas, quaſi dicat, feminam ubiq; feminam eſſe; nec eorum, qui ejus imaginem mente formant, alios ſub leænæ, alios ſub tigridis, alios ſub laſcivæ capellæ conceptu eam apprehendere, (quanquam nihil vetet, eas, ſi malæ ſint, tales eſſe) verum omnes ſub feminæ. At voces omnium eædem non ſunt. aliæ blandiuntur, aliæ ganniunt, aliæ vociferantur. *Quot linguæ, totidem ora ſonant.* Ex tot Orationum formis ad Rhetores & Poëtas ablegantur Epiphonemata, Imprecationum formulæ, & Imperioſæ orationes, à quibus quoque abſtineat oportet, qui pacatam volet conjugem. Sed quam aptæ conjugibus Subalternæ enunciationes, & placidè conſpirans hinc mariti, hinc uxoris oratio. Quàm conveniens domeſticæ ſocietati illud τὸ ὑπάλληλον, licet & Ἀσύςατα illi attribuat Ovidius, cum canit: *Non benè conveniunt, nec in una ſede morantur, Majeſtas & Amor.* Divellit ſubjectum à prædicato, & prædicatum à ſubjecto τὸ Non. Mutuos & ſua-

& ſuaviſſimos amantium amplexus dirimunt triſtes querimoniæ, at quàm maximè moroſæ conjugis pertinax ἀπόφασις. Quod ſi *Syllogiſmum*, nobiliſſimum Logicæ artis actum, expendere libeat, quid quæſo ille? Diſcurſus eſt, in quo poſitis quibuſdam diverſum quid à poſitis ex neceſſitate accidit. Nec aliud profectò quid Conjugium eſt, in quo diſpoſitis ſecundum leges divinas & humanas viro & femina, diverſum quid ab illis, chara nempe ſoboles, magnum patris incrementũ ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει. Habet ratiocinatio ſuas præmiſſas. habet & generatio. Illa majorem minori præfert. Hæc virum feminæ. Illa concluſionem vel ſolius formæ neceſſitate infert, hæc non niſi formæ & materiæ neceſſitate ſuaviſſimam liberorum turbam elicit. Libet philoſophari ſubtilius. Ex puris negantibus nihil ſequitur. Hîc nihil, ſi vel alter conjugum ſit negans. Optima eſt argumentatio ex puris univerſalibus. Hîc nulla bona, niſi ex puris ſingularibus, Caio & Caia, Sempronio & Sempronia, Alcmena & Jove. Univerſalia generare, nuſquam, quod ſciam, memoriæ proditum. Concluſio ſequitur partem deteriorem. quod & multis retro ſeculis conjugio probatum. Ciceroni ac Meſſalæ oratoribus ſummis, parentibus optimis degeneres fuere filii, illi M. Cicero, huic Cotta Meſſalinus, à peiore matre vitium trahentes. Et Socrates omnium mortalium Appollinis oraculo ſapientiſſimus, liberos habuit patri diſſimillimos, matri Xantippe ſimiliores, ut eſt apud Senecam. Vitium eſt, ſi plus ſit in concluſione, quam in præmiſſis. Nec minus naturæ error fuit, cum Ciceronem parentes genuere cum cicere. Denique ex veris nil niſi verum, uti ex fortibus fortes creantur & boni. Porrò ab Exemplo qui argumentantur Oratores & Poëtæ, gaudent à thalamis, uxoribuſque exempla petere. Tale eſt illud acuti vatis, quem non nomino, *dabat hoc Cornelia Graccho*,

Iulia Pompeio, Portia, Brute, tibi. Tritum etiam illud apud umbraticos Enthymema ἀπὸ τοῦ εἰκότος, *Pallet, ergo amat*. Illud indignor, tam acri Dilemmate virginum ſpem oppugnaſſe Biantem, cum *uxorem ducendam negat*, ob hoc, *quia nec formoſa ſit ducenda, utpote* κοινὴ, *nec deformis, utpote* ποινή. cui conſona dixit alter quidam, qui juveni nondum, ſeni nunquam ducendam uxorem contendebat, τῷ νέῳ οὐδέπω, τῷ γέροντι μηδεπώποτε. At vide, ut etiam lepida Inductione concludat Bilbilicus, *Lib. 3. Epigr. 53.*

Et vultu poteram tuo carere,
Et collo, manibuſque, brachiiſque,
Et ne ſingula perſequi laborem,
Tota te poteram Chloë carere.

Quam verò oportunum hoc *Dialecticis diſſertationibus* ſit argumentum, inde conſtat, quod probabilium quæſtionum ſuppeditet luculentam penum. quales ſunt: *An ſapienti ac literato ſit ducenda uxor. An ducta jam uxore ſit philoſophandum. An præſtet cum Scævola manum habere in flamma, an cum Ariſtippo in ſinu Laidis. An rectè à Demoſthene reſponſum ſit*, Non *emi tanti pœnitere. An ducenda ſit uxor oculis ſolum, an etiam auribus: hoc eſt, an ad formam ſolum ſit reſpiciendum, an etiam attendendum ad famam. An præſtet nobilem ducere ignobilem & divitem, an nobilem nudam agris & nummis. An juvenculam, an plenis annis nubilem. An tenui & anguſta fronte inſignem Lycorida, qualis Italis placet, an latâ & tuberoſâ, qualis noſtratibus. An Venuſinam, an Corneliam pro dote triumphos numerantem. An indoctam, an quæ docta tenebit Dicendi genus, & curtum ſermone rotato Torqueat enthymema, vel hiſtorias ſciat omnes. An expediat uxori ſubinde liticulam movere, ut mox amoris fiat, cum lucro, redintegratio. An viri in familia dominium monarchicum ſit, an Ariſtocraticum ita ut in partem imperii admitti debeat uxor. An viri in illam imperium civile ſit, an herile. An phantaſiæ uxo-*
rum

rum indulgendum ſit in in ornatu corporis. An ſolas deambulare fas ſit: An ἑλικῶπις, βοῶπις, γλαυκῶπις *pulchra ſit.* & quæ plura *loquacem Delaſſare queant Fabium.* Quod ſi *Demonſtrationem* τετράγωνον, quæque ſcientiam animo ingeneret, ab amantibus exigas, dicam cum Philoſopho, exquiſitas Demonſtrationes in materia contingenti, & tot caſibus obnoxia perperam exigi. Sed ut Sophiſtarum cavillis expoſita ſit, docent Scholæ, quæ ad Amphiboliam referunt: *Audio uxorem habere te.* ad fallaciam accidentis illud Comici, Θάλασσα, καὶ πῦρ, καὶ γυνὴ, κακὰ τρία. *Tria ſunt mala, æquor, ignis atque femina.* ad fallaciam à dicto ſecundū quid ad dictum ſimpliciter, πᾶσα γυνὴ χόλον ἔστιν, ἔχει &c. *Femina tota furit.* ad fallaciam à non cauſa ut cauſa, *Ventricoſa eſt,* ergo *in utero gerit.* ad fallaciam plurium Interrogationum pro unâ, *Clælia, Agrippina, Scribonia, fueruntne matres fæcundæ?* Ex quibus omnibus patere arbitror, quanta Logicæ & rationalis doctrinæ cum conjugali ſtatu ſit cognatio; ut toto cœlo mihi errare videantur, qui à ratione alienum putant, imperatorem Univerſi virum in conjugis ſe gremium demittere. Jamq; iſta ſcripſeram, cum tædium ignobilis ac ancillantis diſciplinæ obrepere cœpit. mox cantillare exorſus, dum feſſam ab intentiori meditatione mentem relaxo, ilicet ad ingenium redii, & hiſce verſiculis margines libelli conſpurcavi.

Ite graves ferro clypei, galeæque, duceſque,
Et quicquid, Bellona, probas. Tu ſæve faceſſe
Mars pater, & Paphiis furialia prælia bellis,
Et facibus ſecerne faces, atque ignibus ignes,
Non ego jam Sylvæ muros, non ſubruta flammis
Tot circum caſtella canam, non matribus arma
Deteſtata piis, crudæque incendia pugnæ.
Molle melos Citherea cupit, levibuſq; Camœnis

Dici Cypris amat; grandeſque exoſa cothurnos
Gaudet Acidalio thalamos percurrere ſocco.
Ille mihi quondam Sophiæ deductus in hortos
Virginis os tenerum, & blandæ promiſſa puellæ
Cogitat, inſolitoque furens incanduit æſtu.
Tu celerem in flammas juvenem Sapientia dictis,
Conſilioque juva, vellem prudenter amari,
Quam jam Sponſus amat. vellem ſapienter amari,
Cui debet ſe Sponſa, virum. ſine lege maritum
In thalamos inferre faces, inſania lecti eſt.
Veſtigant ſecreta Duces, bellique labores,
Vt noceant præviſa minus. diſcrimina Nerei
Navita, & in cœco ſcrutatur ſaxa profundo,
Ne noceant occulta rati. tu pectore, Gravi,
Dum Cyprum, totamque Paphum, Gnydiiq; recondis
Arma Dei; primoque ferox incumbis amori;
Barlæi præcepta tui, monituſque ſuaves
Accipe. Iamque gravis credas commenta Lycei
Inſanire tibi, tetricos miteſcere vultus
Doctorum, & rigidæ dici convitia barbæ,
Graiaque Romanis impleri pallia nugis.

Quare *Phyſiologiæ* quoque, & rerum naturalium capita perſtringam, cum Phyſici corporis affectiones laudatiſſimæ ſint, amare & amari. Sed præeat Stagirites ipſe, qui de informi *Materia* obſcurius diſputans, ut intelligi poſſit, eam Feminæ comparat, quæ virum appetit. Evolvam latius Peripateticum ſenſum. Materia per ſe rudis, indecora, turpis, ſine *Formâ* ſordet. Nec ſine viro mulieri ſuum decus ac ſplendor conſtat. Materia ſine formâ diſtingui ac ſecerni nequit, cum unus idemque ubique ejus ſit vultus. Nec uxor Catonis, Attici, Cæſaris nuncupatur, niſi poſtquam ſuo quæque marito placuit. Materia indifferens eſt ad omnes formas. Etiam mulier nulla naturæ neceſſitate huic magis quam illi, ſeipſam debet. Cum materia ut ma-

maritet forma, illam diſponi oportet ac alterari. Etiam mulierem blandimentis deliniri neceſſe eſt, ut hunc præ illo admittat. Materia nullam rei naturalis ſpeciem parturit, niſi ab Efficiente mota. nec mulier ulla ſobolem, citrà viri opem. Noli mirari, formæ ſimul & Efficientis analogiam induere virum, cum in Phyſicis nihil vetet, unum idemq; formæ & efficientis officio fungi. Materia & forma totum compoſitum ſunt. *Maſculus & totum*, ait Propertius, *femina conjugium*. Ergo, uti inſatiabili formæ deſiderio tenetur materia, ita & Æneæ amore *Vritur infelix Dido, totaque vagatur Vrbe furens*: & Pyrami deſiderio Thiſbe in invidum parietem invecta fuit: Phaonis amore, è ſcopulis ſe præcipitem dedit Sappho. Cujus quidem deſiderii cauſam ex Platone diſcite, qui homines fingit ex mare & femina conſtitiſſe, poſteà facta partium diviſione, ac ſectione, manſiſſe in iiſdem veteris junctionis & copulæ appetitum. Nec ſecundam formam admittit materia, niſi extincta priore. Neque Tiberio jungitur Livia, ſuperſtite Marcello. Privationem mariti debiti adeſſe, erudita Epiſtola deplorat Icari filia. At illam abſentiam formæ debitæ ineſſe definit Peripatos. Idem privationem & formam contraria vult eſſe Principia, at Empedocles Amorem & Litem. De *Natura*, quæ cauſa motus eſt & quietis, deque principio Activo & Paſſivo, nihil attinet dicere. Sunt Veneri non minus ſua ſacra, quæ revelare nefas fuerit, quam Cereri. Flammeis Sponſam velavit antiquitas, ne, quod vult illa, appareat velle. Illud ſolum dicam: Naturam quoque eſſe, quæ ad licitas voluptates nos invitat. unde Venerem quidam dictam putant, quia nec vocata ſponte ad nos venit, *Omnibus incutiens blandum per pectora amorem*. *Cauſas* generationis *externas* apud eundem philoſophum leges, ubi inquit, *Sol & homo generant hominem*. nec alio fine hominem amat homo, quàm ut homines eſſe non deſinant. *Fortunam* & *Caſum* in his rebus ludere dicerem, niſi obſtaret

Saty-

Satyrici autoritas, qui ait, *Fatum eſſe in partibus iſtis*, &c. Magis Phyſica ſunt, quæ de *Motu* diſputat. ut alia omittam, illud ad ravim inculcat, tanquã Phyſicæ κεφάλαιον, Motum fieri ſucceſſivè, generationem contra in inſtanti, cum minus hac in parte acutus Maro dicat, natum Pollioni filium, poſtquam *Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes*. Perpetuum & grande eſſe, ait, odium *Naturæ* & *Vacui*. ſtupenda illam hujus metu moliri, ima ſurſum, ſupera deorſum protrudere, obſtantia perrumpere, frangere ſaxa, moles attollere, aut motum ipſum invitis motoribus prohibere. Habent & ſuum Vacuum, quod metuant, Lares domeſtici, habent, quod optent. Metuitur bonæ mentis ſoror paupertas, ut quæ vacuis loculis ambulare ſolet, nec, ſi *Plenos* illos fors dederit, valde de corporum penetratione cum Democrito & Meliſſo ſollicita fiet. Contra optant Vacuam à lite, aſperitate, ſuperbia domum. Poſſem infinita hujuſmodi congerere ad hanc rem, ſed cum *Infinitum* nullum dari contendant Phyſici, vereor, ne Præceptorum incurram offenſam. Verum ut ad Te convertam orationem, Gravi doctiſſime, *Cœlum*, cui aliquando deberis, contemplare, orbeſque ſupra mundum hunc poſitos percurre. Apparet inter ſidera cum conjuge ſua Cepheus, ut locum quoque conjugibus in cœlo eſſe poſt fata docearis. Apparent tot virginum, ac matronarum faces, Andromedæ, Aſtrææ, Veneris, Dianæ, ut ſcias etiam cœleſtibus placere ſexum iſtum, quem hic mortales tędio optimarum rerum ſequiorem vocamus. En locum, à quo læva dextraque omina novis nuptis petere ſolent Aſtrologi, fecunditatis ac ſterilitatis, longi breviſque ævi præſagia. Hîc genituræ tuæ dominos vides, vitæ moderatores *Planetas*. Ex his Saturnum cave, inimicum amantibus ſidus, ob frigus. Jovem venerare (ab hoc Joviales dicti) divitiarum, honorum, lætitiæque datorem. Martem fuge, igneum, ferocem, iracundum. Omnibus dignior Sol, cui tot virtutes

ineſſe

ineſſe perhibet Ptolomæus, quot reliquis ſtellis. Venerem, in cujus jam ſtas horoſcopo, ſuſpice, quæ, ubi ad Bichæram acceſſeris, plus ſatis dabit incaleſcere. Mercurium probo, ſapientiæ & eloquentiæ autorē, patriæ urbis tutelarem Deum. Sed Lunam averſare amentiæ, inſtabilitatis, ignorantiæ, ignaviæ matrem, ideoque Endymioni dilectam. Eam quoties vultum mutare vides, variam ac mutabilem vitæ rationem cogita. Ubi Sol in Geminis fuerit, gemellos expecta, Caſtori & Polluci pulcherrimis juvenibus ſimiles. Ubi in Virgine hærebit, filiam ſpera, Helenæ forma non diſſimilem, ſed moribus ac fato. Hęc ex Zoroaſtris, Apollonii, Eudoxi, Zamolxidis diſciplina hauſimus. Penè oblitus eram ſuaviſſimi iſtius ac harmonici concentus, quo præterlabentes invicem orbes Pythagoreorum auribus accinunt. Exhibet is ſpeciem ſuaviſſimæ inter vos conſpirationis, & in vita, ſermonibus, factiſque laudabilis conſonantiæ. A cœlo ad *Elementa* deſcende. ab Igne non nihil caloris peti ſuaſerim, caveri illud τὸ ξηρότατον. Aëris multū, & quanta potes laterum contentione imbibe. φυσώδεις enim expedit eſſe ámantes, & ſpirituum plenos. At cur ἄριςον eſſe ὕδωρ inquit Pindarus noſter? fortè ob hoc, quod cum Platone credidit, mundum eſſe animal, ad hujus verò generationem conſervationemque maximè facere humidum, annuente Homero,

Ὠκεανόντε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα τηθυῶ.

Oceanum matremque Deûm, Tethynque parentem.

Nec terram faſtidi, quam Aſcræus poëta in ſua Theogonia cœli conjugem, omniumq; communem matrem vocat. Ex his quatuor alteratis unione quadam fit *Mixtum*, uti neque malè miſceri dixeris fide conjugali nexos amantes. Magni poëtæ hemiſticium eſt, *Mixta Deo mulier*. Quæ ipſa mixtio uti in natura abſque *Reactione* non fit, ita reciprocis quoq; amoris & benevolentiæ officiis Aphrodiſia ſacra conſtant.

Etiam

Etiam hic valebit illud Martialis,

Vt præſtes Pyladen, aliquis mihi præſtet Oreſten.
Hoc non fit verbis. Marce, ut ameris, ama.

In *Meteorologicis* fumi & vapores utramque paginam faciunt. Sed & amantium ſunt fumi, & vaporum inſtar evanidæ voluptates. quod infitias non ibit, qui ſecum reputabit, quas vir cum uxore dicat ineptias, quas agat nugas, quoties de poſteritate ſollicitus humani generis jacturam reſarcit. Ibidem audio de *Draconibus volantibus*, de *fatuis ignibus*, de *lancea ardente*, de *fulmine & tonitru*, de *ventis, tempeſtatibuſque, imbribus, grandine, mari*, ac ſimilibus terrorum plenis nominibus graviter diſceptari. Sed an unquam ita bene compoſiti fuere conjuges, quos non ſui ſubinde tranſvorſum rapuerint turbines, accenderint irarum faculæ, de ſtatu tranquillæ mentis dejecerint fluctus? Non credo verum eſſe, quod monumento ſuo inſcribi juſſit P. Rubrius Celer: ſe cum uxore vixiſſe XLIII. annos, menſes VIII. ſine querela. De Fatuis conjugum ignibus nihil dicam, cum de iis prolixè ſatis totum jam ſeculum declamaverit Moria Eraſmi. Iridem quoque ſcis evanidæ eſſe naturæ, ut diſcas evaneſcere ſubito amantium iras: eandem varios colores induere; & jam blando, jam torvo vultu opus eſſe patrifamilias, prout vel poppyſmo lenienda eſt uxor, vel objurgandi liberi, vel coërcendi famuli. Metalla, altè terræ viſceribus repoſta, ſcrutatur pallidus foſſor, ſed non invenit, niſi præeunte virgula divina. Nec fidem aut amorem conjugis rectè exploraveris, niſi ſalutari afflictionum virgula tactus. In *Lapidum* genere Smaragdos tibi commendo. ſoli enim grata viriditate oculos feſſos Candidæ tuæ intuitu reficient. *Florum*, herbarumque fragrantiam in hortis amamus, quæ ſi in moribus quoque veſtris renideat, gratiſſimum quaquaverſum odorem ſpargent. Sunt & amoribus ſui horti & viridaria, in quibus ſollicitè à te velim obſervari, Parthenium, myrtum, euphraſiam,

ſiam, pomum amoris, ſempervivum, & ſi neceſſum ſit, erucam & ſatyrion. In *Avium* genere cornicem ac columbas ama, amoris ſymbola: ad hæc *Piſcium* genus omne, in ipſis aquis frigoribuſque exardeſcens. Ante omnia, *Animam*, ſine qua trunci ſumus & lapides, intuere. Eſt ea actus corporis organici potentia vitam habentis. quod quidem totum viro convenire arbitror, qui conjugi unitus, ἐντελέχεια eſt σώματος ὀργανικῦ τῇ δυνάμει παῖδα ἔχοντος. Officium ejus naturaliſſimum eſt, τὸ γεννᾶν. quod & tuarum jam eſt partium. Illi *Viſum*, *Auditum*, *Guſtum*, *Olfactum*, *Tactum* accéptum fers. At quid eſt, ait Varro, *quod homo libentius videre debeat, quam bellam uxorem*, addam ego, & rotatorios amantium oculos, duri ac illachrymabilis Plutonis illices? Quid audire impenſius amat, quam eandem ὑποκοριστικῶς loquentem? Nihil quoque ſalſum, nihil ſuave eſſe poteſt, ubi amor non admiſcetur. Idem,qui dat dulce, amarum ad ſatietatem uſque oggerit. De olfactu dixi, cum de morum fragrantia verba facerem. Et niſi per Tactum fuiſſet, immeritò tantis animis Paridi ſuccenſuiſſent Atridæ. Quanta *Memoriæ* in mulierculis ſit vis, inde liquidò conſtat, quod ſine illa lentum ſuum Ithacum jamdudum plorare juſſiſſet Penelope. quanta vero *Imaginationis*, ex eo, quod illius impulſu Helleſpontum toties tranaverit Leander, & viſam ſemel Cleopatram amare ſuſtinuerit Antonius. *Hærent infixi pectore vultus, Verbaque.* Iam vero Animæ diſtinctioni in Vegetativam, Senſitivam & Rationalem, annon reſpondet amoris diſtinctio in Naturalem, Animalem, & Rationalem? *Affectuum* inſuper, quos Græci πάθη vocant, hiſtoriam cum leges, cogita, ſine Amore nec patrem te unquam fore, nec jam Sponſum, cras maritum eſſe poſſe. Gaudio verò ac voluptate non minus carere poteris novus amator, quàm umbram non jacere, qui cis ultraque Solem poſiti ſunt.

Totius conjugii moderatrix eſt *Ratio*, qua uti aliis imperamus, ita & illi parti potiſſimum imperare nos neceſſe eſt, quæ rationem non niſi invita audit.

Formant cuncta virum, docent maritum
Cœlum, ſidera, terra, pontus, aër,
Occultumque aliquid thoro loquuntur.
Saturnus gravis incubat cubili,
Emollitque ſenem ſereniore
Vultu Cypris, amicior puellis.
Promittunt ſobolem, negatque ſtellæ,
Promittunt facilem negantque Sponſam.
At non iſta, minantiumque duros
Moratur ſapiens Deûm labores.
Aſtris imperat, applicatque lecto
Totum Zodiacum ſagax amator.
Et quibus ratio faces miniſtrat,
Mens exercita, maſculumque pectus,
Cœlum, ſidera, terra, pontus, aër,
Totum proſpera donat Univerſum.

Illud quoque non ſemel me dixiſſe recordor, Socratem *philoſophiam, è cœlo ac aſtris, in domos urbeſque* deduxiſſe. Ego dum

Avia Pieridum peragro loca, nullius antè
Trita pede, ————

eam è cœlo & Naturæ ſacrario in thalamum & amplexus tuos deducam. Magna eſt & acris apud morales Philoſophos de *Beatudine* diſceptatio. Inter ducentas & octaginta opiniones, ſi Varroni fides, placet illa, quæ eam in virtutis continua actione ponit, & ea quidem, quæ individuam ſecum trahit animi corporiſque voluptatem. at hanc ipſam ſi à conjugali vita diſtraxeris, non vita ea, ſed mors appellanda eſt, licet è Zenonis porticu dimiſſi perpetuis illam convitiis dilacerent, fortè, ut deterritis aliis, ipſi ſoli fruantur. Multa apud eoſdẽ de *Utili, Honeſto & Iucundo* eſt

eſt contentio. quæ omnia in tuos uſus converte. Nam & augendæ rei familiari ſtudere te oportebit, quod utilitatis eſt; & ea ſectari quæ ſine ullis præmiis fructibuſque propter ſe expeti merentur, quod honeſtatis eſt; nec averſari ſuavem conjugis fruitionem, *Et tot millia baſiationum*, quod jucundum interpretor. Recenſebo Virtutes, veræ beatitudinis media & cauſas, omiſſis iis, quæ de *Spontaneo* & *Invito*, *Electione* ac *Conſultatione* in medium proferri ſolent. Neq; enim dubium eſt, te Sponte hoc vitæ genus elegiſſe. Et quis credat, in Veneris ſervitium cõceſſiſſe δι' ἄγνοιαν, aut διὰ τὸ βίαιον prudentiſſimam & humanæ imbecillitatis probè conſciam Virginem? *Fortitudo* circa τὰ φοβερὰ καὶ θαῤῥαλέα occupatur. Quare, tu Virgo, *Volſcorum egregia de gente Camillam* imitare, quæ viris auſa fuit concurrere, ut eſt apud Maronem. Virginitati ſi metuis, age, ut de te ipſa victoriam & triumphum reportes, ſine, eam rapiat maritus. Vinci velle, viciſſe eſt; & ſimulaſſe animi ægritudinem, ea demum vera ſexus veſtri laus eſt. Hîc virum non alloquor, cui fortius ad res tantas ingenium ſuſpicor eſſe. At *Temperantia* omnium virtutum fidiſſima cuſtos, utriuſque veſtrûm erit. Quiſquis conjugem amas, ſeriò ama, aut amari ſi illa ſe frigidiuſculè ſentiet, mox in amore tepeſcet. & quem minus amare deſinet, odiſſe incipiet. Ita tamen, mi Gravi, amare te velim, ut, contra quàm, poſt obitum Terentiæ, fieri poſſe dicebat Cicero, & uxori & ſapientiæ operam dare poſſis. A Sponſa redamari te cupiam, ſed caſtè, ſed ſobriè, ſed verecundè. Quæ flagrat, minus modeſta erit, quæ furit, minus tranquilla. Ardentes in amore vidimus, ſed mox zelotypas, quæ ſi maritus aliò oculum torſerit, ſi oſculum vicinæ indulſerit, ſi ridenti non ſubriſerit, ſi rure tardius reverſus fuerit, angentur animo, & ſe negligentius haberi putant. Vetus hoc legi,

Quæ mulier ſuum virum vult ſibi obſequentem eſſe, & diutinum,
Modicè atque parcè ejus ſerviat cupidines.

Quam illa ſapuit, quæ rogata, *ecquid maritum complexa eſſet*, reſpondit, *Non ego illum, ſed ille me.* Etiam *Iuſtitiæ* hic locus, cujus officium eſt, unicuiq; ſuum dare. Quæ verò conjugum mutua ſint debita, ex lege innata, non ſcripta habere facile eſt. Sed hanc moderabitur *Æquitas*, quæ faciet, ut in meliorem omnia partem ſumantur, & quod deforme eſt, formoſum; quod vile, precioſum appareat. Ad proprias magis conjugum virtutes me confero. Sunt eæ, Concordia, Fides, Caſtitas, Manſuetudo, Patientia, Comitas. De *Concordia* Naſicaam audite Ulyſſi loquentem,

——— Οὐ μὲν γὰρ κρεῖσσον καὶ ἄρειον
Ἠ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασι οἶκον ἔχητον
Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή, πόλλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι,
Χάρματα δ' εὐμενέτῃσι.

Nam nil pulchrius eſt meliuſque,
Quam cum vir mulierque ſuam concorditer unà
Ætatem degunt, in quo dolor hoſtibus horum,
Sed ſit gaudium amicis.

Ea ut ſarta tecta inter vos ſit, opus eſt amore, ſed à quo nec *Verecundia*, nec reverentia abſit. ſecus ſervitutis ille illecebra eſt. Novi maritos, qui in publico nugari, jocari, os libare amant. novi, qui non niſi ex uxoris imperio loquuntur, & ambulant. Tales, cũ imperium dote vendiderint, aureis compedibus ambulare ſcripſit Petrarcha. Exclamandum his cum Comico, *Vxorem duxi, quam non ibi miſeriam vidi.* Alterum accipite Concordiæ authoramentum, *Pati multa*, connivere ad multa. Diomedes ſcribitur ab Homero in bello ne Veneri quidem peperciſſe. Tales viri quidam ſunt ferocientes & ſævi, qui tenellum ſexum exaſperare immiti ſermone malunt, quàm blando demulcere. *Caſtitatem* exigo. Improba ſiquidem vox eſt, etſi Imperatoris & ar-

guta: *patere me alias exercere cupiditates meas. Nam uxor nomen eſt dignitatis, non voluptatis.* Data mutuo *Fides* non niſi cum morte divortium faciat. *Comitatem* impero, qua alter alterius animum dejectum eriget, triſtem exhilarabit, languentem exſtimulabit, ægrotum levabit, ferocem franget. Si exempla vultis, Clytemneſtras, Danaides, Fauſtinas, Roſemundas deteſtor. Laudo Creuſas, Artemiſias, Julias, Æmylias, ardua exempla, ceterum cognoſci utilia, quia excellentiſſima animadvertenti ne mediocria quidem præſtare difficile putabitur.

Vado ad *Politicam*, ſcientiarum omnium principem & Architectonicam. Hæc ſine ſtatu conjugali nulla eſt. Nec enim civitas, niſi ex familiis coaleſcit, nec hæc perfecta eſſe poteſt, ſine viro & uxore. Diſcrimen tamen ingens utriuſque ſocietatis obſervaſſe mihi videor. In illa gravitatem omnia, & ſeveritatem ſapiunt; hæc riſibus, jocis, luſibuſque temperari amat. Sæviat in Capitolio Nero, hîc miteſcet. In Areopago frontem corruget judex, hîc eandem explicabit, adamantinas leges edicat, hîc deliciandi ſpatium quæret. In Curia quamvis gravis Cato, hîc parum penſi habet, & dum uxori vacat, de Carthagine excindenda minus cogitat. Politica conjunctio hominibus tutandis, hæc generandis ſervit; illa ut benè ſint, hæc, ut ſint, facit, humani generis architectrix unica. In illa ruptam pacem aut legum rigore, aut ferro reparamus. hîc urbanitate & intima admiſſione ſopitis amantium iris recrudeſcit amor. Et quanquam Politicorum judicio Reſpublica melius regatur à viris, quam à feminis: nihil vetat tamen de Republ. & has benè mereri. Cum angeretur valde Auguſtus, & inſomnes noctes ageret, deprehenſa in ſe conjuratione L. Cinnæ, ſenſit, & blandè exquiſivit Livia, *Et potes*, inquit, *feminam audire? Omitte conſilia de puniendo, cogita de ignoſcendo. Vindicta & ſeveritas quod hactenus non perfecere, vide an benignitas ac clementia dabunt.* Paruit Auguſtus, ig-

 novit,

novit, & in poſterum muliebri conſilio liber ab inſidiis vixit. *Oeconomica* doctrina tota veſtra eſt. Partes quippe ejus ſunt, parentes, liberi: maritus uxor: dominus, ſervus. De ſingulorum officiis eruditè in Oeconomicis ſuis diſſerit Ariſtoteles. Unum excerpam, idq; emphaticum valdè: *Viri erga uxorem eam eſſe rationem quæ principis erga ſubditos.* Quid, quod lib. I. cap. I. *Oeconomiam Monarchiam eſſe pronunciet*, & lib. I. Polit. cap. VIII. *Mulieris principatum non per ſe, ſed præter naturam eſſe.* Quare cum Thelemacho, velut in majeſtatis tuæ throno ſedens, exclama:

Αυταρ ἐγων οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο.

Sum propriæ Rex ipſe domus, princepſque meorum.

Lycios nihil morare, qui majoribus honoribus mulieres proſequuntur, quam viros: neque Sauromatas, qui genus hominum barbarum, in univurſum ferè parebant uxoribus. *Mathematica* ſupereſt. Ab hac normam & amuſſim benè vivendi capite. Uti enim illa omnia ordine, numero, pondere, & menſura facit, ita & à conjugibus hæc ipſa obſervari æquum. A *Geometria* ſpecialius diſcite, toto cœlo ab amantium ſtudiis differre lineas parallelas: Ab *Arithmetica*, quid ſit proportio Arithmetica & Geometrica, cũ illius in dote rationem haberi non repugnaverim, hujus in vita, moribuſque haberi neceſſe ſit: Ab *Optica* diſcite, reflexum amoris radium ſimplici efficaciorem eſſe. Catoptrica non commendo iis, quibus ob virtutem ſolam, pulcherrimoſq; ejus vultus conjuges placent. A *Metaphyſica* ſtudio abſtinui. Quia cum proprium ejus ſit, ea conſiderare, quæ ἐξ ἀφαιρέσεως ſunt, à materia abſtracta, vos verò ea quæ ἐκ προσθέσεως ſunt & materiæ permixta ametis: veritus fui, ne in modum conſiderandi res Metaphyſicas peccarem, & δι' ἀπαιδευσίαν dicar hallucinatus fuiſſe.

Deſinam itaque philoſophari, & læta comprecatione Nuptiis Peripateticis finem imponam, illud ſolum ſi dixero:

ro: Felicem eſſe Sponſum, cui uxor talis contigit, in qua cum formâ mixturam fecit pudicitia, cum opibus humilitas, cum honeſtis natalibus modeſtia, cum facundia morum candor: Felicem quoque te Sponſam, tali marito, in quo eruditio cum prudentia, cum probitate pietas, cum comitate gravitas optimo fœdere coiëre. Vivite læti, & inter haſce vitæ ærumnas, & mundi lubricos caſus, piè ac jucundè ætatem tranſigite, liberoſque in ſolatium ſimul veſtrum & ſubſidium, amicorum & patriæ ſpem plurimos gignite.

Hæc dum remiſſo diſputamus otio;
Foris ſub ipſis præliatur Alpibus,
Et ſigna tollit præpotentium furor.
Domi triumphos, fracta Rheno cornua,
Moſamq; victum, fataq; indomabilis
Miramur urbis. ire retrò Cæſarem,
Aquilas fugari, lætiorem Marſacum
Frontem receptis explicare finibus.

In Batavis, tu noſter, amas, primuſq; tuorum
Ordiris, Theodore, virum. dulciſſima res eſt
Conjugium, conjuxq; tibi. poſt bella, neceſq;
Tranquillum meditaris opus. diſpendia mundi
Tanta cupis ſarcire pater, belloque cadentes,
Pro patria, reparare animas: proferre nepotum
Nomina. Virginitas, & Virginitatis honores
Sordent cuncta tibi. pudor eſt, ſine conjuge, primos
Effluxiſſe dies, pigram traxiſſe juventam,
Et magni genuiſſe nihil. Nunc verba mariti
Ingeminat Bickæra tibi, mutataque de te
Adſueſcit Matrona loqui. ſic Portia fecit,
Cum ſua in ingenti defigeret oſcula Bruto.
Nec ſapuit Druſilla magis, prudenſque Serenæ
Pectus, & Auguſto recubans Vipſania lecto.

FINIS.

novit, & in poſterum muliebri conſilio liber ab inſidiis vixit. *Oeconomica* doctrina tota veſtra eſt. Partes quippe ejus ſunt, parentes, liberi: maritus uxor: dominus, ſervus. De ſingulorum officiis eruditè in Oeconomicis ſuis diſſerit Ariſtoteles. Unum excerpam, idq; emphaticum valdè: *Viri erga uxorem eam eſſe rationem quæ principis erga ſubditos*. Quid, quod lib. I. cap. I. *Oeconomiam Monarchiam eſſe pronunciet*, & lib. I. Polit. cap. VIII. *Mulieris principatum non per ſe, ſed præter naturam eſſe*. Quare cum Thelemacho, velut in majeſtatis tuæ throno ſedens, exclama:

Αὐτὰρ ἐγὼν οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο.

Sum propriæ Rex ipſe domus, princepſque meorum.

Lycios nihil morare, qui majoribus honoribus mulieres proſequuntur, quam viros: neque Sauromatas, qui genus hominum barbarum, in univurſum ferè parebant uxoribus. *Mathematica* ſupereſt. Ab hac normam & amuſſim benè vivendi capite. Uti enim illa omnia ordine, numero, pondere, & menſura facit, ita & à conjugibus hæc ipſa obſervari æquum. A *Geometria* ſpecialius diſcite, toto cœlo ab amantium ſtudiis differre lineas parallelas: Ab *Arithmetica*, quid ſit proportio Arithmetica & Geometrica, cũ illius in dote rationem haberi non repugnaverim, hujus in vita, moribuſque haberi neceſſe ſit: Ab *Optica* diſcite, reflexum amoris radium ſimplici efficaciorem eſſe. Catoptrica non commendo iis, quibus ob virtutem ſolam, pulcherrimoſq; ejus vultus conjuges placent. A *Metaphyſica* ſtudio abſtinui. Quia cum proprium ejus ſit, ea conſiderare, quæ ἐξ ἀφαιρέσεως ſunt, à materia abſtracta, vos verò ea quæ ἐκ προσθέσεως ſunt & materiæ permixta ametis: veritus fui, ne in modum conſiderandi res Metaphyſicas peccarem, & δι' ἀπαιδευσίαν dicar hallucinatus fuiſſe.

Deſinam itaque philoſophari, & læta comprecatione Nuptiis Peripateticis finem imponam, illud ſolum ſi dixero:

ro: Felicem eſſe Sponſum, cui uxor talis contigit, in qua cum formâ mixturam fecit pudicitia, cum opibus humilitas, cum honeſtis natalibus modeſtia, cum facundia morum candor: Felicem quoque te Sponſam, tali marito, in quo eruditio cum prudentia, cum probitate pietas, cum comitate gravitas optimo fœdere coiëre. Vivite læti, & inter haſce vitæ ærumnas, & mundi lubricos caſus, piè ac jucundè ætatem tranſigite, liberoſque in ſolatium ſimul veſtrum & ſubſidium, amicorum & patriæ ſpem plurimos gignite.

Hæc dum remiſſo diſputamus otio;
Foris ſub ipſis præliatur Alpibus,
Et ſigna tollit præpotentium furor.
Domi triumphos, fracta Rheno cornua,
Moſamq; victum, fataq; indomabilis
Miramur urbis. ire retrò Cæſarem,
Aquilas fugari, lætiorem Marſacum
Frontem receptis explicare finibus.
In Batavis, tu noſter, amas, primuſq; tuorum
Ordiris, Theodore, virum. dulciſſima res eſt
Conjugium, conjuxq; tibi. poſt bella, neceſq;
Tranquillum meditaris opus. diſpendia mundi
Tanta cupis ſarcire pater, belloque cadentes,
Pro patria, reparare animas: proferre nepotum
Nomina. Virginitas, & Virginitatis honores
Sordent cuncta tibi. pudor eſt, ſine conjuge, primos
Effluxiſſe dies, pigram traxiſſe juventam,
Et magni genuiſſe nihil. Nunc verba mariti
Ingeminat Bickæra tibi, mutataque de te
Adſueſcit Matrona loqui. ſic Portia fecit,
Cum ſua in ingenti defigeret oſcula Bruto.
Nec ſapuit Druſilla magis, prudenſque Serenæ
Pectus, & Auguſto recubans Vipſania lecto.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

CASPARIS BARLÆI

FACES SACRÆ,

SIVE

HYMNVS SALOMONIS;

Quo, ſub Typo Nuptiarum Salomonis & Filiæ Pharaonis,

Nuptiæ

CHRISTI & ECCLESIÆ

adumbrantur.

SAT terris hominiq; datum, ſat deſide cura
Hæſit, & ignavi preſſit veſtigia mundi
Mens oblita Dei. dudum regalibus omen
Intulimus thalamis; auguſtaque nomina dixi,
Victoreſq; Duces, & ſceptra minantia ſceptris,
Illuſtreſq; Heroum obitus, & buſta potentum.
Hic triplici latè radiantem murice regem,
Hic debellatas alio ſub ſidere gentes,
Oceanique patris ſpolium, raptamque Batavis
Colchida & Occidui concuſſa palatia Phœbi.

Iſta tibi quondam viridi ſacravimus ævo,
Mars pater, undanteſque hoſtili ſanguine campos,
Armaque bellator cecini. per tela, per enſes
Ivimus, & domitas auſis furialibus urbes,
Infractaſque malis acies. quin omne Diones
Ingenium, lectique vices, thalamique labores,
Diſcordeſque thoros, duriſque exercita fatis
Fœdera, cantatis Veneris ſuſpendimus aris. (Sponſæ,
Nunc te, CHRISTE, canam, & ſacræ connubia
Amplexuſque pios, atque ignorata profanis
Gaudia & ætherei carmen venerabile lecti,
Accenſaſque faces cœlo. Dum fulgidus oſtro
Ardet, & in Pharia ſe virgine magnus amator
Explicat, & typicos animis cœleſtibus ignes
Maieſtas Hebræa bibit; præluditur umbris,
Occultatque Deum Deus, & caligine ſenſus
Involvit mens ſumma ſuos; ſecretaque pandit,
Ut tamen illa tegat. mediis immerſa tenebris
Lux micat, & quæ vix capias, ſub nocte videntur.
Non hæc Euboicæ ſpirarunt carmina rupes,
Non Lyciæ ſortes Dodonæique penates,
Non Ammon, dubiæque loquax cortina Sibyllæ.
Hæc fatur Syriæ rector, cui pectore pleno
Fluxit fatidicæ felix opulentia linguæ,
Et ſacer inſedit menti furor. ille futuras
Res aperit, tedæque iubar cæleſte revelat,
Iuratamque fidem ſanctis; & coniugis æſtus
Illecebraſque piæ: quæ dos, quæ forma maritæ,
Quantus ſtirpis honos: quàm ſimplex gratia morum:
Quantus amor thalami: quibus inconcuſſa periclis
Extollat generoſa caput: quo vindice tuta
Audeat adverſo vultus oponere mundo,
Rivaleſque ſuos & circumfuſa procantum
Agmina, peccanteſque thoro depellere amantes.

Tu,

Tu, quæ fœda ſoles caſtis adſpergere labem
Vocibus, Impietas; Superûmque oracula mordes
Improba, & innocui genialia carmina vatis
Conſpuis, hinc abſiſte procul. non illa protervis
Verba patent. non has petulans facundia laudes,
Obſcœnuſque Paris cum ſemiviro comitatu,
Aut qui divinis nequeunt dare pectora rebus,
Æthereum cecinere melos. nova fulget ab alto
Fax oculis & flamma meis; & operta recludens
Spiritus, accenſam meliori numine mentem,
Exagitat. Deus, ecce, Deus præcordia pigrâ
Tollit humo, membriſque animum torpentibus aufert;
Ereptumque mihi memet ſpiramine ſacro
Concutit, & ſtudiis vatem ſublimibus implens;
Hæc ait auguſtum Sponſæ dixiſſe maritum:
Hæc ait auguſtam Sponſo dixiſſe maritam:

CAP. I.

Ecclesia.

Maxima progenies regum, fidiſſime cuſtos
Et gentis tutela tuę; ſeu proxima Patri
Regna tenes, totumque tuis ſub faſcibus orbem
Flectis, & aligeros aptas ad iuſſa miniſtros,
Ipſe Deus, ſoboleſque Dei: ſeu miſſus ab alto
Humana ſub carne lates, hominemque fateris
Eſſe Deum, vilique potens ſub corpore Numen
Abdis, & ingentem ſapiens abſcondis Olympum:
Seu propius vis eſſe meus, Sponſæque vocari
Cura laborque tuæ, & noſtri pars altera lecti;
1. Præſidium columenque meum; defige labellis
Oſcula. fige precor. da millia & altera mille,
Et ſacroſancti liceat mihi luſibus oris
Poſſe frui, longumque tuis hærere labellis.
Sic prodat ſe noſter amor, paciſque beatæ
Sit ſpecimen, tetigiſſe Deum. ſint baſia, Sponſe,

Officii documenta tui. ſint baſia nexus,
Queis tibi, Sponſa, ligor, conſpiranteſq; cathenæ,
Vinclaq; quæ noſtras nectant adamantina mentes.
2. Qualis amor, quantæque faces! non ſuavius uſquam
E Peluſiacis deſtillant vina racemis,
Aut Arabum fragrant laxis opobalſama ramis
Latius, aut quoſcunque ferax Chaldæus odores
Diffundit, quàm fama tui, nomenq; per omnes
Cantatum, dilecte, plagas, quas adſpicit æther
Exoriens iterumque cadens. te quælibet ardet
Virgo procum; geſtitq; tuo conſueſcere amori
Flagitiis inimica cohors, ac grandis honeſtos
Ardor agit ferventque novis amplexibus abdi,
3. Et domino arridere ſuo. me pertrahe lentam,
Ignaramq; viæ per cœca pericula noctis,
Et ſcelerum infames ſalebras & inhoſpita ducas
Saxa manu. mihi tu vires animumq; miniſtra,
Et da velle ſequi. ſequar ocyus, & mea curret
Orbita per dubios, ſed te ductore, mæandros,
Et rectum calcabit iter. regale ſubibo
Limen, & auratis fulgentia tecta columnis
Adſpiciam, cœloq fruar. laxabimus ambo
Gaudia, deliciaſque tuas in ſecula fundam,
Juſtitiæque decus rariq; exempla favoris.
4. Fuſca licet videar, matres, ne ſpernite fuſcam.
Hæc thalami ſors prima mei eſt. ſic torreor æſtu,
Sic afflicta premor, ſic indignantibus Euris
Verberor, & tumidis iactor matrona procellis.
Sic mea crudeles deturpant ora tyranni;
Nec placeo, quia Sponſa vocor, ſummique Tonantis
Coniugio dignata parens. ſum fabula vulgi,
Et fidei rectique tenax tot ſordibus ævi
Inquinor, & fœdi depingunt membra colores.
Nec tamen illa meo facies inviſa marito eſt,

5. Nec

5. Nec ſpernor contempta Deo. plus diligor illi.
Et ſperni precium eſt; ceditque infamia laudi,
Opprobrium decori. ſponſo ſum iudice pulchra,
Et rutilas Salomonis opes, aulæaq; vincit
Formoſæ pietatis honos; & fulgor honeſti
Innocuus poſt ſe Nomadum tentoria linquit,
Et Cedræorum tranſcendit gloria pelles.
6. Dic age, dic deliciolum, dic optime, qua nunc
Terrarum regione cubes? quibus abditus oris
Grex ovium & teneræ carpant virgulta capellæ?
Ipſa comes iuxtà gradiar. ne devius error
Aut mala ſacrilegæ rapiant conſortia turbæ
Præcipitem, dubiiq; Fides ſub imagine veri
Fluctuet, & peregrina vager per dogmata demens,
Palantes confeſſa duces. ———

Christvs.

——— Tu maxima ſalve,
Sponſa meo ſepoſta thoro, clariſſima cœli
Filia, quam conſanguineis natalibus æther
Alligat agnoſcitque ſuam, populoſque per omnes.
Seligit ipſe ſibi: ſeu vis Ecclesia dici,
Seu Superûm veneranda domus, templumq; Tonantis,
Sanctorum fecunda parens, Reſpublica magni
Intemerata Dei, venturaque numinus hæres,
Et conſors regina poli, perque aſpera rerum
Æternis tandem mulier ſervanda triumphis:
7. Accipe me tibi, pulchra, virum. ſi tecta, lareſque,
Si quibus exultem campis cognoſcere curæ eſt;
Quaque tuus fixit ſedem ſtatione redemptor;
Huc ades, & vano ſubduc tua nomina ſeclo,
Et vitæ rimata viam melioris, amico
Jungere fida gregi, raptoſque ab ovilibus agnos,
Erranteſque procul revoca, verbiſque vagantes
Paſce meis. noſtris habitata mapalia ſervis

Adſpicis, & quales pateant paſtoribus umbræ,
Quęque ſalutiferis creſcant in vallibus herbę.
8. Qualis in excelſis validè cataphracta refulget
Memphis equis, quoties radiant in caſſide coni,
Ferratumque micat pectus; nitet inter amicas
Sponſa meas, curruſque refert Pharaonis & arma,
Et fluidas cervice iubas, phaleraſque decentes,
Et quicquid probat alta Pharos. ceu murice veſtis
Ebria, Sidoniiſque nitent holoſerica baccis
Tegmina, ſplendeſcit Sponſę virtutibus ætas,
Et mentis cultura bonę, deſuetaque fucum
Relligio & clarę conſtans reverentia legis.
9. Tota mihi ſpecioſa mea es. tibi turturis inſtar
Maxillę vultuſque rubent. pro torquibus aurum eſt,
Et gracili pendent precioſa monilia collo,
Diſtinctuſque notis clavorum argenteus ordo.

ECCLESIA.

10. Vix meus accubuit mihi Rex, & numen amicum
Oſtendit thalamo facilis; diffudit odores
11. Nardus noſtra novos. ſenſi iuveneſcere vires,
Et robur mihi grande dari, tactoſque ſupernis
Ignibus ignavos animi plus gliſcere motus,
Iamque magis coluiſſe Deum, percuſſaque cœlo
Pectora fallacis fraudes proſcribere vitæ.
Aſſyrio qualis deſudans cortice myrrha,
Sponſe, mihi es; vel quæ Engaddi ſe tollit in agris
Cyprus, viniferoſque inter viret æmula colles,
Botris fœta ſuis; charis quam læta recondam
12. Uberibus; quamvis ſucci fragrantis amarus
Mordeat ora latex, & te redamantibus atri
13. Currant ſæpe dies, & ſanctis mentibus atrox
Incubet & triſtes latices permiſceat orbis.

CHRISTVS.

14. At tua ſimplicitas, coniunx, ignaraque fraudum
In-

Inſontes fertur bonitas æquare columbas.
Sic oculos manſueta geris, ſic lenis haberis,
Et tranquilla places. cunctis placabilis adſtas,
Et comes it pulchræ laudata modeſtia formæ.

Ecclesia.

Tu potius formâ iuvenes, pulcherrime, cunctos
15. Antevenis. quę forma mea eſt, defluxit ab uno
Coniuge. tu decus omne mihi es. tu nomina confers.
Sum radii levis umbra tui, de lumine lumen,
Et flammæ ſcintilla tuæ. Pulcherrime, lectus
Sternitur ecce mihi, ſed & idem ſternitur aptè,
Sponſe, tibi. thalamo gemini recubabimus uno,
16. Pendulaque ardentem pellent umbracula Solem.
Eſt cedrina domus, ſunt & laquearia tectis
Optima, ſunt celſis doctè diſpoſta cupreſſis
Tigna. ferunt croceos nunc ipſa cubilia flores;
Nec ſterilis ſum Sponſa tibi. tua diditur omni
Fama loco, multiſque tuæ cultoribus ædes,
Et populis delubra ſtrepunt. tot pignora gigno
Mater, & ęterna manant de ſtirpe nepotes.

CAP. II.

1. Sum Roſa, quæ nullis moriar concuſſa procellis.
Sum Roſa, quæ mediâ neſcit marceſſere brumâ.
Sum roſa, puniceos inter celeberrima flores,
Nunc vilis precii, nunc omni carior auro,
Nunc depreſſa ſolo, nunc ipſis celſior aſtris,
Clauſa malis, rurſum fatis adaperta ſecundis.
Sum Roſa, quæ, pedibus quamvis calcata protervis,
Erigor. &, veluti patulis in vallibus albent
Lilia, candidulis latè præcello liguſtris.

Christvs.

2. Suaviolum, mea vita, meum, quæ ſola decoras
Præradias veneranda nurus; ceu lilia ſpinas
Inter, honoratum tollis caput. undique ſentes,

Et tribulis circum ſeges exhorreſcit acutis,
Degenereſque rubi. cingunt te denſa ſororum
Agmina, ſed multum ſtudiis adverſa malignis
In te ſæva ruunt. ſeu cum ſcelerata tyrannis
Flagra tibi, flammaſq; ferox intentat & enſes,
Atque uncos furibunda parat: ſeu rector Averni
Arietat in Fidei portas, & dira minatur
Fata tuis; mundiq; animum labefactat amore.
Sive ſuos in te petulans laſcivia ſenſus
Concitet, & pavidæ moveat nova prælia menti
Seditioſa caro, liteſque reſuſcitet in te.

Ecclesia.

3. Sed veluti ſteriles inter ſe plurima ſylvas
Tollunt, humiduliſque tument viridaria pomis;
Sic iuvenum viles inter, generoſe, catervas
Solus ovas, meritique decus non vile reportas.
Hoc erat in votis, tecum requieſcere in umbra,
Tecum poſſe loqui. nam quæ promiſſa maritæ
Ingeminas, quæ crebra meas ſolatia clades
Inſperata iuvant, ſunt noſtro mella palato,
Ambroſiæque dapes & amici nectaris undæ.
4. Nuper ubi gratis ſpumabat vinea ſuccis,
Turgidaque implebat vacuas vindemia cellas,
Ducebas avidam vini cupidamque bibendi.
Voces vina tuæ; cœleſtia pocula voces,
Sponſe, fuere tuæ. ſenſi nova gaudia, ſenſi,
Et veteres pepuli curas animique dolores,
Et culpæ ferale malum. Tunc prævius ibas,
Tunc ductor ſublata manu vexilla gerebas,
Non quæ ſanguineo præludunt improba Marti,
Sed quibus ad placidi caſtra invitamur amoris,
5. Et partes, Rex magne, tuas. me floribus ægram,
Languidulamque tuo ſuffulci robore nuptam.
Nam titubat peccantis amor. ſum cerea flecti

In

In vitium vetitaſque faces, quas tollit honorum,
Vel malus ardor opum. ſine te, vah, tota fatiſco,
Genua labant, fractiſque ſubit ſocordia membris,
Nec facio, quodcunque velim feciſſe; malumque,
6. Quod nolo, feciſſe libet. mihi, Chriſte, ruenti
Affer opem, capitique meo ſuppone ſiniſtram,
Alteraque invalidam circumdet dextera Sponſam.

Tu vitæ ſis prima meæ, tu cauſa ſalutis
Altera, tu ſuprema. tibi mea debeat uni
Principium finemque Fides. nec gloria cœli
In geminos diviſa fluat. tu, Sponſe, redemptor,
Et ſolus ſervator eris. quæ poſſumus, in te
Poſſumus: & quicquid recti præſtare bonique
Negligimus, noſtrûm eſt. cunctos tua gratia laxat
In miſeram laudata ſinus. tibi diligor ultrò,
Et dilecta fui prius. & non debita ceſſit,
Nec merito mihi parta ſalus. ſic pravius æther,
Sic comes it cœptis, & tanta exorſa coronat.

CHRISTUS.

7. Vos ego, Filiolæ Solymorum, obteſtor. & illas
Quas viridi paſci ſpectatis fronde capellas,
Cervorumque adiuro greges. per quicquid amicum,
Aut unquam mihi dulce fuit, per ſidera, terras,
Flammiferaſque faces & noſtrâ condita dextrâ:
Tempora dilectæ concedite mollia Sponſæ,
Nec turbate thori ſociam. dumque altior illam
Somnus habet, blando requiem indulgete ſopori,
Et ſtrepitu ceſſate. meis Eccleſia ſervit
Officiis Sponſoq; vacat. procul ite malorum
Turba, nec intentam ſacris avertite gentem.

Ecclesia.

8. Quam placidis ſonuere meæ ſermonibus aures,
Quis lepor eloquii, quàm me facundia linguæ
Pellicit, immemoremque monet! de montibus altis
Hinnuleo ſimilis properat, ſalienſque relinquit
Ardua frondentis Libani; geſtuq; manuque
9. Succurrentis habet ſpeciem. quin ecce feneſtras
Intrat, & inſolito perfundit lumine cordis
Abdita, diſcuſſaque cupit ſe nube videri,
Et coram ſpectari oculis. mea blandula ſurge,
10. Surge, ait, humanoſque tuo de pectore ſenſus
Excute; dumque meis figis veſtigia plantis,
I, propera. te noſtra vagam clementia ſemper
Prævenit, & ſtygiis palantem arceſſit ab oris.
11. Ceſſit hyems, hyemiſque labor. ceſſere feroces
Terribileſque Noti. veteres compeſcuit imbres,
Et nimbos moderata quies. trux langüit in te
Impietas, iuſſuque meo ſiluere procellæ,
Excuſſitque ſuum ſceptrorum inſania virus.
12. Floret ager. reſonant avibus virgulta canoris,
Aëriaque canit ſecurus turtur ab ulmo.
13. Palmitibus rediit vigor, & ſe denſior uva
Abſcondit foliis, & baccis cærula ficus,
Munificuſque tuis ſe devovet uſibus æther.
Quid ceſſas? mea lux, venias, tibi militat uni
Cura poli, faciliſque pater. vox iſta vocantis,
Illius eſt. tu terra mea es; ſuſpiria, fructus;
Uva, preces; fici gemitus & vota rogantum.
14. Quæ modò petrarum latebris afflicta latebas,
Aſſolet ut milvo circumvolitante columba,
Poſt tenebras tibi redde diem, & manifeſtior orbi
Cernere. fare, cui cupias debere magiſtro,
Nec timeas mihi dicta loqui, dominumque fateri
Omnibus, & noſtro præconia ſolvere regno.

15. Hæc

15. Hæc ait, inculcatque mihi. ſed ſubdola multum
Subruit arroſis vulpes vineta racemis,
Et non una nocet. Vos retia tendite cives,
Indagate vias, & qua ſe ſubdolus error
Ingerit, & falſi vendunt mendacia vates,
Evigilate viri. & fictis ne credite vani
Teſtibus. unius iuraſſe in verba magiſtri
Sit ſatis, & tanto cauſam ductore tueri.
16. Hoc agite. inviſas donec Sol altior umbras
Diſſipet, & pulſa pateat caligine verum.

CAP. III.

1. Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Quonam calle mei ſpatioſa palatia Sponſi
Deprendam, iungarque viro. quæ vita beatos
Efficiat, votiſque frui ſine fine ſecundis.
Quæſivi, denſis ſed circumſepta tenebris,
Nocte ſub obſcura latebras excuſſimus omnes:
Quid dictet rationis opus, ſubnixaque cauſis
Vis humana ſuis. didici, prudentia quicquid
Suggerit; ingeniique acies, & provida cernit
Conſiliis doctrina ſuis. ſuffragia paſſim
Sedula conſului & magnorum oracula vatum,
Rixantumq; ſcholas diſcorſque ad ſingula vulgus.
2. Ivimus, & vicos avidè luſtravimus omnes,
Et fruſtra ſtudioſa fui. cuſtodibus urbis
Obvia, ſollicito vigiles, rerumque peritos,
Sed mihi nec vigiles, nec reſpondere periti.
3. Non Memphis, quamvis ſtolidæ ſacraria vaccæ
Jactitet, aut viſis ſapiens Chaldæus in aſtris,
Perſarumque Sophi. non, quæ colit impia quoſvis
Gens vicina Deos. gravis ignorantia cunctis
Incubat, & noſtri neſcit myſteria lecti.
4. At poſtquam ſprevi picti ludibria trunci,
Et veri ignaras animas, ducibuſque negavi

Am-

Ambiguis adhibere fidem: ſecreta viarum
Tuta magis rimata fui, faciemque domumque
Vidimus, & ſponſi greſſus deprendimus omnes.
Tunc amplexa fui, cui diligor. arctius hæſi,
Nec mihi ſubduci volui. deduximus ipſum
In thalamos & tecta Deum; dumque undique terras
Perſonat, & ſummum declamant templa Tonantem,
5. Poſſedi tam grande bonum. Vos, nomina blanda,
Filiolæ, ſi quid noſtrum peramabile vobis,
Si quid ſuave fuit, mecum requieſcere Sponſum
Jam ſinite, & longos in lucem extendere amores,
Nec faſtidita thalami conſorte potiri.

Christus.

6. O quænam, quænam illa, procul quæ ſplendida ſurgit
Deſertis ſublata locis? ceu virgula myrrhæ,
Thuſque calens pingues attollit in aëre fumos,
Vel piper & grata redolentia cinnama flammâ.
Coniugis os habituſque meæ eſt, electaque mundo
Et tenebris erepta cohors. cui thuris odorem
Vita refert, myrrham dolor & conſtantia palmam.
7. En, latè circum thalamos Salomonis in orbem
Stat cataphracta phalanx, proceresque ex ordine lecti,
Judęique patres. quibus omnis canuit ætas
8. Sub clypeis, gladiis accincti immanibus omnes.
Scilicet hęc Chriſti ſacris operata iuventus
Bella gerit, querulæque movet certamina carni,
Et vinci generoſa timet. quos ſtringimus enſes
Adverſùm, quæ tela Erebo Sathanæque paramus,
Dum ruit errorumque animos nox occupat atra;
Sunt vocis momenta meæ; quæ ferrea flectunt
Pectora & occultas diffindunt pervia fibras.
9. Ipſe mihi è lignis Libani tentoria ſtruxi
Splendida, magnificaſque trabes. conſternitur auro,
Argentique micat ſublimibus aula columnis.

10. Pur-

10. Purpura pro veſte eſt, Babylonia ſtragula lecti,
Gemmarumque iubar tædæ. domus iſta piorum eſt,
Cuius ſplendor, amor: probitas precioſior auro:
Leges fulcra meæ: lux, gratia: purpura, ſanguis.
11. At vos, quæ celſi colitis celebrata Sionis
Limina, vos, inquam, florenti ætate puellæ;
Huc omnes conferte gradum, quantiſque coruſcans
Oſtentet regum ſoboles inſignibus oſtrum,
Adſpicite, & quales radient in fronte coronæ,
Matris opus; quęque ipſa ſuo diademata nato
Impoſuit, tunc cum thalami genialis adeſſet
Veſpera, & has inter graderetur maſcula tædas.

CAP. IV.

1. Quam mea præcellens Syriis regina puellis
Porgit honoratos mihi formoſiſſima vultus,
Candidior cycno, lactenti mollior agno,
Blanda, columbinis adludens mitis ocellis,
Ut credas magis eſſe meam, fraudeſque doloſque
Faſtidire bonos. nihil eſt in mente cruentum,
Nil crudele, minax. cunctis clementia membris
Emicat & ſtudiis franguntur mollibus iræ.
2. Ut ludunt ſuper ora comæ, ſimiliſque capellis
Cæſaries, quæ ſe Gilead ſub rupibus abdunt,
Et tondent dumeta vagæ! quam picta rubenti
3. Labra rubent illi cocco! quam mite loquentis
Eloquium, & duras ſermo qui duceret aures.
Punica ceu patulis redolentia mala caniſtris
4. Fragrant, Sponſa, genæ. turrique ſimillima cervix,
In bellum quæ tota patet. tot ferrea vallis,
Tot munita modis: cernas procul ordine longo
Pendentes proavûm clypeos, appenſaque ſcutis
Scuta novis, parmaſque ducum, cumque arcubus haſtas,
Et frameas, fixoſque cavis thoracibus enſes.

Ut

5. Ut tibi lacteolæ gemina ſtatione papillæ,
Mammarumq; tument globuli. ceu pulchra tenellis
Ubera propendent capreis, quæ lilia calcant,
Et lætis ſpatiantur agris. non altera ſanctis
Forma decorq; meis. inſons in fronte relucet
Simplicitas, verique tenax ſententia dens eſt.
Deſtillant labris vitiis adverſa nefandis
Dogmata. quæq; rubent, morituri ſanguine Sponſi
Ora rubent. turris ſunt exporrecta fideles;
Spes galea eſt, lorica ſalus, fiducia ſcutum;
Ubera iuſtitiæ fontes, patriſq; voluntas
Priſca recenſque mei. ſurgunt, ceu colla, prophetæ,
Oſtentantque meas populis peccantibus iras.
6. Ipſe ego, cum medium conſcenderit igneus orbem
Phœbus, & inviſas rerum contraxerit umbras,
Cum calet alta dies; totum me frondibus abdam,
Myrrha ubi, & arboribus deſudant thura Sabæis.
Tunc legis fugient umbræ, tunc clarior orbi
Cernar, & ablato amplectar velamine Sponſam,
Dilectoſque mihi. pleno tunc Phoſphorus ortu
Adducam ſine nube diem: totuſque patebo
Mentibus, atque aliis ardebunt pectora flammis.

CHRISTUS.

7. Tota nites formoſa, nites. nec corpore labes
Ulla tuo eſt. noſtro deleti ſanguine nævi
Non ultra ferale rigent. precioſior unda
Abluit antiquas illimi flumine ſordes,
Fœdaque probroſis abſolvit tempora rugis.
8. Linque pruinoſos, metuenda cacumina, montes
Lux mea; neve iugis Libani celſiſque morare
Verticibus ſecura diu, quos exerit Hermon
Frondoſuſque Senir, vel terra virentis Amani.
Horrida ſpumantum caveas ſpelæa leonum,
Quæque ſibi ſervat frendens habitacula pardus.

Hæc

Hæc orbis trux ſcena mali eſt. hîc ſilva malorum
Pullulat, hîc errant immixti tigribus agni,
Inſonteſque bonis. hîc hîc immania monſtra,
Et ſcelerum portenta ſuis ſtabulantur in antris:
Improba luxuries, rabieſque inviſa nocendi,
Et faſtus populator opum, livorque ſecundis
Invidus, & falſis animoſa calumnia dictis:
Et fera concordes dirimens diſcordia mentes.
9. Reſpice me, mea Nupta, tuo qui ſaucius igne
Vulnus alo venis, atque illice lædor ocello,
Et formæ ſplendore tuę. me candida virtus,
Me tua temperies, & primæ flamma iuventæ
Abripit & recto nunquam ſaturata cupido.
10. Pulchra ſoror, quàm dulce tui ſunt pignus amores.
Pulchra ſoror, quàm ſuave tui ſunt nomen amores.
Pulchra Cupidineis concedunt vina papillis.
Vincit Achæmenios pulcherrima veſtis odores.
Melle tibi ſtillant, & multo lacte labella,
11. Sponſa, fluunt: ſunt verba favi, & blandiſſima grato
Nectare lingua madet: redolentque monilia cedros,
Thuraque, & è pingui lachrymantes cortice ſuccos.
Ingenii nitor iſte tui eſt. hæc aura ſerenæ
Indolis, & noſtræ maieſtas debita genti.
12. Quanta loquar! veluti denſis viridaria ſeptis
Clauſa iacent, fonteſque novis cuſtodibus, unam
Te ſurgente die, te decedente tuebor.
Hinc latus atque illinc valido munimine cingam,
Et vocis virtute meæ; robuſtaque ſubdam
Labenti promiſſa tibi. Tu lætior herbam
13. Hortule, tu caſiam, tu punica mala, crocumque
Et cyprum, nardique diu fragrantis ariſtas,
Cinnama tu, myrrhamque aloënque & balſama funde
In ſocias diviſa tuas. ſic creſcite ſancti,
Creſcite, & in cunctas mea fundite nomina terras.

Ec-

ECCLESIA.

Tu mihi pro fonte es, puris qui defluit undis;
Tu latices ſalientis aquæ, tu larga miniſtras
15. Flumina, & ex ipſo manantia gaudia cœlo
Impertis. dilecte, veni; placidiſſime me me
16. Amplexare thori ſociam. non horridus agris
Incumbit Boreas, tempeſtateſque ſeveras
Aut fluctus ciet ira gravis. tua mitior aura eſt;
Tu Zephyrus, qui divino patefacta favori
Dulcibus irroras ſtudiis mortalia corda.
Tunc meus irriguo coniux ſpaciabitur horto,
Et fecunda ſuis adludet fructibus arbor.
17. Tunc facili mea poma manu decerpet amator,
Quæq; prior dederat, reddam. tunc munera Chriſto,
Puraque dilecto ſolvam libamina Sponſo.

CAP. V.

CHRISTVS.

1. Et mihi floriferis peramœnus collibus hortus
Panditur. huc mea Sponſa veni. te meſſe beabo,
Quam felix largitur Eös. tibi myrrhina plenis
Dona cadis, nitidique feram carcheſia lactis,
Et placitura tuis fragrantia vina labellis.
Omne meum, fas eſſe tuum. communia nuptis
Singula ſunt. eadem petimus volumuſque beati.
Cœna eadem potuſque. meis accumbite menſis,
Atque epulis mecum læti indulgete ſodales,
Ebriaque æthereis accendite pectora votis.

ECCLESIA.

2. Nox erat, & iam membra ſopor Lethæus habebat,
Cum mea tota Deo Superiſque intenta vacaret
Mens averſa ſolo. mihi pars depreſſa iacebat,
Altera per cœli ſpatia & fulgentis Olympi
Atria, ſanctorumque domos ſublimior ibat,

Promp-

Prompta ſequi, quò fata vocant. Tunc dulcis amantis
Vox audita mihi eſt: charo, ſoror optima, fratri
Pande fores. dilecta obices & dura reclude
Oſtia, nec vocem blandi adſpernare mariti.
Ingrediar, miſeroſque lares & tecta ſubibo;
Dum ſtillat mihi rore caput, guttæque capillis
Cincinniſque fluunt. dum pleno gratia cornu
Labitur, & diri per me ceſſêre reatus,
Placatumque tibi reddent mea funera Patrem.
Aſt ego jampridem vitiorum preſſa veterno
3. Vah ignava fui. tunicamque exuta togamque
Nuda ivi. multumque expers florentis honeſti,
Quis veteres, dixi, ſponſæ donabit amictus,
Et faciet magis eſſe piam? tum pulvere terſi
Plus nituêre pedes, & viſa Eccleſia mundo
Pulchra decenſque fuit. ſed enim pars ſævior orbis
Sordidulis iterum fœdabit corpora plantis,
Et Sponſo præſente luam, Chriſtique ſatelles
4. Suppliciis inviſa premar. Dum talia fundo
Verba dolens, ſubiti mediam me dextera Sponſi
Tranſadigit, gemituque cavæ inſonuere cavernæ.
Exilii concuſſa malis, & verbere duro
Tacta magis ſapui; diſcuſſaque cauſa veternî
Peccatique ſopor fuit, & ſocordia ceſſit.
5. Corripui me feſſa thoro, tepidoque cubili,
Et nimium molli proſcribens marcida luxu
Tempora, ſurrexi vigil. & jam vivida Sponſo
Dum conor reſerare fores, & pectore totum
Admiſiſſe Deum, vitiique expellere amorem:
Stillavêre manus myrrham, cœpique probari
Relligioſa viro. ſed poſtquam cardine limen
6. Concrepuit, cordiſque mei patuêre penates,
Ah meus, ah diſceſſit amans; ſubductaque paulùm
Gratia cœleſtis latuit. Sponſoque videbar

Diſplicuiſſe meo. mœrens, afflicta, fatiſcens,
Fracta animum, magna abſentem ter voce vocavi,
Verbaque nequicquam tunc proficientia fudi
Infelix. nihil ille mihi; nihil ille maritæ
Reſpondit, quamvis multum lachrymoſa rogarem.
7. Hæc inter me per tenebras & cœca vagantem
Compita corripuêre viri, cinxitque miſellam
Cuſtodum vigilumque manus. percuſſa frequenter,
Vulneribuſque adaperta fui. ſurrepta dolenti
Pallia ſunt, pepluſque pedes qui fluxit ad imos.
Errantes ſic nacta duces, labefacta tremebat
Et falſo ſeducta fides. peregrina ſequebar
Signa, nec in ſacris permanſi tranſfuga caſtris.
8. Vos mihi, quæ Solymæ colitis tecta alta puellæ,
Dicite, ſi qua mei noſtis veſtigia Sponſi.
Dicite, me languere proci fugientis amore.
Dicite, me languere Dei fugientis amore.

ADOLESCENTVLÆ.

9. At tu Jeſſæas inter pulcherrima Nymphas,
Cujus nec ſpatium viſus, nec gloria laudem,
Nec titulos vox ulla capit: dic, cujus amore
Impleſti flagrantem animum? quove arſeris igne?
Cujus inextinctis uraris virgo favillis?

ECCLESIA.

10. Ille meus, quem ſola colo, candore venuſto
Ora rubet, juveneſque omnes pulcherrimus anteit.
Plus auro rutilat caput, & ſublimior ipſis
Palmarum foliis ſurgunt à fronte capilli,
11. Illuſtreſque nigrore comæ. quos vibrat ocellos,
Ipſa columbarum caſtiſſima lumina vincunt;
12. Lumina, quæ nitidis præterlabentibus undis,
Accipiunt purum fluvio abſtergente nitorem.
13. Ut propriis redolent diſtinctæ ſedibus herbæ,
Diſtinctæ ſtant lege genæ. manantia myrrha

14. Lilia concedunt labiis. manus utraque gemmas
Et glaucum beryllon habet. per viſcera latè
Candidulum tranſparet ebur. cui pulcher inerras
15. Cæruleis, ſapphyre, notis. velut alta columnis
Impavidis innixa domus, ſunt crura marito
Aurea, nec Libani vultus ſubſidit honori.
16. Blandula mellifluo ſubludit lingua palato,
Argutumque canit docto modulamine guttur.
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat,
Talis erat Sponſo facies, ſic corpore toto
Splenduit. haud aliam noſtris ſe mentibus offert
Integritas candorque viri, maculandaque tandem
Cæde Redemptoris ſpecies. qui durior auro
Intrepidum magno mortis diſcrimine pectus
Eximet, & Stygii ſpoliis Acherontis onuſtus
Tartara calcabit victor. qui depluit omne
Æthereo de fonte bonum, labiiſque futuras
Res aperit, noſtræque legit præcepta ſalutis.
Crura, quibus fulcit miſeros, adamantina vis eſt,
Certaque Euangelicis innixa potentia verbis.
Auxilii ſunt ſigna, manus. cœleſtia dona
Pacis opes; facilemque Deum, vitamque perennem
Beryllos gemmaſque puto. ſunt iſta piorum
Fercula. ſic clemens animis illabitur æther.

ADOLESCENTVLÆ.

17. Fare puellarum ſuaviſſima, quo tuus ille
Fugit amans? quas ſe in latebras, quibus abdidit umbris?
Fare, tuum quo, ſponſa, ſimul quæramus amantem?

CAP. VI.

ECCLESIA.

1. Jam dicam. proprios tacitus deflexit in hortos,
His pratis, hac valle latet, quo plurima carpat
Lilia, & egregias lolio diſcriminet herbas.
Nos horti, nos prata ſumus. ſub cordibus hiſce

Æſtuat, & pulchros ſervens exuſcitat ignes,
2. Et tepidos flagrare cupit. ſum, Sponſe, peculi
Summa tui. tu ſumma mei. ſumus alter amantis
Mutua dos. noſtraſque faces confundimus ambo.

CHRISTUS.

Non aliter quam præcelſis in montibus arces
Tollit Tyrſa ſuas, tollis faſtigia frontis
3. Illuſtris, mea Sponſa, tuæ; dilectaque cœlo
Mœnia tranſcendis Solymæ. tu tota ſevera es,
Terribiliſque malis & formidabilis adſtas,
Caſtrorum ceu denſa phalanx, nec pervia turmis
Turma. tenebroſæ metuit te callidus aulæ
Arbiter, & Stygiæ fugiunt tua tela cohortes,
Et ſcelerum congeſta cohors. Ne lumina quæſo
4. In ſponſum deflecte tuum. nam tactus ocellis
Erigor incendorque tuis, videorque ſuperbo
Celſius ire gradu, cœloque attollere criſtas.
5. Pendula cæſaries caprarum hirſuta laceſſit
Colla. nitent dentes, quales albeſcere cernas
Lanigeris ovibus, quoties in fonte lavantur,
Atque gemellipāris implentur fœtibus omnes.
6. Nec roſeis aliter turgentia punica granis
Mala rubent. nam te circum ſanctiſſima cingunt
Agmina, peccandi metus, & reverentia Sponſi,
Et niveus vitæ decor, & mens conſcia recti.
7. Sunt mihi ſex denæ matres, de ſtemmate regum,
Et reginæ omnes. ſunt, quas dignamur habere
Concubitus ſocias. ſunt tot florentibus annis,
Nec genus indecores & nomina chara puellæ,
Sanctorumque gradus, & quos diſtinguit honorum
8. Sors non una. meo verum jurata cubili,
Unaque conjugii conſors mihi dicitur uxor.
Charæ matris amor, ſceleris ſine labe columba.
Cui ſua certatim ſolvunt præconia regum

Re-

Reginæ, dominæque nurus, facileſque piorum
Aſſurgunt animæ, & gravido de pectore tale
9. Eructant iterantque melos: Quænam illa virago?
Qualis diva parens, quæ formoſiſſima vultu
Provocat Auroræ faciem; cum certa ſalutis
Verba capit, Fideique ſuis infantia cunis
Vagit, & indoctis Chriſtum balbutit in annis:
Fallimur? en radiis lucet melioribus orbi,
Et majus jam lumen habet, Lunæque videtur
Æmula flammiferos largiri gentibus ignes,
Arreptaſque à Sole faces, diffuſaque de me
Lumina, doctrinæque jubar concedere terris.
Fallimur? en, illa ipſa novis ſucceſſibus ardet,
Et jam Phœbæos imitatur fulgida currus,
Supremumque diem. tanta ſe lampade nobis
Oſtentant, tenebriſque patent æterna fugatis.
Utque ſuo robuſta cohors opponitur hoſti,
Arma laceſſenti movet imperterrita carni,
Et Phlegethontæas acies, & nixa potenti
Caſtra manu pro me bellatrix femina ſpernit.

ECCLESIA.

10. Me meus hortus habet, duriſque exercita fatis
Plurima nux, ſpecimen fortis caſuſque meorum.
Hîc hîc propter aquæ rivos in vallibus erro.
Et modò plantarum recreor lanugine. florum
Prima rudimenta & ſurgentia ſtamina ſpecto,
Punica num vireat malus; num vinea vini
Spem faciat, meſſemque ferax deſpondeat annus:
Qualis inoffenſæ fructu probitatis abundet
Verna meus civiſque meus, quæ ſolvat Olympo
Vota, quibus ſancti placent altaria donis.
11. Mox procul ex alto properantes monte quadrigæ,
Præcipiteſque rotæ, placidam & nil tále verentem
Turbavêre animam. pulchri periêre labores,

Et veſana piis mundi vis obſtitit auſis.
12. Quare age Sponſa redi, tunc clamavere puellæ,
Sponſa redi, vultuſque tuos oſtende puellis,
Caſtrorumque choros & tot naſcentia de te
Pignora credentumque globos da cernere mundo.

CAP. VII.

CHRISTVS.

1. Sponſa puellarum nitidiſſima, quàm tua pulchro
Dum graderis per rura fluunt veſtigia greſſu!
Quàm caligæ pedibus, quàm ſe tibi leniter aptat
Calceus, & femoris vadit junctura decenter,
Artifici veluti fabricata monilia dextra!
Principis os habitumque gerens & Principe celſo
Edita progenies; ſpecie crateris in orbem
2. Omphalos it, laticeſque iſto de fonte refundis,
Quaſque bibat peccator aquas. tibi venter acervi
Et multum aggeſtæ Cereris, quam lilia cingunt,
3. Inſtar habet. ſimiles caprearum hinc inde mamillæ
4. Molle tument. ſurgit, ceu turris, eburnea cervix.
Ut piſcina, micant, oculi. quique inter ocellos
Turgidulos dirimit naſus ſublimior orbes,
Reſpicit adverſam, veluti de turre, Damaſcum.
5. Quale caput Carmelus habet, tuus æthera vertex
6. Verberat. auricomi rutilant, ut purpura, crines,
7. Formaque Idumæas imitatur ſplendida palmas.
Sæpius hæc tacitus dixi: jam ſcandere palmam,
Jam fructus libare juvat. turgentia tangam
8. Ubera, fragrantiſque fruar dulcedine Sponſæ.
Manat ab Hyblæo generoſum gutture vinum,
9. Lætitiæque latex, iſto qui melleus ore
Defluit, & paſſim labiis ebullit amicis.
Sic dum plena Deo flammis mens ardet honeſti,
It monitis impulſa meis. ſunt munera nobis,
Officiumque pedes. cervix erecta docentum

Splen-

Splendor. Euangelii latus inviolabile turris.
Venter opes ſanctæ. vatum conſulta mamillæ.
Nos caput, & ſummi Patris indulgentia botrus.

Ecclesia.

10. Quo laudata ferar? queis jungar amantibus uxor,
Multis ſæpè procis, multiſque petita puellis?
Tu mihi, Chriſte, places. tua ſum, tu noſter, & ambos
Poſſidet unus amor. non me laſciva voluptas,
Non levis ambitio, tumidique ſuperbia greſſus,
Attalicæque juvant gazæ. non gloria fallax
Surripiet me, Sponſe, tibi. convertimur ad te,
Te ſequimur, formoſe virûm. tecum ire per hortos
Eſt animus, totamque ſacris impendere noctem:
11. Ut, ſimul ac roſeis ſurgens Aurora capillis
Diſpulerit tenebras, radiiſque retexerit orbem,
Luſtremus tua rura duo, num vinea gemmas
12. Truſerit, ut ſeſe florum jucunda venuſtas
Explicet, & quales tellus tibi dædala fœtus
Ediderit; vel quanta ſuis oblivia gignant
Mandragoræ foliis. illic diſperſa jacebunt
13. Poma manu, vetereſque novis ſuperaddere meſſes
Cura erit, & mediis flores inſpargere portis.
Scilicet horrendis ſubducta tumultibus optem
Otia tranquilloſque dies, Chriſtique ſub umbrâ
Pace frui, manibuſque feris erepta nocentum,
Sponſe, tuo latuiſſe thoro, donaria ferre
Et grati monumenta animi, atque oblita malorum
Pectora, conſiliiſque pios juviſſe beatis.

Cap. VIII.

1. Sæpe tibi ſum dicta ſoror, ſoror unica. quare,
Tu mihi ſis pro fratre, virique adamabile nomen
Nomine fraterno duplica. defluximus uno
Patre duo, genitorque tibi qui creditur, idem
Eſt mihi. ne charæ mecum lactantia matris

Ubera faſtidi. ſum myſtica matris imago,
Tu caput es. vinclis pariter vincimur iiſdem,
Atque eadem nos cauſa ligat. ſic oſcula fratri
Prona dabo. decoriſque mei pars magna, ſororis
Diceris commune decus; nec vilis habebor,
Aut populis deſpecta ferar. Te dextera fratrem
Prenſat, & in charæ abducet penetrale parentis,
2. Et noſtræ ſecreta domus, altèque bonorum
Pectoribus ſacer hoſpes eris. tua juſſa capeſſam,
Te præeunte, ſequar. te præceptore, docenti
Obſequar. hîc dulci implebo carcheſia muſto,
Et pateris libabo merum. tua munera reddam,
Inque tuis ſupplex ponam donaria templis.
3. Dextera me amplexa eſt trepidam. ſuppoſtaq; blandè
Læva meo capiti eſt. ſic me cœleſtibus ægram
Undique ſuffulcis ſtudiis, duciſque labantem,
Et tremulam arcano ſuſtentas robore Sponſam.

Christus.

4. Vos ô, quæ Solymæ colitis delubra, puellæ,
Otia ſopitæ concedite mollia Sponſæ,
Nec junctos ſcelerum ſtrepitu divellite amantes.

Adolescentulæ.

5. Sed quænam, quænam illa, feris excita cavernis
Surgit, & è nemorum latebris comptiſſima prodit,
Apta viro conjux, humeris innixa mariti?

Ecclesia.

6. Illa ego ſum, quæ, Sponſe, meo te crimine quondam
Progenui, vetitos cum carperet arbore fructus
Inconſulta manus. tunc te clementia Patris
Parturiit, fecitque vadem. tunc edidit orbi
Terra Redemptorem & miſeris promiſit Jeſum.

Christus.

Ille ego ſum, regina, tui ſignator amoris,
6. Arrha tuæ fidei, pignus venerabile lecti,

Rex

Rex thalami ſponſorque tui. ſi ferrea mors eſt,
Si, quicquid mortale, domat, regeſque duceſque;
Non illi ſuccumbet amor: non funera victus
Sentiet. accendet mediis incendia buſtis,
Duraque zelotypi contemnet fata ſepulchri
Durior, & flammas nocturnæ lampadis inſtar
Exeret, & flammis tutus flagrabit in ipſis.
7. Non ulli hunc poterunt latices exſtinguere amorem.
Non Silöe. non qui vaſtas Jordanus in undas
Exit, & in Syriæ campos diſcurrit Orontes.
Hic procul Eöo venientes æquore gemmas
Vincit amor precio. non interrupta fideles
Vincla ligant, quæ nulla dies vel ſecula ſolvent,
Non mala fortunæ facies, non rector Averni,
Non rabies, urgenſque fames, non mortis acerbæ
Efféra vis, vel quicquid atrox natura minatur.

ECCLESIA.

Stat noſtri ſecurus amor. multiſque beatæ
8. Cingimur excubiis. verum mihi parvula vagit,
Et neglecta ſoror. cui non tumuere mamillæ,
Sed calidus ludit circum præcordia ſanguis,
Ipſaque pubeſcit primo ſub flore juventa.
Ecquid agam? quibus hanc verbis affabor amicis?
Ignaræ ſacrorum animæ veræque ſalutis
Prô dolor, & nullo dignatæ fœdere gentes,
Te ſine per ſalebras & inhoſpita rura vagantur,
Pictaque fallacis venerantur numina ligni.
Quin miſeros, dilecte, vocas? atque illice verbo
Conſortes vis eſſe mihi, paribuſque beari
Legibus & noſtris palantes cœtibus addi?

ADOLESCENTULÆ.

9. Si paries, ſi murus erit, ſi lubrica non ſit,
Nec levis inſtabilem rotet inconſtantia mentem,
Pars fiet ſelecta domus; & digna vocari,

Et jungi pietate mihi, paribuſque tuenda eſt
Præſidiis curaque ſoror. ſi prona patebit
Janua, ſi cupiet venienti occurrere Sponſo,
Hanc tabulis cedriſque velut firmabimus arctis.

ECCLESIA.

10. Sum paries, mammæque mihi pro turribus exſtant,
Sum murus ſtabilique fides innixa columnæ eſt.
Quin tali ſum lege meæ ſociata ſorori,
Ut circunciſo Graius permixtus Apellæ
Ambulet, & rigidos reſpectet Gratia Perſas,
Sublatoque colant Dominum diſcrimine gentes.

CHRISTVS.

11. Ipſe coruſcanti Salomon ſpectandus in oſtro
Hæc tenuit vineta prior. precioque locavit
Agricolas, viles dum faſtidita labores
Majeſtas veneranda fuit. mihi vinea curæ eſt,
12. Hac ipſa tractanda manu. meus omnis in illâ
Sudat amor, diſponit amor, plantatque rigatque.
Nec mea terrenis felix Eccleſia tuta eſt
Officiis. ſolo ſed me cuſtode triumphat.
Tu modò, quæ medios graderis ſecura per hortos,
Ne ceſſa mihi, Sponſa, loqui. nam plurima circum
Æmula te fundunt rivales agmina voces,
Et mihi te Sponſæque ſtudent avertere Sponſum.

ECCLESIA.

13. Corripe, Sponſe, fugam & levibus velocior hœdis
Occupa odoriferos, lætiſſima culmina, montes.
Æthereaſque domos magnoque habitata Parenti
Tecta ſubi. thalamoſque illic, dum militat abſens,
Grataque ſollicitæ diſpone cubilia Sponſæ.

Ne

Ne pagellæ ſequentes vacarent, viſum fuit duas Elegias ſacras, quæ de Amoribus illicitis agunt, inſerere, autore C. BARLÆO.

ELEGIA

Continens Orationem Joſephi ad uxorem Potipharis.

QUid maleſana meos princeps expoſcis amores
 Femina? quid vetitas expetis ægra faces?
Exigis officium? ſcelerum mandata retracta.
 Obſequium tanti criminis odit amor.
Vis famulum? meliora jube. vis eſſe miniſtrum?
 Servitii ne ſit pars ſcelerata mei.
Debetur mens caſta Deo, pietaſque furenti
 Abnuit & fœdas reſpuit illa preces.
Hanc dum ſector amans, dominam deteſtor amantem.
 Alteriuſque faces diſcutit alter amor.
Hoſpitii ſum verna tui. ſic credar adulter,
 Nec thalami cuſtos, ſed violator ero.
Non ego, ſi tellus careat rectore vel æther,
 Diſſimuletque tuum terra poluſque nefas,
Tam grandis reus eſſe mali ſperemque velimque,
 Aut fidei violem jura decuſque meæ.
Non velit hoc Potiphar. nec fœdis improbus auſis,
 Ut placeam dominæ, diſpliceam domino.
Quem premit ille thorum, pudor eſt conſcendere ſervum.
 Nec patitur ſocios nupta pudica viros.
Triſtia ſi vacui ſubeant faſtidia lecti,
 Quæ mihi Sponſa fidem libera juret, erit.

Fœta

Fœta puellarum Pharos eſt, fecundaque Nili
Oſtia, virgineos quæ peperere ſinus.
Hic caſtas adamare licet. tibi crimine jungar.
Et precium ſceleri perfidus addet amor.
Improba, quid juvenem, quid me laſciva laceſſis?
Egelidum prorſus me tua flamma facit.
Qui te acuit Veneris furor, in me totus hebeſcit.
Petraque ſum, quo tu mollis ab igne liques.
Ac velut adverſis ſcopulus non frangitur Euris,
Surduit ad voces mens generoſa tuas.
Cur aliena meis conjux amplexibus hæres?
Longius amplexu me facis ire tuo.
Baſia ſi ſperas, referam ſuſpiria mœſtus,
Excipiet noſter gaudia veſtra dolor.
Brachia tu ſtringis, mihi virtus brachia ſolvit.
Nec mea reſpondent auſibus auſa tuis.
Non mihi cæſaries, non compti lege capilli,
Collaque, non facies, non placet iſte decor.
Diſſuadent hæc ipſa nefas. formoſior eſſe
Dum cupis, impuro turpis amore mihi es.
Dum ſubeunt vultus, vultus ſubit, ecce, creator.
Et timidum tanti Numinis horror habet.
Conjugis omne decus ſolo cenſetur honeſto.
Nec niſi quæ caſta eſt femina, pulchra mihi eſt.
Rideat & noſtris inſultet vocibus aula,
Et Dominæ ſpretos exprobret illa ſinus.
Gens, ſecura Dei, ſcelerum mala nomina ſpernit,
Et pietas iſto judice victa cadit.
Me Deus & patrum veneranda exempla meorum,
Invictæque movet relligionis amor.
Ite Dionæi legum poſt ſacra catelli,
Cedite Acidalii turba profana chori.
Tu quoque tu noſtrum mulier contingere corpus
Deſine, nec lachrymas nec ſuperadde minas.

Non

Non flector lachrymis, nec amantum cedo querelis.
Cur? ſpeciem lachrymæ decipientis habent.
Quin potius reſtingue feros ploratibus ignes,
Iſtaque flagitium diluat unda tuum.
Nec promiſſa moror, nec quæ mihi ſæva minaris.
Sis mala, ſis facilis, luxurioſa noces.
Conſcia mens taciti nutrit fomenta doloris,
Pœnaque peccatis it comes ipſa ſuis.
Luxuries prædulce malum, blanditur & angit.
Quemque jocis reficit blanda, ſevera necat.
Non hoc, non magno narrabis, Fama, Jacobo.
Audiet aut ſobolis facta nefanda ſuæ.
Sufficiat laſciva Thamar. non alter avitæ
Gentis & Iſacidum ſtirpis adulter ero.
Non ego debebo Phariis ludibria terris,
Improbus, aut faciet culpa ſceleſta reum.
Te redamem? citius manes detrudar ad imos,
Membraque dem rapidis dilaceranda rotis.
Te redamem? tunc cum fontes remeabit ad ipſos
Nilus, ero propriæ ſervus amator heræ.
Inſtat amans mulier, ſequitur, trahit, urget, inhæret.
Excipit infandas, vis rabieſque preces.
Invitum quid iniqua trahis? cape pallia, non me.
Iſtaque ſervati ſigna pudoris habe.

EPISTOLA

Ammonis ad Thamaram ſororem.

SÆpius hæc ſcribo, nec ſum tibi femina tanti
Ut mihi reſcribas. nec ſoror ipſa faves.
Quo titulo ſcribas, placeam quo nomine frater,
Nil moror. hoc unum, te redamare, moror.

Quò

Quò germana magis fugis, hoc plus diligit Ammon,
Accendunt validæ pectora noſtra faces.
Uror. at occulto ſtimulum tu ſubdis amori,
Votaque dum ſpernis, plus voluiſſe facis.
Te facilem ſimula, potero te ſegnis amare.
Difficilis cum ſis, cogor amare magis.
Nam licet infeſtis percuſſa bipennibus ilex
Perſtet. ad extremum ſæpius icta ruit.
Tu quoque, dura licet, poteris prece dura moveri,
Et forti cupies condoluiſſe meæ.
Non formoſa tibi es, nobis decor iſte creatur.
Forma tua eſt, ſoli cernitur illa mihi.
Pulchra licet fueris, pulchri vileſcit imago,
Ni liceat pulchra virginitate frui.
Alterius dos iſta viri eſt. plus fulget amando,
Et decus in thalamis exerit illa ſuum.
Quos ſolers natura tibi formavit ocellos,
Non tibi, ſed ſolùm luſus amantis erunt.
Quæque tibi frons eſt, noſtro feſtiva furori
Annuit, & votis debet amica meis.
Quæ debes aliis, fratri invidiſſe ſceleſtum.
Da mihi, da formæ gaudia prima tuæ.
Elige, ſi cupias juvenem de gente tuorum;
Non tibi, qui Thamaram plus amet, ullus erit.
In facie pallor, macies in corpore toto eſt.
Inque dies dum te depereo, pereo.
Genua labant, miſeriſque madent ploratibus ora,
Nec mihi nox vultus ſubtrahit ægra tuos.
Membra mihi querulo recubant exanguia lecto,
Hoc unum credor ſanus, amare queo.
Redde precor vitam, vel ſi mihi reddere non vis,
Per populos lethi cauſa ferere mei.
Tunc tibi, ſed ſerò, tot verba preceſque ſubibunt,
Et lachrymæ & fratris triſtia fata tui.

Tunc

Tunc aliquis dicet: Jacet hic deſpectus amator,
Cauſa ſoror miſeri funeris una fuit.
Antè tuos mea tunc oculos verſabitur umbra.
Nec tibi tranquillæ noxque dieſque fluent.
Si tibi virginitas curæ eſt: quot ſorduit illa
Matribus. hæc poterit cura nocere tibi.
Si fratris te terret amor, vetitique Hymenæi,
Plus tamen ut frater, quàm peregrinus, amem.
Eripe fraternum mihi nomen & altera finge
Nomina. ſæpè ſibi ſomnia fingit amor.
Quos vetuit natura thoros, invidit amanti.
Nec tibi quæ genitrix, hæc fuit una mihi.
Eſt pater ambobus non alter. at altera mater.
Hoc ergò poteris non ſoror eſſe modo.
Callida magnanimum quondam Thamar arſit Iüdam.
Et tamen hic illi tunc ſocer, illa nurus.
Ipſe pater thalamos Uriæ conſcendit adulter,
Cur mea, cur juvenum crimina tanta putas?
Haud puduit Lothum natarum amplexibus abdi.
Affinis tali non mea culpa malo eſt.
Quos olim terris primi genuere parentes,
Et ſoror & frater tum coïere pares.
Regia res ſcelus eſt. levius peccare putatur,
Sceptrifero quiſquis ſanguine natus erit.
Cogor in obſequium Veneris, te cogor amare.
Imperat arbitrio tuque furorque meo.
Si formoſa fores minus, hoc minus Ammon amarem.
Audacem vultus me facit eſſe tuus.
Audacem faciunt greſſus & eburnea colla,
Quæque meo cupiam membra jacere thoro.
Vidimus Hebræas, ſed non placet ulla, puellas.
Femina præ Thamara ſordida quæque mihi eſt.
Aut mihi te cupiet jungi fortuna, vel artem
In vultus fruſtrà contulit illa tuos.

Non

Non decet invitæ fieri, quod dulce volenti eſt,
Armatas fugiunt oſcula blanda preces.
Si fratrem redamas, pergam te frater amare.
Si renuas, forſan peior amator ero.
Quod nequeo precibus, forſan tentabimus aſtu.
Crede ſoror. valde eſt ingenioſus amor.
Et licet incuſes fueriſque irata minanti,
Nil moror. in tanto crimine fructus ineſt.
Cuncta libens patiar. noſtras veniemus ad artes.
Irata ſatis eſt poſſe ſorore frui.

IACOBI LYDII

SERMONVM CONVIVALIUM

LIBRI DVO.

Quibus variarum gentium mores ac ritus in uxore expetenda, Sponſalibus contrahendis, Nuptiiſque faciendis ac perficiendis enarrantur.

PROLOGUS.

Sunt nonnulli, Amice Lector, ſtomacho adeò imbecilli, ut ad ferculum, quo ſe aliquando ultrà ſatietatem ingurgitarunt, nauſeent protinus, ubi ejus vel mentionem duntaxat fieri intelligunt. Id ergò ne Tibi viciſſim uſu veniat Sponſaliorum & Nuptiarum *lemma ſequentibus duobus libris inſcriptum cernenti, paucis Te interpellandum duxi. Quis enim chordam illam non tetigit? vel adeò in litteris humanioribus hoſpes eſt, Connubiorum illud argumentum ſumma adcuratione à viris eruditionis fama celeberrimis pertractatum ut neſciat? Sed (præfiſcini dixerim) cramben bis coctam non obtrudo. Etſi enim non eam inficias, omnes, quos vîdere contigit, non infimæ notæ Scriptores me hîc in conſilium adhibuiſſe eorumque puncta ac ſententias interdum ſtrictim collegiſſe; ne tamen ſcrinia illorum compilaſſe argui poſſim cavi ſedulò. Hiſtoricos potiſſimum excutere, indéque qui cuique genti mores rituſque probati fuerint haurire curæ fuit. In quo equidem quod ingenio deerat, labore, ſtudio, diligentia ut ſupplerem annitendum cenſui. Scopus ferè hic mihi fuit: Primò ritus quoſdam minus obvios ſolummodo enarrare, atque eapropter omittere,*

quos, eruditâ Briſſonii, Hotmanorum, aliorum operâ, toto orbe decantatiſſimos noram: Deinde morum apud noſtrates vigentium prima incunabula à variis & longè diſſitis regionibus populiſque, imprimis verò à veneranda illa Antiquitate arceſſere. quod ut præſtarem, nemo non videt me nonnunquam etiam tyronibus notiſſima repetere coactum: Denique quid populorum mores pervulgati juxta & abditi ab æquo aut iniquo, honeſto aut turpi, utili aut noxio trahant paſſim ſuggerere. Ceterùm ita me in hoc argumento verſatum eſſe arbitror, ut poſſim torvos illos, qui Curios ſimulant & Bacchanalia vivunt, non morari. Quamquam enim jocoſum planè ac feſtivum ſit, tamen in eo pertractando βωμολοχίαν ſive ſcurrilitatem & σκωραμίδας κωμωδικὰς vitavi. Ab εὐτραπελίᾳ jure ac merito non abhorrui, ut qui ab Ariſtotele Ethic. lib. 4. cap. 8. eam virtutibus accenſeri didiceram, non adverſante Gentium Apoſtolo, utut ejus autoritate pugnent nimia ſeveritate inepti. Eſt enim nomen medium, quod propriè ſumitur in bonam partem & notat dexteritatem τοῦ εὖ τρέπειν τὸν λόγον & per concinnam mutationem facetum lepidumque ſeſe tempeſtivè præbendi. Idem autem huic vocabulo evenit quod compluribus aliis, quæ morum pravitas rapuit in partem deteriorem; præſertim cùm in

jocis

jocis proclive ſit in exceſſum labi. Quanquam & in defectu hîc à viro gravi peccari poſſit. Vnde virtute aliqua opus eſſe, quæ in jocando modum ſervare doceat, liquido apparet. Certè cum omnis vita noſtra occupatione & quiete tranſigatur, ipſa autem quies ſive ceſſatio ab occupationibus non niſi ignavos & Sybariticos Myndiridas delectet, ſeduli tædium ceſſationis honeſtis ludis jociſque diluere amant.. Vnde nec magnus ille Apoſtolus jocorum uſum damnat, ſed ſcurrilem abuſum, qui inter Epheſios vigebat; Et, ut celeberrimus ille Melanchthon cenſuit, Paulus, cum Epheſ. 5. 4. μωρολογίαν & ἐυτραπελίαν nominat, complexus eſt & ſcurrilitatem, & vicina vitia minus atrocia, futilitatem, adſentationes, ſugillationes, cavillationes, obtrectationes. Quales ineptias interdum etiam invenire eſt apud homines non malos. quæ tametſi ſunt ſine ſcelere & atrocitate, nihilominus proveniunt ex vanitate, & à norma veritatis & candoris nonnihil deflectunt. Itaque molliori nomine uſus eſt Paulus, quo non ſermonis lepos ſed vitia reprehenduntur, quomodo & alibi Græci ſcriptores nomen ἐυτράπελος non de virtute, ſed de homine verſatili uſurpant. non rarò enim peccant qui ſe ad diverſorum hominum ſenſus & mores inflectunt, iiſque ſermones ſuos attemperant. Nemo ergò ſanus & æquus rerum æſtima-

tor honeſtum illud oblectamentum in argumento faceto verſanti invidere poterit. quia ludo & joco uti licet, ſicut ſomno & quietibus cæteris, *ut prudenter dixit Tullius. Si cui tamen hujuſmodi lepidum ſcribendi genus carpere tanta libido eſt, ut ipſum ferè argumentum ei ſuſpicione alicujus levitatis laboret, is, etſi tacendo contemni poßit, tamen apud Tacitum pro me dicentem audiat Tiberium, qui, Cottam Meſſalinum defendens*, ne verba pravè detorta, neu convivalium fabularum ſimplicitas in crimen duceretur, *poſtulavit. Tu autem, candide Lector, vale, & prodeſſe ac delectare conanti fave.*

IAC.

JAC. LYDII

SERMONUM CONVIVALIUM LIBER PRIMUS;

ſive

DIALOGUS

De vario Sponſaliorum ritu.

Collocutores.

ARCHÆOLOGUS, BIBLIACUS, POLYTROPUS, PHILISTOR.

ARCHÆOLOGUS. Mirum, ni te Jupiter ille Gamius, plus quàm teſtudineo gradu ad convivium ei ſacrum viam affectantem, eodem cum teſtudine ſupplicio premat. Adeo moratus es expectationem meam, qui jam integro ſemeſtri vix te oculis uſurpavi meis; ita continuò tanquam claudus ſutor domi deſides, quanquã non inter deſides numerande Philiſtor, amice oculiſſime.

PHIL. Quid me amicum oculiſſimum ſalutas, quem in amicorum corona inſimulare, & tantum non pipulo differre ſuſtines, eò quod rarius me oculis tuis objicere ſoleam? Quiſquamne in oculis à te geſtari illum autumet qui tam rarò viſendi ſui copiam tibi facit?

ARCH. Immò mentis oculis in te vel abſens defixus hæreo, & tũ mihi verè vivere videor, quoties te in intimis animi mei penetralibus præſentem ſiſto & animitùs amplector. Sed neſcis, mi Philiſtor, ſponſalibus filiæ hunc dictum eſſe diem; teque imprimis juxta cum Bibliaco & Polytropo noſtro vocatum, ut animo defæcato atque exporrecta fronte ſermones unà ſereremus ſua-

viter? unde mirari ſubit quod maturius atque in tempore ad condictum non adfueris, quod tamen rerum omnium primum eſſe ajunt. Noſti Pittacum malè audire apud veteres, & ζοφοδορπίδαν dictum, quod, ad cœnam vocatus, nunquam niſi ſerò veniret. Policharmum te eſſe malim, qui id laudi duxit, quod nunquam ultimus ad convivium acceſſiſſet.

Phil. Equidem non teſtudineo, ſed grallatorio Pegaſeoque gradu huc contendebam tempeſtivè; ſed me remoratus eſt in via amicorum quiſpiam, qui Illuſtriſſimum Principem Wilhelmũ, Celſiſſimi Ducis noſtri Friderici Henrici Uraniæ Principis filium, poſtquam aliquot diebus eum in portu detinuiſſent ἄπλοιαι, feliciter in Angliam appuliſſe nunciabat, cum regni totius publico gaudio ſummaque gratulatione ac feſtivitate, utpote Sereniſſimi Regis ſui filiâ natu maximâ jam deſponſatâ & in Wilhelmi noſtri manum conveniente.

Arch. Jam dudum audiveram; adeo ut raucus jam factus ſit rumor. Nec auritis duntaxat crede teſtibus, ſed oculatis. Me vidè; ipſe ego hiſce oculis vidi Claſſem noſtram, vehentem alteram illam Spem patriæ, vela dare ventis, & cum hoc Ovidiano Propemptico illam dimiſi:

Vade, precor, felix, vento reditura ſecundo,
Impleat illa tuos fortior aura ſinus.
Tunc mare in hæc magnus proclinet littora Nereus,
Huc venti ſpectent, huc agat æſtus aquas.
Primus ego aſpiciam notam de littore puppim,
Et dicam: Noſtros advehit illa Deos.

Adhæc Polytropus jam recens ex Anglia redux fauſtas populi acclamationes & effuſiſſimam lætitiam vidit & audivit, nobiſque prolixè denarravit. Sed eccum, vocator omnia parata nunciat. accumbamus pariter; ſic ut alter alterius latus claudat, vel è regione conſideat, ut promptior confabulandi nobis detur occaſio. Hilarem

ſumi-

ſumite hanc veſperam, amici quotquot adeſtis, & vos comprimis congerrones feſtiviſſimi. Ita læta hæc Sponſalia lætioribus Nuptiis viam parent.

PHIL. Quid igitur? nondũ confecta ſunt Sponſalia?

ARCH. Immo jam heri inter filiam atque eum quem lateri ejus hærere cernis ſtipulantionis ſponſionisq́; cõtractus fuit. tamen convivium hoc, quod patrio more inſtitui, *Sponſaliorum* nomine indigitavi, non invito Cicerone.

BIBL. Vetuſtum hunc morem eſſe te fugere non arbitror; cum Græcorum προτέλεια & προγάμεια nota ſint; Atque, ut cum Archæologo pergam ἀρχαιολογεῖν, apud Syros in Meſopotamia jam inde uſque à tempore Abrahami agitata fuiſſe ex Moſe liquidum eſt; dum narrat, Eliezerum Abrahami ſervum in Meſopotamiam ablegatum, ut herili filio Iſaaco uxorem quęreret, poſtquam Bethuel filiam Rebêccam, eodem ambiente ac ſtipulante, deſpondiſſet Abrahami filio, convivio fuiſſe exceptum, quaſi Sponſalia dante Bethuele, juxta priſcam incolarum conſuetudinem.

ARCH. Ritè ritum hunc tam longè arceſſiviſti, Bibliace. Sed illud mihi reſpondeat Polytropus, An Magnæ Britanniæ Regis filia nunquam viſa fuerit Principi Wilhelmo ante cõtractum cum ea matrimonium? ita enim mihi dicere modo viſus eſt. Ego verò vix adducor ut credam, utpote qui oculos in amore duces eſſe ſemper cenſui; nec in tenebris hîc cum Areopagitis judicium faciendum. Tum illud quoq́; ediſſeri mihi velim, Cur Regum Principumque liberi annis etiam immaturis connubio ſæpenumerò jungantur.

POLYT. Rectè meminiſti. ſed jam tibi mentem meam latius explicabo, ut intelligas, non omninò illi fuiſſe ignotam inviſamque regiam puellam. Etenim, ut fama loquitur (nam præter auditum nihil habeo) ima-

gines ſcitiſſimè pictæ & Zeuxidis, Apellis & Protogenis artẽ ingeniumq́; redolentes,cumque ipſius naturæ veritate certantes utrinque exhibitæ cupidinem caſtaſque flammas animis Principũ afflarunt. Verumtamen ſatius eſt hominibus magni conſilii eorumque judicio ſubactiſſimo, quàm oculorum examini ſuperficiario conjugis eligendæ curam demandare. Amorem cæcum eſſe lippis & tonſoribus notũ eſt,iiſq́; qui nondum ære lavantur. ut falſos putem qui oculorum judicio multum tribuendũ eſſe judicarunt.

ARCH. Sic tamen uſu receptum ferè ubiq́; locorum videre eſt; & ex mutua confabulatione, ex jocis, blanditiiſq́; mutuis (ut ex lignorum duorum attritu,& lapidum colliſu ignis progigni ſolet) animos conciliari & æterni amoris coagulo conglutinari exiſtimant. Illud ſcio, eſſe quoſdam adeò diſpari ingenio natos, ut quaſi ex diametro ſint oppoſiti;& prius quis aquam igni conciliaverit, quàm hoſce unanimes fecerit; nempe aliter catuli olent, ut ajunt, aliter ſues. Vis ergò, Polytrope, tam diſſimiliter ingenuatos indiſſolubili illa conjugii copula nectere atque ita perpetuis rixis ac diſcordiis latam januam aperire?

POLYT. Neutiquam, & quo minus id accidat, ſapientis procuratoris erit accuratiſſimè providere,ne in futuris conjugibus tantũ animorum diſſidium,quod vero amori obicem ponere poſſit, reperiatur. Nec ambigo quin viro emunctę naris hoc facilius ſuboleat,quàm amatori,ſæpè aliud agenti,& rebus gravioribus, in quibus negotii cardo vertitur, minus intento. Sed aliud accipe malum,quod in procantibus ſeculi noſtri adoleſcentibus tam latè ſerpit & tam pertinax eſt, ut ſummopere optandum ſit, ei vel tandem ab idonea manu medicinam fieri. Nam qui hoc noſtro ævo ambiunt nuptias ſæpenumerò per aliquot integros annos prius procos agunt quàm maritos. Interea loci, ut

ut ſe in virginis adamatæ gratiam inſinuent, nil prius habent quàm ut exquiſitiſſimo corporis cultu ſuis præcellant rivalibus. Hinc — *tot nova nomina veſtis, Quæq; virum quærunt.* Veſtes Attalicas, Phrygianas & holoſericas quid referam? caligas ac periſcelidas bombycinas, ocreas, pileos ad ſolem reſplendentes, chirothecas è tenuiſſima pellicula elegantiſſimo opere factas & variis odoramentis ſuffumigatas, & μυρία ἀθύρματα? Neve puellarum lucubrationes minus æſtimare puellis videantur, fimbrias acu pictas, & infatigabili labore contextas, extremiſque collarium aliorumq; lineorum ornamentorum oris aſſutas, circumgeſtant. Et tam magno præſtinant, ut in hiſce minutiis cenſum collocare non vereantur. Capillis in humeros promiſſis & calamiſtro inuſtis vento ludibrium præbent, de quorum ornatu atq; ordine ſpecula ſingulis propemodum horis in conſilium vocant. Dumque ad luxum & oſtentationem omnia componunt, ægerrimè ferunt iſti Hortenſii, ſi quis fortè plicas in veſte perturbet. Adeò quanti quanti ſunt mulierem olent, cui indefeſſum ſeſe comendi, poliendi, ornandiq; ſtudium à natura inuſtum. Nec hîc ſubſiſtit luxus, aliæ atque aliæ veſtimentorum figuræ ſumendæ ſunt nepotulo noſtro, qui nunc breves, mox longiores veſtes induit. Hoc menſe manicatum, alio ſine manicis pallium gerit. Nunc pileum acuminatum, mox κυλινδροειδὲς oſtentat. Hoc ſemeſtri brachis & ſubligaculis longis, altero brevibus; Hoc anno anguſtis & femur undiquaq; prementibus, alio laxis & ita follicâtibus veſtitur ut Æolus iis plures ventos includere potuiſſet, quàm in utre illo quem Ulyſſi navigaturo tradidit. Ita noſtri ſeculi eſt ingenium, πτωχαλάζονες ſunt non pauci, & ambitioſa paupertate turgidi. Nam tanti redimunt hanc munditiam an inſaniam, ut, rebus tandem acciſis, nequicquam in

in imo fnndo ſuſpiret nummus; tandemque ſæpè, vana ſpe lactati, & amica & bonis ſuis excidant.

Arch. Graphicè nobis noſtros amatores deſcripſiſti.

Polyt. Sine me modò, cætera paucis dabo. Sic Venerei iſti nepotuli adornati, ante amicarum ædes obambulant, earumq; oculos animoſque ſollicitant. Quin imo nocte intempeſta bubonũ inſtar circumvolitant, & ineptis cantilenis puellarum ſomnum interpellant; cum amata luſus agitant & jocos, choreas ducunt, paſcunt oculos, neque prætextatis abſtinent ſermonibus, ut qui Naſonis de arte amãdi magiſteriis ſe tradidêre. Quis dubitabit quin hæc omnia non honeſtarũ Nuptiarum ſint initia, ſed ſtabulorum & lupanarium rudimenta? Et miramur ſi tam infelicium matrimoniorum plena ſint omnia? cum ad ea non Juno ceſtum afferat ſed Venus. Juſtè ergo violatæ matrimonii tædæ in ſuos auctores, non ſine gravi ipſorum damno, retorquentur.

Arch. Ha, ha, he! — *Felicia tempora, quæ te*
Moribus opponunt! habeat jam Roma pudorem.
Tertius è cœlo cecidit Cato.

Quam nihil eſt hominum inepta perſuaſione falſius, aut ficta ſeveritate ineptius? nunquamne meruiſti in caſtris Cupidinis? tyro videris. Iſta res iſtiuſmodi mores poſtulat.

Polyt. Non res, Archæologe, ſed tempus hoc noſtrum corruptiſſimum. Unde non eſt quamobrem cachinnum tollamus, ſed deploremus potius hominum hujus ævi veſaniam.

Bibl. In unam tecum conſpiro ſententiam, & Catoe eſſe non abnuam, ut ſim catus & prudens cum vetuſto illo ſancto ac ſimplici ſæculo. ubi ejuſcemodi prolixis ineptiis gratia puellæ à proco nõ captabatur. Abrahami filium Iſaacum videſis, qui, de patris conſilio, cum virgine ſuſtinuit matrimonio copulari, quã nunquam ante

ante conſpexerat. Ipſaque virgo, quod Iſaacus eam amatoriis blanditiis longo ante tempore non demulſiſſet, nil penſi habuit, ſed, cùm propinquis ita videretur, ad ſponſum confeſtim proficiſci non eſt gravata. Ad hoc exemplum ſi ſeſe ævum noſtrum componeret, magno cum Reipublicæ emolumento malis à te enumeratis obviam iretur. At nunc poſtquam inani illa luxuria multi rationes ſuas diſturbarunt & patrimoniũ abſumſerunt, ut puella adamata potirentur, jam voti compotes, alicunde ſibi corradendum vident, unde familiam ſuſtentent luxuriamq; priſtinam alant. Hinc hamatis aduncisque manibus, ſi fors tulerit, arripiunt & in ſe malis artibus transferunt quæ ſunt juris alieni ac præſertim publici.

Arch. Miſſa iſthæc facito. Illud autem potius videamus, unde in hunc ſermonem devenimus, An ſuperiori quoque ſeculo mos ille invaluerit, ut Principum ſponſalia abſentibus ſponſis per legatos conficerentur: neq; enim me iſtud uſquam legere memini.

Polyt. Non deſunt exempla compluria; utinam modo mihi in mentem veniant! Unum nunc aut alterum memoratu dignum occurrit. Maria Charleſia in Maximiliani Auſtriæ Archiducis manum conveniente, cõtractus matrimonialis ſolemni hoc Principum more confirmatus fuit, ut Ludovicus Bavarus, legatus Archiducis primarius, dextram tibiam armatus, in eodem thoro ei accubuerit.

Phil. Eſt qui litteris conſignatum reliquit; Bavarum ſemiarmatũ, nomine Maximiliani, cum Maria concubuiſſe, ſed ritu Principibus uſitato, hoc eſt, altero crure genu tenus intra ſtragula injecto, quaſi ita puella devirginata, matrimonium pro conſummato haberetur. Ita enim, niſi me fallit memoria, celebris ſcriptor de nuptiarum inter Maximilianum & Annam Franciſci Ducis filiam procuratore memoriæ proditum reliquit, dum ait,

ait, *Annam nudam, matronis nonnullis ac Principibus teſtibus, torum conjugalem ingreſſam, ac mox procuratorem, mariti vice, eo quo dictũ modo eam cognoviſſe, ut puella ad id quod promiſerat præſtandum nova hac religione conſtringeretur.*

POLYT. Imprimis verò illud nequaquam prętereundũ mihi eſſe arbitror, quod de inſigni aſtu, vafritie ac ſolertia Aureliani, Clodovei Francorum Regis ad Crotildem puellam, Regis Burgundionum ex fratre neptẽ, legati, memoratur. Hic, cùm aditum ad virginem, domino ſuo ardenti deſiderio expetitam, obſtructum ſibi videret, nec cum muneribus mandatiſque Regis ad eam commeandi dari copiam, omnia circumſpicere & rimari, omnibuſq; occaſionibus intentus eſſe, ut vel tandem locum tempuſque à ſolitis arbitris remotũ nanciſceretur, quò Regis ſui mandata puellæ nobili exponeret. Igitur adverſam hanc ſibi dominoq; ſuo fortunam in conſilium ſapientiamque vertere, quodque palam & recta via non poterat, clam & ex obliquo tentare, & quaſi per inſidias eam adgredi. Tempus erat quo mendicabulorũ ingens turba, ut fieri aſſolet, ædis cujuſdam ſacræ fores cingebat & Crotildem egreſſuram præſtolabatur, eleëmoſynam ab eadem ſperans, quam ibidẽ larga manu erogare pauperibus conſueverat. Inter hanc fæcem & ipſe conſiſtere, & habitum fortunamque mendici mentiri, idque inter primos, ut primus ſtipem acciperet. Foras ergò egrediente Crotilde, & aureum ei porrigente, ipſe manum ejus apprehenſam, uti ſi oſcula libaturus eſſet, pallio prius ſuperinducto, ori admovere, ac ſperare, ſe ob hanc cauſſam à puella accerſitum iri. Nec ſpes deſtituit. mox enim, ut domũ rediit, puella, pediſſequam miſit, quę audaculum illum ſupraque ſortem aſſurgentem mendicum ad ſe adduceret. nã facti iſtius tam inſolentis cauſſam cognoſcendi ſummo deſiderio flagrabat, præſertim quia non vulgarem in

eo indolem ſibi animadvertiſſe videbatur. Cæterùm ſi cauſſam ei non probaret, nec ſatis ſeſe purgaret, exemplum in mendicum ſtatuere certum erat. Proinde cùm præſens à præſenti Crotilde Aurelianus acerbè ac duriter increparetur, & ſummæ temeritatis argueretur, quòd homo infra omnes infimus, ſtipem exoraturus, non erubuiſſet nudam & ipſis nobilibus intactā manum contemerare ac deoſculari; Ibi tum Legatus, hanc εὐκαιρίαν ac percommodam ſibi occaſionem haud negligendam ratus, mandatum Regis ſui eidem gnaviter exponere, conjugem petere, annulumque ac cætera ornamenta ſponſalia promere & offerre, & ad ſummam dexteritatem ac prudentiam ita nihil reliqui facere, ut Crotildis, jam longè alia rerum facie exorta, nec manum dare tandem abnuerit, nec ſe totā Clodoveo mancipare, Sponſalibus per procuratorem Legatum confectis, verita ſit.

Arch. Mactum ingenio judicioque Legatum narras.

Phil. Ut anſa anſam trahit, ita alius ex alio ſermone ſermo naſcitur. Si grave non eſt mihi aures parumper dare, ſingularem vobis Moſcovitarum Principum ritum in uxoribus ſibi adſciſcendis enarrabo, ab argumento cui inſiſtimus non omninò alienum.

Polyt. Narra ſodes. ſuſpenſis auribus, me quod attinet, iſtuc bibam; nec aliam cæteris mentem eſſe certus ſum.

Phil. Ubi Princeps ſeriò de uxore ducenda cogitationes conſiliaque ſub pectore volvit, omniū in toto regno puellarum delectum habet, eaſque quæ, liberali facie, forma luculenta & ætate integra, nec non animi virtute, cæteris præſtant, ad ſe evocat, & per idoneos teſtes fideleſque matronas ita diligenter inſpicit, ut etiam propudioſa obſcœnitate eas partes explorari contrectarique fas ſit, quas ne ad cognitionem quidem admittere ſeverioris notæ homines ſolent, quaſque ſine venia ac

ſine

ſine præfatis honoribus appellare inter caſtas aures naturalis verecundiæ lex prohibet. Omnibus ritè examinatis, tandem illa quæ è teſtium matronarumq; conſilio Principis animo maximè arriſerit, nuptiis ejus digna pronunciatur.

POLYT. Iſtud quidem revera eſt σκιμαλίζειν.

PHIL. Rectè conjectas. nam ut minus glociant Moſcoviticæ illæ gallinæ, pleræque clam pariunt tamen. Ajunt enim iſtius regni puellas magnam partem Petronianæ Quartillæ eſſe quàm ſimillimas, quæ Junonem ſuam ſibi iratã imprecatur, ſi unquam meminiſſet ſe virginem fuiſſe.

POLYT. Prudenter ergò, me judice, faciunt. Ad hæc è re eſſe communi arbitror viris Principibus habili, vegeto, ſano, quadratoque corpore puellas nubere, quandoquidem fortes fortibus creari non eſt dubium. Fortia autem ac robuſta eſſe Martia illa pectora & rebus gerendis nata apprimè neceſſarium eſt. Sed quid interim fit reliquis, quæ repulſam patiuntur miſeræ, & anxium parentũ (dum conſilium de conjuge Principi deſtinanda formatur, in incerto cogitationum ſalo ancipitiq; æſtu fluctuantium) expectionem fruſtrantur?

PHIL. Quid fiat, rogas? Sæpe eadem die omnes aut pleræque, dum de illibato virginitatis earum flore recentior & certior eſt memoria atque experientia, in gratiam Principis, proceribus ejus militumque præfectis nuptum dantur.

ARCH. At necdum apodixin defunctoriam tibi do, Polytrope. Reſtat enim illud de nuptiis Principum ἀκριβῶν expediendum.

POLYT. Sic habet. Primùm ergò illud tibi perſuadeas velim, non eſſe omnem illam ætatem Veneri liberiſque procreandis ineptam, quæ vulgo putatur. Nam ſua etiamnum memoria rem in Aquitanis decantatiſſimã fuiſſe, prodidit vir ſummus Joſephus Scaliger, Puerum nempe, dum annus duodecimus ætatis ejus ibat, ge-

nuiſſe ex puella conſobrina ſua, quæ nondum decimum expleverat. Et quo magis credas, patrem ipſum hoc de ſe patri ſuo teſtatum narrat. Hieronymus nutricem ex puero decenni uterum ferre viſam, memoriæ proditum reliquit. Idemque de puero novenni Gregorius Magnus retulit. Eſt, qui non de novenni duntaxat, ſed & ſeptenni puero & puella ſimile prodidit. unde non uſque adeò mirandum, ubi Moſcovitarum puellas decimum aut undecimum annum agentes nubere legimus.

ARCH. Hui! mira narras. Utique Petronii Quartilla, de qua modo Philiſtor mentionem injiciebat, præ hiſce nulla foret. Verbo ut abſolvam; mures Ægyptias nobis deſcripſiſti, quas prægnantes in lucem edi Plinius teſtatur.

BIBL. Etſi hujus quidem rei fides omnis abiit; nihilominus à vero non eſſe omnino alienam argumento evincam ἀναντιλέκτῳ. Achazus Judæ rex regnum inivit annos natus viginti. Obiit verò poſtquam ſexdecim regnaſſet. Proinde è vita exceſſit cùm annos haberet XXXVI. Jam porro filius ejus *Ezekias*, cùm eſſet annorum XXV. patri in regnũ ſucceſſit. Ergò igitur XXV. annis ętatis *Ezekiæ* de XXXVI. patris ejus deductis, relinquitur annus undecimus abſolutus & duodecimus iniens regis Achazi, quo *Ezekias* natus ſit. unde efficitur undecimo anno ætatis patris ſui conceptum eſſe *Ezekiam*. Alios plures quibus ſacer computus in promptu eſt recenſent, quos mitto, ne difficiliori de rebus Chronologicis diſputationi tempus hoc dare velle videar.

ARCH. Tu quidem, Polytrope ſuccedaneus, non jam aſſenſum meum, ut ille, elicere, ſed extorquere, nec inducere me, ſed rapere trahereque anni teris, humana omni authoritate majus ſpirando.

POLYT. Hinc illud colligo; Non eſſe quòd quis in eo prudentiam deſideret, quòd inter Regum Princi-

pumque liberos annis tam juvenilibus interdũ coëant conjugia. Intereſt enim Reipub. ne ἄτεκνοι & illiberes diem ſuũ obeant Celſiſſimæ illæ Illuſtriſſimæque animæ. idque potiſſimum, ſi ſucceſſor in incerto ſit.

Arch. Tametſi in Judæis, ſingularis fœcunditatis promiſſione dotatis, id obtinuit, nunquam tamen perſuadebis, de Occidentalibus, frigidiſque hiſce noſtris regionibus idem eſſe ſentiendum. Nam, ut Medicorum judiciis ſuperſedeam, illud prudentiſſimi Hiſtorici de Germanis effatum mihi perplacet: *Pares validiq; miſcentur, ac robora parentum liberi referunt.* Morem etenim antiquitus inductum apud eos laudat, ut non niſi ætate pares atque maturi validique coirent; unde robuſta fortiaque bello pectora procreari, effœminata alioquin & imbecillia futura, certò ſtatuebant.

Polyt. Ut hoc tibi largiar, non poſſum tamen à me impetrare, ut in Principum liberis ejuſmodi connubia damnem. Variæ enim poſſunt ſubeſſe cauſæ prægnantes ac politicæ, cur etiamnũ puerilibus annis matrimonio copulentur, quas rimari atq; indagare non eſt cujuſvis. Adhæc curatores iis dati illud agunt, ne crebro nimis congreſſu vires teneræ enerventur; ut ſilentio involvam, Sponſalibus jam contractis, rarò communis thalami uſum concedi, antequam maturuerunt. Properantiam certè cunctatione minus à vitio trahere Hebræorum dictant Magiſtri. Summopere enim annitendum cuique eſſe ajunt, ne cœlebs annum viceſimum tranſigat. Diſcipuli R. Iſmaelis tenent, Deum uſque in annum viceſimum patienter exſpectare ut juvenis uxorem ducat; ſi verò ſine uxore viginti annos exegerit, Dominum ei dicere: Oſſa tua confringuntor. At verò, R. Aſcher viginti annos natum, nondum tamen conjugem, à domo judicii ad matrimonium compellendum eſſe dixit; præterquam ſtudioſos, qui, ſicuti de

de Ben Azzai narratur, legem ſibi faciunt uxorem. Quinimmò cælibem vitam ducentes homicidii arceſſunt, & ſanguinem humanum effundentibus aſſimilant, atque adeò hoſtes humani generis eſſe cenſent, dum illud unicum conjugii fulcrũ, qua poſſunt, ei ereptum eunt, abſque quo eſſet, orbis univerſus jam dudum hominibus viduus fuiſſet.

ARCH. Siccine ergò parricidas Regumq; ac Principum interfectores vocas, qui tardiuſculè, Principes cùm ſint, Principibus procreandis dant operam, unde patriæ patres in demortuorum locum ſufficiantur?

POLYT. Rem tenes. Iſtuc ibam, Archæologe.

ARCH. Ita te amet Jupiter Anxurus, cum pronuba Jũnone, cæteriſque Diis queis vincula jugalia curæ. Satis ſtrenuè cauſſam egiſti procorũ ac maritorum imberbium, quibus necdum prima lanugo malas veſtit, eademq; opera proverbium illud noſtrum falſi inſimulaſti ac conviciſti, *Procum, cujus barba ultrà dentium menſuram non excrevit, monſtrum eſſe.* Nec, te judice, admirationi erit cuiquam infans, qui barba parili patrem referat.

POLYT. Plus dicam, etſi non probem. Vagientem interdũ in cunis ſponſam auditam. Peguanos enim ajunt puellis poſtquã annum exceſſerint virum deſtinare; & parentes ad generum, quem petunt, ſe conferre, arcum, ſagittas, ligonem ſymbola ſponſalia afferre: Quæ ſi accipiuntur, generum confeſtim, tanquam jam ipſis devinctum atq; oppignoratum, abduci domum, ut rem familiarem ſoceri gnaviter curet, uſq; dum puella viro matura ſit. Fidem facit non minus Nicetas Choniata, qui ab Alexio Comneno Theodoram ejus neptem in cunabulis cubantem Ibanco certa lege promiſſam ſcribit. Quod magis mirere; liberos nondum natos à parentibus deſponderi inter Chinenſes uſitatum. & quidem ſcriptis codicillis hæc Sponſalia obſignantur, legeſque quibus

matrimonium coëat deſcribuntur. Juxta quas cùm jam adultorum Nuptiæ fiunt, ſponſus dotem ſponſæ exhibet, quam illa rurſum ſocero donat, in redhoſtimentum laboris in educendo ſponſo exantlati.

ARCH. Sed nec illud te latet Ibanci reſponſum, ovem arietis in Venerem ruentis pondus tolerare aptam, præ agna lactante exoptantis.

POLYT. Planè hic tecum ſentio, nec tantum cum Poëta tollendã cupidinem immitis uvæ cenſeo, tunc cum puber impuberis Nuptias appetit, ſed & nimiam illam utrimque ὀλιγοετίαν damno. Maximè vero Moſcovitas deteſtor, qui, ubi ex conjuge fato functa maſculam ſobolem ſuſceperunt, perſępè impuberi filio ſponſam quærunt, cum qua tamen ipſi interim concumbere ac liberos procreare conſueverunt. Filio deinde ex ephebis egreſſo novam nuptam à ſe conſtupratam, & ſobolem unà adducunt patres, atque ita ajunt: Vides, mi Fili, tuam conjugem tuoſque liberos? Patris ergò ſcortum, ſi quidem placuerit filio, bonus ille accipit, ſin ſecus, illud aſpernatur, & de alia uxore ducenda conſilium capit.

ARCH. Non illibenter audivi etiam Hebræorũ Magiſtros te advocaſſe. Eapropter ex te ſcire aveo, ſi quid in iiſdem ἀξιομνήμευτον de Judæorum moribus, in Sponſalibus Nuptiiſq; uſurpatis, obſervaveris prætereà. Neſcis enim quantopere me afficiant, & quàm non vulgari voluptate me iſtiuſmodi res oblectent.

POLYT. Iſthæc que recenſui non ex ipſis fontibus, ſed ex rivulis duntaxat hauſi. Tu verò, librorum helluo, qui tam aſſiduus es in Rabbinorum quoque voluminibus volvendis, ut qui maximè, ſi epularum lautitiis hanc mantiſſam addideris, & Judaicos ritus, prout ſeſe memoriæ tuæ offerent, expoſueris, major ſanè thylaco erit acceſſio. Meritò enim id a te expoſtulo, qui jam dudũ inter doctos om-

nigenæ antiquitatis promi condi nomen es conſecutus. Me quod attinet, aliarum gentium mores interim non reticebo; præſertim ubi locus dabitur eos tuis narrationibus aptandi. utinamque ingenii mei vires voto ſatiſfaciendi expectationi tuæ reſponderent! Iniquum verò mihi videtur, ſi Bibliacus & Philiſtor nullam ad hoc litteratum convivium ſymbolam conferant atque immunes omninò ſint.

BIBL. Equidem facilè me in partes trahi ſinam, ſicubi controverſia oborta fuerit, & ſententiam meam liberè proloquar; nec abhorrebit Philiſtor, ſat ſcio.

PHIL. Dum in diverſas partes ſcinduntur omnes, haud tutum eſſe medium ſe profiteri, Politici tenent. Noſtis enim, opinor, illam Solonis legem, ab Ariſtotele, Gellio & Plutarcho celebratam: Si ob diſcordiam diſſenſionemq; ſeditio atque diſceſſio populi in duas partes fiat, &, ob eam cauſſam, irritatis animis, utrimque arma capiantur, pugneturque; tum qui in eo tempore, in eoque caſu civilis diſcordiæ, non alterutri parti ſeſe adjunxerit, ſed ſolitarius ſeparatuſq; à communi malo civitatis ſeceſſerit, is domo, patria, fortuniſque omnibus careto; exul extorriſq; eſto. Etſi ergò in ullius verba jurare nolim, erit tamen ubi in partes tranſire ſententiæque alicujus veſtrum album calculum adjicere, erit etiam ubi in alia omnia ire, immò ubi ſeorſim ab omnibus ſentire velim. Siquidem ſic cenſetis, exordiatur hanc telam Archæologus, nos ſtamini ipſius ſubtegmen ſufferciemus. Vereor tamen ne lanam ego in officinam fullonis delaturus, aut purpuræ veſtræ turpẽ laciniam attexturus ſim.

ARCH. Illud in narrationis meæ veſtibulo vos moneo, congerrones ſuaviſſimi, ne exiſtimetis omnia apud gentem Judaicam, quamvis à Deo in deliciis habitam, redolere priſcam illam ac primævã ſapientiam ab aliis gentibus toto orbe tantopere dilaudatã. Audietis enim

interdum meras affanias, germanas nugas, & gerris Siculis vaniora.

PHIL. Quicquid ſit, effare modò. vacuis ac perpurgatis auribus omnia accipiemus; & fortaſſis affatim ridebimus.

ARCH. Procum ergò agentem ex antiquiſſimo Judæorum more mihi videte Eliezerum, dum, de conſilio juſſuque Abrahami, herili filio ſponſam adducere annititur, & ipſiſſimam ſeculi iſtius artem amandi diſcetis ex Moſis relatione, cap. XXIV. libri primi. Etenim dum ait, Eliezerum coram parentibus ac fratre Rebeccæ ita ſermonem ſuum exorſum: *Servus Abrahami ego ſum. Iehova autem benedixit Domino meo tam abundè, ut magnus evaſerit. dedit enim ei greges, & armenta, & argentum & aurum, ſervoſque & ancillas & camelos & aſinos. Præterea peperit Sara uxor Domini mei filium Domino meo, poſtquam ſenuit ipſa; qui dedit ei quicquid habet.* quid niſi magnum aliquid ſonat, herum extollit, divitias Attalicaſque conditiones crepat, herilemque filium non magnã aut maximam partem in Abrahami teſtamentaria cera ablaturũ, ſed ex aſſe hæredem fore jactat? Cui affine quoque illud quod præcedit: *Omne bonum heri ſui erat in manu Eliezeri.* Nam quid obſtat quo minus illud accipiamus de Abrahami teſtamento, in quo, tanquam catalogo, bona ejus recenſerentur? unde parentes Rebeccæ colligere poterant, in quo opes ejus ſitæ eſſent.

PHIL. Siccine Eliezer protinus ad cenſum? de moribus autem ac probitate altum ſilentium? Vereor ut ſatis ex Abrahami ſententia hæc commendatio inſtituta ſit.

BIBL. Forſitan nec fallam, nec fallar, ſi Abrahami ſervum ſcenæ prudenter ſerviiſſe dixero, dum, quod maximi ponderis apud eos noverat fore, argumentum in fronte primaque acie collocat, ut qui neminem ex Bethuelis familia de pietate Abrahami, ne per ſomnium quidem, dubitaſſe unquam, per-

perſuaſiſſimũ habebat. Nec tamen velim cogites commendationem Iſaaci à pietate ac ſingularibus, quæ in illo eminebant, virtutibus fuiſſe omiſſam. quippe enim quæ cohibilius à Moſe narrantur, pro rei dignitate latius diducta fuiſſe mihi certum eſt. Sic itaque ſentio & ſic animum induco meum, Eliezerum non tantum ſolius nativitatis Iſaaci, quem Sara jam actà decurſaq; ætate enixa eſt, mentionem feciſſe, ſed cõmemoraſſe præterea grandes ac præclaras illas Dei promiſſiones, quibus ex Iſaaco, tanquam ſalutis ſeminario, benedictionem omnem veram in poſteros totumq; mundũ promanaturam Dominus prædixerat: quibus promiſſionibus attexitur à Moſe illud omni authoritate majus teſtimonium de Abrahami in erudiendis inſtituendiſque filiis domeſticiſque ſummo atque indefeſſo ſtudio, *ut obſervarent viam Iehovæ, exercendo juſtitiam ac judicium, ut præſtaret Iehova Abrahamo id quod promiſerat ei.* quia autem divinæ benevolentiæ & miſericordiæ quaſi præludium in externo peculio maximiſque Abrahami atque Iſaaci divitiis cernere erat, prudenter non ſolum ſed & piè feciſſe mihi Eliezer videtur, cùm juvenem in ipſo aditu ſtatim à maximis, quas Deus in eum contulerat divitiis, laudavit. Quod quidẽ haud mediocriter puellę animum præparare, tentare & inflectere ſic potuit, ut non invita Iſaaco nuberet, & parentum voluntati morem gereret. Itaq; cum viro magno hanc pulchram & piam ſervi *ſuperbiam* dicere auſim. Syllabum verò bonorum Abrahami hinc faceſſere jubeo. nam ejus hîc nec vola nec veſtigium compareт, ſed tantummodò id agit Moſes, ut innuat Eliezerum ſe geſſiſſe ut fidelẽ omnium bonorum Abrahami curatorem decebat. Eò enim honoris hunc ſervum provectum fuiſſe initio hiſtoriæ docetur.

ARCH. Perplacuit mihi ſemper Moſaica illa narratio, cùm ob antiquitatem, uti jam dixi, tum etiam ob ſin-

ſingularẽ in Nuptiis ambiendis candorem ac nativam ſimplicitatem.

Phil. Numnã tibi multò antiquius videtur Adami & Evæ conjugium?

Arch. Multis ſeculis.

Phil. Noſtin' ergò, quomodo ipſe Deus Nuptias inter eos conciliaverit, Adamum pulchro elegantique Evæ ornatu in amorem ejus inducendo? Sic enim à Judæis accepi, Dominum Deum capillos Evæ cervicibus temporibuſq; dependulos, & cum aura colludentes, placidéque ad ſolem renidentes, ſcitè exornaſſe, cincinnulos divina arte contexuiſſe, atque ita, in Adami conſpectũ producta muliere tam ſcitula, virum bonum amoris nexibus arctiſſimiſque vinculis continuò ei fuiſſe devinctum.

Arch. Ineptię ſunt iſtę, & quidem ab iis confictæ (quantum conjectura aſſequi poſſum) qui in capillitio feminarum potiſſimam pulchritudinis atque elegantiæ partẽ ponunt. Videas enim hodieque puellas matronaſque noſtras in capillis componendis, diſcriminandis, promittendis, criſpandis, torquendis, contortuplicandis, ventilandis nullum ſibi modum ponere; mirificeq; ſibi aliiſque nonnullis in eo placere. Ita nimirum libidinoſiſſimi hominis ipſis arridet ſententia: *Si cujuſlibet eximiæ pulcherrimæque feminæ caput capillo ſpoliaveris, & faciem nativa ſpecie nudaveris; licet illa cœlo dejecta, mari edita, fluctibus educata, licet, inquam, Venus ipſa fuerit; licet omni Gratiarum choro ſtipata, & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo ſuccincta, cinnama fragrans, & balſama rorans, calva proceſſerit, placere non poterit nec Vulcano ſuo. Quid? cum capillis color gratus & nitor ſplendidus illucet, & contra Solis aciem vegetus fulgurat, vel placidus renitet, ac in contrariam gratiam variat aſpectum? & nunc ut aurum coruſcans in levem mollis deprimitur umbram; nunc corvina nigredine cærulos columbarum colli floſculos æmulatur; vel nunc guttis Arabicis obunctus, & pectinis arguti dente diſcriminatus, & pone verſum* coac-

coactus, amatoris oculis occurrens, ad inſtar ſpeculi, reddit imaginem gratiorem? Quid? cùm frequenti ſobole ſpiſſus cumulat verticem, vel prolixa ſerie porrectus dorſa permanat? Tanta *denique eſt capillamenti dignitas, ut, quamvis auro, veſte, gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat; tamen niſi capillum diſtinxerit, ornata non poſſit videri.* Iſthoccine igitur vel ſimili exemplo Deus luxui præiverit in Eva Adamo, quaſi proco ſuo, adornanda, ut amore ejus irretiretur! Apage cum nugis iſtis, fabuliſque anilibus.

POLYT. Quid? quod ſervus ille, nondum compellatis de conjugio ejus parentibus, inaures, armillaſque puellæ donando, animum ejus ineſcare agreſſus eſt. Hoccine tibi probatur? Vereor ut aſſentiaris.

ARCH. Nequaquam id laudo. Sed (ut dicam tamen quod ſentio) videntur mihi dona illa non fuiſſe data ad illiciendum animum ejus in amorem Iſaaci, ſed tanquam à patruo magno miſſa, ut amicitiam & neceſſitudinē, quæ inter eos intercedebat, teſtaretur & coleret. Propterea neque in virginalem modeſtiam hîc peccatum à Rebecca, cum dona ejuſmodi accipere non erubuit. quia de nuptiis nondum coram ipſa agere inceperat Eliezer.

BIBL. Rem acu tetigiſti. nam ipſe textus ſacer id non obſcurè demonſtrat, dum munerum oblationi ſubjungit: *Dixerat enim: Cujus filia es, &c.* unde clarè dilucet de utriuſque Bethuelis & Abrahami familia orationem jam ante cum ea fuiſſe habitam. Etſi enim ſæpè (ut inquit ille) *intret, amicitiæ nomine tectus, amor.* Hoc tamē Eliezerum egiſſe, antequam Rebeccæ parentibus rem omnem aperuerat, mihi non fit veriſimile.

PHIL. Multò ſatius fuerit, longa familiaritate juvenum puellarumq; animos ante Sponſalia coaleſcere. ut enim vel Jove marito digna haberi queat puella, non tamen animum meum ad amorē ejus applicare velim ac poſſim, niſi, longo uſu

atque experientia, mores, ingenium, probitaſque ejus perſpecta mihi fuerint. Ut nunc homines ſumus, à priſtina illa ſimplicitate & candore animi magnum diſcidium fecimus. vix quiſquam eſt qui in primori fronte animum geſtet, & quicum tutò in tenebris mices.

POLYT. Nec adverſabor tuæ ſententiæ, dummodò modum ponere tuæ iſti δοκισοφίᾳ didiceris. Quãquam, ſi variarum gentium mores mente percurrimus, non ipſis juvenibus, ſed eorum parentibus aut publico Magiſtratui, curam Nuptias puellarum ambiendi paſſim incubuiſſe comperiemus. Nec non alicubi hæreditate uxores optigiſſe, litteris conſignatum à fide dignis ſcriptoribus vidi.

PHIL. Enarra, quæſo, iſthæc. Totus jam pendeo ab ore tuo.

POLYT. Apud Moſcovitas inhoneſtum ac turpe eſt adoleſcenti, ambire puellam, ut ſibi in matrimonium locetur; ſed patris eſt juvenem de ducenda filia ſua convenire, atque hiſce propemodum verbis compellare: *Cùm mihi ſit filia, vellem equidem te mihi generum.* Ad quæ tum juvenis, *Si me*, inquit, *expetis generum, & tibi ſic videtur, conveniam parentes meos, & de hac re ad eos referam.* Si ergò parentes & proximi aſſenſi fuerint, conveniunt & de hiſce quæ pater puellæ dare filiæ ſuæ in dotem velit tractant. Mox dote dicta, nuptiis dies præſcribitur. Interea temporis ſponſus ab ædibus ſponſæ uſque adeò arcetur, ut ſi eam tantummodò videndi copiam ſibi dari roget, parentes reſpondere ſoleant: *Cognoſce ex aliis qualis ſit, qui eam norunt.* Atque eam conſuetudinem tantopere fovent ac tuentur, ut, niſi Sponſalia prius maximis pœnis firmata fuerint, ita ut non poſſit ſponſus, etiamſi maximè velit, eam ſine gravi pœna repudiare, nullus ei pateat acceſſus, nullus videndi locus.

PHIL. Ibi ſanè extrema linea amare haud nihil eſt. Feliciores utique Siginno-

rum (quæ gens Perſica eſt) virgines eſſe judico, quæ quemcunq; volunt maritum ſibi eligendi jus habent.

POLYT. Quantum verò id earum Nuptiis obſtaculum poſuiſſe exiſtimabimus, quod non fruerentur illo jure, niſi poſtquam arte currus agere addidicerant? Cui labori ferendo non erant certè teneriores multæ virgunculæ, etſi viro ſuſtinendo jam aptiſſimæ, & plenis nubiles annis. Adeò nihil eſt ab omni parte beatum. Quanquàm (ſi quid hîc meo concedatis arbitrio) id etiam documento virginibus fuit, amatores maritoſq; prudenter habendos ac regendos, juxtà illud Naſonis, *Arte levis currus, arte regendus amor.* Itaque non tam externum corporis laborem, quàm animi virtutẽ puellis ſummopere commendatam exiſtimarim. Id quod Lacedęmonii prudentius effecêre, cũ ἀπροίκους γαμεῖν juſſerunt, ſponſa nullam dotem ad maritum afferente. Illam enim legem Lycurgus tulit, ne vel ob inopiam quædã puellæ manerent innuptæ, vel ſolummodo propter dotem grandem expeterentur, ſed ut quivis, in mores puellæ intuens, virtutem in delectu ſequeretur; quibus rationibus hoc ſuum inſtitutum apud Plutarchum in Apophthegmatibus ipſe ſtatuminat legiſlator. Nec abſimilem in modũ Chinenſium ſponſæ nubunt. Etſi enim eo die quo mariti domũ comigrant multam ſuppellectilem ſecum afferant, tanto apparatu, ut vel vicos oppleat, attamen maritorum ſumptibus ea comparatur, ut qui, longo ante tempore quàm uxorem domum ducunt, pecuniam ſupellectili conquirendæ ſuppeditant. Et quidẽ præclarè cum rebus humanis ageretur, ſi hoc ævo, quo paſſim *veniunt à dote ſagittæ*, id in uſum noſtrum transferretur. Quippe quia id virginibus maximo incitamento fuit ad virtutem, unde ſe ſolum cenſeri atque æſtimari ſciebant. Indorum quoque vetus inſtitutũ fuit, ut femina, quæ ebrium regem

gem occiderat, ſucceſſori ejus nuberet, idque virtutis præmium haberet. Cujus legis non exigua erat efficacia ad odium ebrietatis in omnibus exſuſcitandum. Aſpera autẽ ac prædura ſors fuit puellarum apud Sauromatas & Laxamatas, gentes ipſo penè nominũ ſono duras ac horrendas, quippe quibus viro nubere fas non erat, niſi hoſtium aliquem confeciſſent ac necaſſent. Multò plus ſapiebant Carmani, qui non puellis, ſed juvenibus id oneris imponebant, ut, priuſquam uxorem ducere poſſent, hoſtis caput cervicibus ablatũ ad regem perferrent, qui deinde, calvariâ in regio theſauro repoſitâ, linguam minutatim ſecans, pane permiſcebat, ac deguſtatam ei qui attulerat, nec non familiaribus, comedendam præbebat, ſi Straboni credimus. Strenuiſſimus autem & longè maximus ille habebatur qui plurima capita regi ſuo exhibuiſſet, utpote *Hoſtibus haud tergo, ſed forti pectore notus.* Tapyriorum quoque fortiſſimis præmium virtutis datas feminas memorant.

Bibl. A veritate id quod narras minus laborare credo, quia non abſimilem conſuetudinẽ apud Judæos antiquiſſimo ſeculo primitus invaluiſſe obſervavi. Nam Caleb vincenti Kiriath-Sepher filiam ſuam Achſam, & Saul vaſtum illum gigantem Philiſtæum proſternenti filiam Merob ſe daturos promiſêre victoribuſque dedêre.

Phil. Hoc inſtituto ſapienter admodũ omnes illi fortitudinem tanquam cote in juvenibus acuiſſe mihi videntur. Stimulos namque ſubjiciente, & calcaria addente amore, plurimi etiam ante annos animum virilem geſſêre; dum, niſi hoſte interempto, voti ſe compotes fore deſperabant. Omnia vincit amor, nec quidquam tam arduum quo ille non enitatur, quodque ſuperare neſciat. Experientiam ipſam teſtem advoco. Erat olim in Cypro inſula vir antiqua nobilitate divitiiſque illuſtris, cui ad ſummam felicitatem

ratem nil deerat, prætérquam quod, inter alios liberos forma ingenioque pollentes, filius ei natus erat Cimon, ſtupidus, fungus, ſtipes, & cui anima ſolummodo pro ſale data videbatur. Quippe nec preces parentum, nec amicorum monita & bona verba, nec præceptorum minæ malaque verbera abducere hominem à vitæ ruſticitate ad ſtudia liberaliora honeſtatemq; poterant. Hic ruri potiſſimùm inter agricolas villicoſque patris vitam exigebat, cum ob innatum ei ſolitudinis deſiderium, tum ob voluntatem patris. Evenit ut, cœlo æſtuante, ſub horam meridianam, lucum prædiolo vicinum ingreſſus, ſub umbra arborum non longè a fonte, quieſcentem ſomnoq; obrutam puellam omnibus ſimulacris emendatiorem, oculis notaret; quo ſpectaculo Cimon ſolito magis captus & quaſi fulmine percitus, protinus puellæ inſignem pulchritudinem, cutis candorem, qui Parium marmor exſtinxerat, oculos ſtellis extra lunam fulgentibus clariores menbrorumq; omnium, quæ aſpectui patebant concinnitatem cœpit admirari, ac credere, Dearum aliquam, relicto cœlo, in terrã commigraſſe. Tandemq; apud animum ſuum ſtatuit, nihil unquam emendatius vel cœlum formaſſe, vel ſolum geſtaſſe, vel Solem ſpectaſſe. Paululum verò commoratus, excitam è ſomno puellam, multum mutatus ab illo qui fuerat, modeſtè ſumma cum animi voluptate domum deduxit. Quid fit? Rure abſcedens, ad patrem fratreſque revertitur, aliam agere vitam occipit, &, brutali illa ſtupiditate excuſſa, tanto ardore ac ſtudio incumbit palæſtræ, literis, muſicæ omnique Philoſophiæ, ut ante exactum quadriennium nemo adoleſcentum Cypriorum illi par aut ſecundus eſſet virtute, ſcientia, prudentia, morumq; elegantia; adeò omnes numeros habere unicuique videbatur. Alius adoleſcentulus in Scholis agebat, & in paribus ætati ejus diſci-

diſciplinis laudabili præceptorum ſolertia inſtituebatur, ſed ipſius ingratiis, utpote otii ludique amantiſſimi, donec ad idem in quo degebat oppidum forte fortuna nobilis matrona, cum duabus ex ſe natis virginibus, divertit; &, quia neceſſitudo ei cum illis intercedebat, in diverſorium, ut fit, ad ſalutationis officium properavit. Nec mora, cùm alterius è puellis ſermonibus inhęrere, moxq; eodem illo die eam efflictim amare ac deperire cœpit. Exinde verò ſolùtus ſecuruſq; antea animus variis ſollicitudinibus implicitus fuit. Itaque & alterum diem pari ſtudio apud puellam contrivit. Tertio autem illuceſcente, adeò Favonius ille ventus navem ejus deſeruit fortunaque pollicem vertit, ut diſcedens cum comitatu ſuo matrona vix vivum adoleſcentulum miſerum reliquerit. Neve malorum ejus cumulo aliquid deeſſet, premendus illi erat in corde tantus dolor, qui eò altius penetrabat. Etenim & ſupercilium patris metuebat, & æqualium ludibrio ſe exponere nolebat. Diu intrà ſe collecto conſilio, nihil tam in rem ſuam fore pervidit, quàm ſi ſtudiis gnaviter totuſq; incumberet. ita enim parentem ſecum rediturum in gratiam, nec tantæ diligentiæ in ſtudiis jocum ludumq; ſuum negaturum. Poſt paucarum ergò ſeptimanarum impenſum Muſis tempus, veniam ſe à patre exoraturũ viſendi celebrem in proximo urbem, in qua dilecta ei tantopere puella habitabat. Hæc non perfunctoriè indies agentem conſpicati præceptores & æquales, ſubinde mirari ac quærere, ecquis ſubitus ardor ſcientiæ eum inceſſiſſet, qui paulo ante omnes litteras faſtidioſè damnaverat, Muſarumque nomen ipſum odio habuerat maximo. Quippe enim, cæteris altum dormientibus, dum clarum mane feneſtras feriret, ipſe ante diluculum ad ſtudia ſurgebat, & vix ſæpius juſſus ſecedebat ad ludum. Tandemque, ſumma ſtudiorum dul-

dulcedine percepta, eo provectus eſt, ut litteræ huic non pauca debuerint. Simulque id commodi ex iiſdem hauſit, ut, matureſcente judicio, conceptam ætate nimium juvenili de puella opinionem caſtigaverit ac tantum non deleverit.

POLYT. Amor nullo unquam tempore herbam porrexit, ubique ſemper invictus. Unde ſuperiores fuiſſe eos pro quibus Magnus ille Deus (ut Plato, Orpheus, alii amorem vocant) ſtetit haudquaquam mirandum. Sane cum leone & cum excetra, cum cerva æripide, cum apro Ætolico, cum avibus Stymphalicis & cum Antæo illo deluctari quis mallet, Herculeo more, quã cum Amore. Non fugit id Græcos, quibus amor ἔρως à fortitudine dictus, ut non nemini placet. Quò ſpectat & Lacedæmoniorum mos, Amori ante prælium ſacra facientium, quod eum victoriis præſidere crederent.

BIBL. Verùm enimverò mihi in mentem venit, ab Atalanta multos juvenes curſu, qui olim non poſtrema fortitudinis pars fuit, ſuperatos; unum verò Hippomenem, cui Venus veluti è machina ſubvenit, ſuperaſſe, cœleſti uſum conſilio.

POLYT. Rectè meminiſti. Sed ſic ſtatuendum eſt, Amorem vires ſuas maximè experiri in amantibus imperio ſuo ſubjiciendis, quoque magis pollet iiſdemque dominatur, eò imbecilliores eſſe ad alterutrorum voluntati refragrandum. Unde evinco, etiam dum curſu aut lucta ſuperatur amator ab amata, hanc ab illo amatoria fortitudine ſuperari. Ita ut amor, victus licet in ſpeciem, victor tamen audiat; &, utercunque vicerit, amor in ambobus idem triumphet. Milonem fortiſſimũ athletam tam manu validum Ælianus fuiſſe narrat, ut nemo antagoniſtarum malum aureum, quod tenebat, eripere ei potuerit; Attamen levi mollique brachio ab amica id excuſſum. Sic qui alios omnes quos non amabat viribus anteibat, cum dilecta ſibi puella manum

conferens inferior diſcedebat; Nec minus, vinci ſe ſuſtinendo, quàm vincendo fortis fuit.

Bibl. Te quidem arbitro proci Atalantæ priores omnes ſublimes iviſſent victores, ſi minus currendo, attamen amando longè fortiores. Certè mors pretium tardis non fuiſſet.

Polyt. Indorum juvenes evidentius fortitudinis exemplum præbebant, dum procus cũ rivali lucta & pugnis, cui ceſſura eſſet virgo, decerneret, victorq; ſponſam βραβεῖον abduceret, ſi Alexandro ab Alexandro fides eſt. Unde fortaſſis Belgico noſtro more receptum eſt, ut livorem ei exprobremus qui à virgine repulſam tulit, quaſi in pugna atque cum corrivalibus conflictu victum verberibuſque mitigatum ac probè depexum diceremus.

Bibl. Ut lepidus es! Nunquid verò ibidem legiſti apud Sacas, extimas Scythiæ gentes, moris fuiſſe, ut victus, veluti ignominia deformatus, pudibundus ac mœrens in latebris degeret, & alterius aſpectum, lucemque omnem evitaret?

Polyt. Ita nimirum, gallis gallinaceis de rei ſumma chortiſq; monarchia decertantibus, victum alterutrum vidi multoties latibula pudori ac dedecori decoquendo quærere. Sed enim mitius apud Ialchleuenſes agebatur, ubi non verberibus, ſed verbis certabatur de puella. Nam ſimulac rivales convenerant ad cœnã apud patrem puellæ, quam procabantur, certatim omnes, præſente illa, ſeſe mutuò amarulentis dicteriis proſcindere, ac plauſtra convitiorum eructare occipiebant. Cui autem tum arridebat puella, is eam ſibi uxorẽ abducebat.

Bibl. Rudia utique nec benè morata ſecula deſcribis.

Polyt. Non deſipuerunt omninò Libyes illi, mea quidem ſententia; imò verò non levi ratione ſubnixum illorum hunc morem autumo. Etenim dum ejuſmodi mutuis exprobrationibus aut vita juvenum omnis an-

teacta

teacta detegebatur, veris criminibus ac noxis interdum productis, aut ſaltem procorum ingenia explorabantur, ſocer vel puellæ ſperatæ pater arbitrari inde ac dijudicare poterat, utrum longanimis quis eſſet ac mitis, an verò facile in fermento eſſet atque excandeſceret. Quotuſquiſque enim eſt qui æquo placidoque animo ſe albis dentibus irrideri & ludificatui haberi patiatur, imprimis cum inter convitia identidem ei occinitur: Stabulum nequitiæ, bipedum nequiſſime, Ulyſſis remigium, Acherontis pabulum, carnificinum cribrum, terræ odium, homo murcide, frutex, cruciſale, furcifer, verberabiliſſime, ulmitriba, virgarum laſcivia, ſtigmatia, trium litterarum homo, catenarum colone, ſceleris ſemen, flagitii flagrantia, ſcelerum impuratiſſimum caput, cunctis probris palam note, propudium, ſpintria; & quicquid præterea olim è plauſtro jactatū? Hinc ergò mores indolemque generi futuri pater puellæ non difficulter expiſcari poterat. nam *in poculo, loculo & ira* ingenium cujuſq; pervideri poſſe Judæorum ſapientiſſimi præclarè cenſuerunt.

PHIL. Malim apud Indos, Taxilem urbem habentes, procum agere, ubi non virginibus juvenum, ſed juvenibus virginum optio datur.

POLYT. Quid audio? Non vulgaris es ſpectator formarum; utpote qui formam ac pulchritudinē non à facie ſola æſtimas.

PHIL. Qui ſic?

POLYT. Quia Taxilienſes illæ puellæ, unde eligendi dabatur poteſtas, jam florem ætatis attingentes in forum à parentibus producebantur, qui, tubis veluti claſſicum canentibus, juvenes undique evocabant. Affluente verò magna turba, ſi quis propius cuipiam puellæ acceſſiſſet, ipſa continuo ei partes poſticas humero tenus; mox & anticas curioſo oculo inſpiciendas atque perluſtrandas offerebat, gratias ſuas ea ratione ei probare, nudamque pul-

chritudinem ſuam præbere geſtiens, magis de cutis intacta albedine aut roſeo rubore, quàm de veſtis aureo pictoque colore placitura. Hoc pacto enim ſi juveni placere, eumq; vinculis cupidineis irretire poſſet, eidem nubebat. Deinde non videris mihi obſervaſſe, ſolas virgines pauperculas, quarum parentibus grandi cum dote eas nuptum dare non erat facultas, in publicum ita deductas juvenumq; arbitrio expoſitas fuiſſe.

PHIL. Non iſthæc animo meo obverſabantur, Polytrope. Abſit, abſit à me oculus tam libidinoſus, qui ne vel narrando talia pudor violetur operam dandam eſſe cenſeo. Verùm iſtud duntaxat volebam, felices ac fortunatos eſſe illos quibus tam formoſas quàm dotatas in uxores adſciſcendi ſit poteſtas.

POLYT. Sic ex proprii emolumenti intuitu judicas. Sed ſi bonum Re pub. ſpectaris, aliter ſenties, & Aſſyriorum vetus inſtitutum mecum laudabilius judicabis, quorum virgines viro maturæ, in forum quotannis productæ, præconis voce venibant, viris ac juvenibus pulchras magno pretio ſibi uxores acquirentibus.. Quibus verò Juno Venuſque adeò iniquæ fuerant, ut nullus eas licitaretur, nec vel obolum pro iis offerret, imò ne gratis quidem ducere vellet, iis dos magna conſtituebatur ex pecunia quam pro formoſis viri locupletes dependerant, ut eâ bearentur, qui deformes ſibi uxores peterent. Idq; in hunc modum, ut de illarum ſingulis præco omnes viros alta voce rogaret, Ecquis hanc uxorem ducere vellet, tanta dote accepta? Si nemo pœnitere tanti emeret, doti præco addebat interdum & alterũ tantum, donec aliquis, pretio illectus, ſibi virginem placere exclamaret. Sic pauperes divitibus, divites formoſis uxoribus gaudebant, & utriſque conſulebatur.

PHIL. Formoſæ itaque omnium infortunatiſſimæ fuerunt. nam vix aliter evenire

nire potuit quin multæ illarum ejuſmodi viris divitibus copularentur, qui Therſitæ meri & larvis lemuribuſque aſſimiles eſſent, &, quod gravius eſt, qui cum ſcabie, prurigine, lepra & id genus aliis morbis conflictarentur. Quis autem vel pauperrimus velit filiam ſanam ac vegetam locare homini tam infelici forma ac valetudine? niſi Mezentio crudelior ſit, qui mortua jungebat corpora vivis, componens manibuſque manus, atque oribus ora; neq; enim, ut reor, puellam forma luculenta præditã deformi ac putrido cadaveri junxiſſet.

Polyt. Leges Aſſyriorum connubiales, illud ut ne fieret, quin caverint vix dubito.

Phil. Quid ſi, dote accepta, ſponſus ſponſam deſereret? quod factu facillimum fuit.

Polyt. Dotem accipere, uxoremq; abducere nulli fas erat, niſi fidejuſſoribus vadibuſque datis de *συνοικήσει* ac contubernio uxoris; ſi verò de ea re non conveniebat, lex lata erat, qua aurum illi redhibere cogebatur.

Phil. Laudare Aſſyriorum inſtituta non auſim; quia vagos Babylonicarum puellarum concubitus apud Herodotum lego. nam ſediſſe ſemel in vita ad Veneris, revinctas tempora nodis corolliſque, mulieres omnes memorat; è quibus dum aliæ ſeorſum abibant, aliæ regrederentur. Nam, inquit, diverticula undecunque ſic funiculis diſtincta aditum præbebant exteris ad mulieres illas, ut inde quã vellent deligerent. Atque ubi ſemel illic conſediſſent, non prius domum revertebantur quàm hoſpitum aliquis pecuniam eis in ſinum conjeciſſet, & cum iiſdem à fano ſeorſum abductis rem habuiſſet; quod quibuſdam non ante triennium evenit. Dicere autem ſolemni formula hoſpitem tali feminæ oportebat: Ἐπικαλέω τοι τὴν θεὸν Μύλιτταν. Aſſyrii enim Mylittam Venerem vocant.

Digitized by Google

Polyt. Mulieres audio, non puellas innuptas, quarum pudicitiæ fortaſſis melius conſultum apud Aſſyrios fuit.

Bibl. Mulieres itidem nominat epiſtola, quæ apud Baruch cap. vi. à Jeremia Propheta ad Judæos Babylonem abducendos ſcripta narratur; cujus verborum recens apud me eſt memoria, ut quæ ſepiſſimè expendi, nec ſatis intellexi tamen, ſed quaſi per nebulam. Nunc verò ab Herodoto faculam eis præluceri totus gaudeo.

Polyt. Da nobis igitur verba ipſa, quantum poteſt.

Bibl. Locus planè geminus eſt: *Mulieres autem* (περιθέμεναι σχοινία) *circumdatæ funibus in viis ſedent, ſuccendentes* (τὰ πίτυρα) *furfures. Cùm autem aliqua ex ipſis attracta ab aliquo tranſeuntium dormierit cum illo, proximæ ſuæ exprobrat, quod non ſit digna habita ſicuti ipſa,* (οὐδὲ τὸ σχοινίον αὐτῆς διεῤῥάγη) *neque funis ejus ſit diruptus*. Ex quorum collatione cum Herodoti verbis cuivis claret, Lyranum deliraſſe, cum mulieres illas, tanquam magni alicujus criminis affines, illius expiandi cauſſa, funibus ligatas in viis conſediſſe, exiſtimavit. Per τὰ σχοινία autem non gemmatæ, aureæ aut argenteæ Zonæ, ſed viles è ſparto aut juncis, quæ vulgaribus ac ſervilibus feminis conveniebant, intelligendæ ſunt. Fidem facit Eſaiæ Græcus textus cap. 3. ubi cùm Deus filiabus Zionis ſervitutem minatur, ſic inquit: καὶ ἀντὶ ζώνης σχοινίῳ ζώσῃ. non pretioſo atque eleganti cingulo, quod ingenuas decebat, ſed vili junceo funiculo ſuccingendas prædicens. Adhæc inde colligere eſt, meretricium exercentes in viis & compitis amatores præſtolatas fuiſſe; quemadmodum etiam ex Ezech. cap. 16. & Salomonis Eccleſ. cap. 7. liquidum eſt.

Polyt. De σχοινίοις aliter ut ſentiam facit ipſe Herodotus, qui etiam mulieres divitiis tumentes, & vehiculis cameratis vectas

ante

ante Veneris Ædem conſtitiſſe, relicta à tergo magna famulitii turba, refert. Unde potius in Veneris honorē juncea vincula, tanquam ei accepta, ſibi circumdediſſe ſtatuo, & Venerem Schœnida dictam inde fuiſſe; uti & Schœniculas meretrices lego apud Feſtum, licet ipſe à *Schœno* viliſſimo unguenti genere, quo utebantur, dictas putet. Niſi quis malit per τὰ σχοινία intelligere coronas ſertaſque è floribus contextas & juncorum nodis conſtrictas ac colligatas. Illud enim Herodotum innuere per ϛέφανον θωμίγγος exiſtimare licet. Hebræi namque funiculi vocabulo quicquid intextum implicatumq; eſt indigitant. Certè coronatas amantes feminas haud mirum, cùm antiquitus amantes quaſi vincti haberentur, auctore Athenæo, hodieque etiamnum uſitatum ſit, ut adoleſcentes ac virgines noſtrates gramina juncoſq; nectentes de amoribus ſuis omina capiant.

Atque hinc etiam lucem accipiunt quæ ſequuntur de exprobratione ejus cum qua hoſpes coierat, quæ vicinæ contemptim objiciebat, ſe ei prælatam ac potiorem habitam. Id enim ſibi volunt verba illa epiſtolæ, ὅτι τὸ σχοινίον αὐτῆς ȣ̓ διεῤῥάγη. Nam ſi de Zona id accipias, *Zonam ſolvere* ſignificabit conſueſcere & coire, ut notum omnibus, præter eos qui nihil ſciunt; Si verò de corollis interpreteris, demptas ſibi depoſitaſque eas, tanquam illecebras amatorias, ab illis quæ voti compotes factæ erant aliis feminis objectas cur mirabimur? quia, cùm ab hoſpitibus, aliis omiſſis, ipſæ, tanquam gratioſiores amabiloreſque, electæ & cum iiſdem in Venerem mixtæ fuiſſent, jam, inſignibus illis Venereis valere juſſis, diſcedebant, dum reliquæ inibi deſidere ac commorari, donec amator iis obtingeret, cogerentur. Id ipſum itaque exprobratum remanentibus arbitror. Nec tamen

men adverſabor, ſi quis mulieres, corollis cinctas, inter amplexus, capitumque colliſiones, ſerta rupta, turbataſque coronas ſibi plauſiſſe, vicinæ verò exprobraſſe cõtenderit. Frequens enim eſt apud Poëtas, Vexatas comas & capillos turbatos tanquam Venerarum blanditiarum & nequitiarum argumentum poni.

Bibl. Siccine juventutem noſtram traducis & tantumnon magiæ arceſſis? quaſi verò illa quicquam de amatoriis incantationibus veterum Ethnicorum inaudiverit. Attamen elegans atque erudita conjectura tua me ad inveſtigandum loci obſcuriſſimi ex epiſtola illa ſuprà laudata ſenſum manuducit. Oedipo conjectore, aut Apolline divinatore indigere verba iſthæc ſemper hactenus mihi viſum fuit. Tu verò quaſi *Oriente plenus* (ut ſacri Vatis Eſaiæ cap. 2. comm. 6. verbis utar) amatoria veneficia inibi latentia eruiſſe videris.

Polyt. Ita occultè ſerpere ſolet ſuperſtitio, ut vel neſcientibus nihilque de eâ cogitantibus obrepat. Cæterùm in ſacris amantium magicis vincula necti & licia hominibus circumdari olim ſolita indubium eſt. Sic tamen ut vincula nodoſque necteret qui ſe aut alios in amoris Labyrinthum vellet inducere; ſolveret autem qui ſe expedire diſcuperet. Dido enim ut ſe amoris vinculis exſolveret, ut eſt apud Poëtam, *Unum exuta pedem vinclis, in veſte recincta Teſtatur moritura Deos*. Ita tribus liciis, triplici colore diſtinctis, imaginem Daphnidis idem implicari facit Ecloga VIII. ac deinde ternos quoque colores tribus nodis necti, quo Daphnis amoribus implicaretur. Quibus Petronius accedit, *Illa*, inquiens, *de ſinu licium protulit varii coloris filis intortum, cervicemque vinxit meam*. Alii etiam plurimi veterum hiſce ſuccenturiantur. Itaque ut hinc lucem loco iſti tuo affundam, non à ſcopo forſitan aberraverim, ſi dixero, mulieres illas omnia amatoria veneficia tentaſſe, ut hoſpi-

tes

tes tranſeuntes in ſui amorem pertraherent. Funibus enim vinculiſque conſtrictæ Babylonicæ feminæ profeſſæ ſunt, ſe amoribus hoſpitum devinctas, ac pariter amoribus eoſdem implicitos velle. Atque huc eundem ſcriptorem collimaſſe jurare auſim, cum τὰ πίτυρα huic fini oblata quoque narrat. nam *furfures* intelligo, quos olim inter philtra incenſos fuiſſe reperio, cum apprecatione, ut ſimiliter amati oſſa ac medullæ amoris igne flagrarent. Verbis fidem adſtruet Theocritus Idyll. 2. ubi Simætham, quæ in Delphidem deperibat, &, ut eo frueretur, ipſum Acheronta movere carminibus arteque magica non dubitabat, ita loquentem inducit: Νῦν θυσῶ τὰ πίτυρα. *Nunc furfures ſacrificabo.* Quin imò noſtra hac ætate, ubi de magia quæſtio fuit habita, veneficas etiam furfures inter philtra ſua confeſſas, à viris multis fide digniſſimis accepi.

Bibl. Neſcis, Polytrope, quantam ex ſermone tuo voluptatem capiam. Mulſa loqueris. Nam, ut alia omittam, video quoque adoleſcentes noſtros liciis faſciiſq; varii coloris manus aut caput ſibi vincire, ut ſe puellæ (cui malè pertinaci id ſpolium eripuerunt) devinctos amoribus teſtentur. Hoc autem, ut ex te audio, antiquitatem redolet.

Polyt. Sic ſentio. Quoniam autem de magia amatoria nobis ſermo eſt, non poſſum ſilentio involvere ſuperſtitioſum illũ morem explorandi mutuum amorem papaveris folio, quod τηλέφιλον, quaſi δηλέφιλον, à demonſtratione amoris dictum fuit, & de quo præter Pollucem lib. 9. paſtor agit apud Theocritum Idyll. 3. cùm ait:

Ἔγνων πρᾶν ὄκα μευ μεμναμένῳ εἰ φιλέεις με,
Οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτεμάξατο τὸ πλατάγημα,
Ἀλλ᾽ ἄυτως ἁπαλῷ ποτὶ πάχεϊ ἐξεμαράνθη.

 Intel-

Intellexi nuper, cum quærerem, an me amares,
Telephilum alliſum non edidit ſonum,
Sed fruſtrà in tenero cubito exaruit.

Nam (ut Scholiaſtes ibi annotavit) amatores papaveris folium, brachio, humero, manuſve carpo impoſitum, percutiebant, &, ſi ſonum ederet, redamari ſeſe credebant, & de futuris Nuptiis benè ominabantur; ſin minus, odio ſe haberi inde colligebant. Interdum coloris ex percuſſione cutẽ tingentis experimentũ capiebant. Etenim ſi rubicundum duntaxat inde colorem cutis traheret, quem roſeum appellabant, ab amatis redamari eos indicium faciebat; Si verò cutem inflammari atq; exulcerari contingeret, contemni ſe odioque eſſe exiſtimabant. Sed, mi Bibliace, jam dudum ex te cognoſcere cupio, quid de quorundam malè feriatorum hominum ſentias maleficio, quod *ligamentum* vocant, quodque interdum, ne ſponſus cum ſponſa conſueſcere poſſit, impedit.

Bibl. Nonnunquam id audivi dicieri; ſed fidem dictis abrogavi ſemper, ut quæ mihi erant duntaxat ϑρίων ψόφος. Nec quid iſtud cantaminis ſit adhuc ſatis percipio.

Polyt. Solent iſtius farinæ homines, ad certa verba, dum ſponſi conjugio à Presbytero initiantur, funiculum ſive ligulam, ut fertur, nodo conſtringere. Inde autem fœcundi corporis ignis conſopitus jacet, & inguina mille jam mortibus frigida ac funerata ſentiuntur.

Carmine læſa Ceres ſteriles vaneſcit in herbas,
Deficiunt læſi carmine fontis aquæ.
Ilicibus glandes, cantataque vitibus uva
Decidit; & nullo poma movente fluunt.
Quid vetat & nervos magicas torpere per artes?

Hinc apud Petronium Arbitrum anus cuidam ad Venerem impotenti ait: *Quæ ſtriges comederunt nervos tuos,*

aut

aut quod purgamentum nocte calcaſti in trivio, aut cadaver? De ligamine autem evidentius Herodotus lib. 2. ubi Amaſis rex, ne cum uxore Laodice conſueſceret, devinctus fuiſſe dicitur; qui eam iccircò incantamenti arguit, ac mala morte ei pereundum minatus eſt: Ω γύναι, inquiens, κατά με ἐφάρμαξας. Apulejus de virtutibus herbarum cap. VII. huc facit, cum ait: *Si quis devotus, defixuſq; fuerit, ſic eum reſolves: Herbæ Leontopodii frutices ſine radicibus coquito ex aqua, Luna decreſcente; lavato eum & te qui facis ante limen extra domum prima nocte, & herbam incende ariſtolochiam & eum ſuffumigato, & redite ad domũ, & ne poſt vos reſpiciatis, reſolviſti eum.* Et cap. LXXXV. *ſi quis malevolus devotaverit hominẽ, herbæ aſparagi agreſtis radice ſicca cum aqua fontana deluſtrabis eum, & ſolutus erit.* Ubi reſolutionis ligamentorum hujuſmodi mentionem fieri audis, quę Plato καταδέσεις, & Tertullianus *magicas devinctiones* vocat. Nec ſilentio involvit hoc veneficiũ Seneca in Hercule Oetæo Act. 2.

—— artibus magicis ferè, inquiens,
Conjugia nuptæ, precibus admiſſis, ligant.

Propertius etiam eodẽ hoc ipſo præpeditum ſe conqueri videtur, nè cum amica Venerem perageret. Atque ita Honorius, cui filia Stiliconis nupſerat, & Theodoricus Galliarum rex, ne uxorum conſuetudine fruerentur, ligati inhibitique ſunt. Petrus Lindebergius, in Hiſtorica narratione rerum in Europa geſtarum, refert, anno CIↃ IↃ XC. magum ſive præſtigiatorem quendam in oppidulo Bopper, tria millia paſſuum Colonia diſtante, ſub Comite Warnero à Rifferſcheyd, ſupplicio affectum, qui, præterquam quod ſegetem transferret, aerem fulminibus ac tempeſtatibus turbaret, & ſeſe, quoties id animo ejus libitum erat, ex homine in lupum converteret, etiam *maribus virile robur adimere poterat.* Ex variorum ſcriptorum haud vulgarium relatu

hoc adjungere etiam lubet exemplum Comitis Argentoratenſis, cui, poſt trium annorum καλάδεσιν, contigit peregrinari, & convenire feminam, quicum ſcortari olim cunſueverat. Illa, ſalutandi officiis utrimque peractis, cœpit rogitare, ſatiſne ſalvæ eſſent res ejus; annuente autem Comite, & fortunas ſuas dilaudante, iraſci ipſa & excandeſcere, iterumque quærere, num liberos ex uxore ſuſtuliſſet. Affirmavit denuò Comes, & triennio trium liberorum patrẽ ſe factum dixit. Cùm autem ex illo reſponſo magis ira incenderetur mulier, & vultu excandeſcentiam profiteretur; Quid, ajebat Comes, animo percelleris? an mihi invides fortunas meas? Neutiquam, inquiebat femina, ſed vetulæ iſti ſuccenſeo, quæ ſe gloriabatur artibus ſuis τεκνοποιίαν in te impedire poſſe; Neve nugari me exiſtimes, argumento ſit olla in fundo putei arcis tuæ collocata, in qua inſtrumenta artis ejus magicæ recondita latent; atque id nunc lætor, vana illa & inania fuiſſe, nihilque tibi nocuiſſe. Reſponſum id Comiti perplacuit, qui, reverſus in patriam, puteum repurgavit, ollam invenit, magica ſigna & inſtrumenta igne combuſſit, atque ita veneficio liberatus, exinde conjuge ſua abſque impedimento uſus fuit. Propterea ergò cautum quoq; legibus eſt, ut ad aliud matrimonium tranſire poſſint, qui totos tres annos hoc maleficio devincti fuerint.

PHIL. In Vaſconia admodum frequentẽ eſſe hanc magiam viri fide digniſſimi teſtantur. Gallis etiam familiariſſimam eſſe ſcribit Arniſæus lib. de jure Connubiorum cap. 6. Adeò ut ſponſi, ne ab incantatoribus ejuſmodi clara luce conſpiciantur metuentes, nocturnis Miſſis matrimonio copulentur. Adhæc Cælius Calcagninus, *præcationibus quibuſdam Venerem inhiberi, etiam hodie conſtare* ſcribit.

BIBL. Nubem teſtium advocaſtis, qui, ut deinceps

pro

pro vobis ſtare audeam; efficiunt. Satis autem mirari nequeo hominum deploratam malitiam, qui ejuſmodi offuciis ſe mutuo divexare gaudent. Nam, ut Tiberii verbum hîc uſurpem, *dandi vitæ uſus, cui vita conceditur*. Quid autem vita, niſi in poſteris continuetur? Maximam utique hanc in Deum impietatem eſſe cenſeo, cujus mandatum creſcẽdi prolemq́; numeroſam progignendi hoc aſtu diabolico vilipenditur. Unde, ſi quis tales, plus quàm Titanico auſu, θεομαχεῖν dixerit, eum à veritate non aberraſſe lubens affirmavero. Qui ſeparant quæ Deus conjunxit, ne æternùm à Deo ſeparentur, ipſi viderint. Qui nodos ejuſmodi vinculaque, conjugio inimica, nectunt, ſe Deo ipſius conjugii autori illudere, eique exoſos eſſe norint; neve æternis tenebrarum vinculis conſtringantur metuant. Næ illos humani generis totius adverſarios naturæq́; inimicos eſſe autumo, & peccatorum clamantium reos, idque non uno modo. Nam primùm tales ſeſe homicidii crimine involvunt, dum conjuges nonnullos, irritis conatibus, occulto æſtu ſenſim emori cogunt, quos equis præſepi alligatis & capiſtratis quidam merito comparavit, qui, quòd fœno avenaque copioſe objecta veſci nequeant, cùm maximè velint, tandem miſerrimè intereunt. Sic Tantalus, inferorum ſuppliciis mancipatus & (ut eſt in fabulis) ore tenus licet aquis immerſus, quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat. Propterea ſi unum homicidium tam grave ſcelus eſt, nonne duplex ac lentum gravius ſtatuendum? Inſuper illud homicidio æquiparandum quis ambigat, ubi, qui naſci poſſent, ut ne naſcerentur, crudeliſſimis καταδέσεων nodis, quaſi in ipſo ſemine, ſuffocantur? Etenim damna data non tantũ è rerum præſentium, ſed & poſſibilium atque apparentium, corruptione ab æquis æſtimatoribus ac judicibus cenſentur. Quicun-

que

que agricolę meſſem in herba veneficio decoxit, arboreſque, quæ vixdum in flores ſe induerant, perdidit, annon ipſam meſſem fructuſq; autumnales corrupiſſe exiſtimabitur? Perruptis maceria ac ſepibus, ſi cujuſpiam equus aut bos vitem germinantem, vel ſegetem alterius pullulantem, conculcaverit, nunquid læſæ quaſi totius vindemiæ ac meſſis damna repetentur? Nō enim ſolummodo quod erat, ſed quod, niſi obex ab alio fuiſſet poſitus, futurum erat attenditur. Nuper incidi in ſcriptorem non incelebrem qui uſque adeò in flagitium hoc invehitur, ut ſe neſcire dicat, annon pejus multo ſit aliquē ne unquam naſcatur & ſit impedire, an, cùm jam ſit, facere, ne diutius in vivis ſit, cùm vulgare homicidium tantummodò natura ſua hanc vitam auferat, beata tamen frui permittat; maleficus verò & Satanicus iſte nodus, non modò ad præſentem hanc vitam, ſed nec ad æternam quoque illam admittat, prohibens & naſci & renaſci ad ſpem vivam immortalitatis. Quin etiam magiæ ſcelus in ſe concipiunt tales vibices hominum, dum, diaboli auxilio cæremoniiſque, pactum cum impuriſſimo illo Spiritu teſtantibus, uti non vereantur, ut conjuges ſperata diu voluptate defraudentur, nec dulces natos, Veneris nec præmia norint. Et ceſſant adhuc Magiſtratus in eos omnia exempla edere, quibus vix ſatis ad pœnas Tartarus unus erit!

POLYT. Ædepol, quàm elegantiſſimè pro conjugali illa legitimaque, immò imperata etiam, voluptate verba facis. Sed cur huic ſceleri nullæ à legiſlatoribus pœnę conſtitutæ ſunt, ſi tam vetus eſt ac pertinax?

BIBL. Rariſſimi priſco ævo hoc crimine ſeſe involvebant; unde tacere id potius quàm vetando rem abſtruſam veluti docere, & libidinem ſciendi ac tentandi proritare voluerunt. Quę-dam enim edicendo dicuntur nimis, & docentur propemodum, atque, dum prohiben-

hibentur, provocantur. quæ propterea tacita haberi ſatius eſt. Verùm è diverticulo nunc in viam redeamus. Affirmaſti, opinor, parentibus ut plurimum incubuiſſe curâ liberis ſuis conjuges quærendi. Nunc quid alibi à variis gentibus factitatum ſit, ut nobis exponas avidè expectamus. Ut enim huc uſque te præbuiſti, jucundiſſima rerum abſtruſarum varietate orationem tuam adornando, unus omnis antiquitatis indagator ſagaciſſimus audire mereris.

Polyt. Acerbi mehercle ac duri eſtis creditores. vix debere incepi, & jam flagitatis. Sed lentum tardumque nomen non ero. quamquam in longum ſermonem vocor. Sic autem de me exiſtimes velim, Bibliace, me laudibus illis, quas effuſa manu mihi dilargiris, non incitari, ſed inhiberi. Neque enim capior ejuſmodi poppyſmis. At, en obſecro, ἀλώπηξ ἐ λαλεῖ. te volo, Philiſtor, qui, ſemper auditor tantùm, nunquam aliquid reponis, etſi in antiquitatis ſtudio nulli concedas.

Phil. Nè me planè immunem eſſe velle conquereris, pro ſymbola habeto vetus Suecorum inſtitutum, apud quos conjugia tam pudica & ſancta erant, ut virgines cuiquã ſine conſenſu parentum aut tutorum ambire, vel ipſi quoq; tutori pupillam ſuam deſponſare alicui impunè haud liceret, niſi duobus, ex intimis ſponſæ amicis, totidemque ſponſi, teſtibus præſentibus; mulctâ quoque gravi conſtitutâ, ſi quis ſecus feciſſet. Virgine autem ſic deſponſa, ſi tutores impedimentum non ſatis legitimum ſponſo objicerent, quo minus eam ducere poſſet, jus faſque erat ſponſo vi negatam vi repetitum ire, imò vel fores effringendo, ſi aliter non liceret, eam abducere. uſque adeò ut, ſi quiſquam reſiſtendo aut interficeretur aut vulneraretur, nulla eos qui id perpetraverant pœna maneret. At verò, ubi eorum quiſpiam, qui, ut ſponſam abducerent

cerent legitimoque ſponſo reſtituerent, nervos ſuos intenderant, vulneraretur aut interficeretur, graviſſimè in homicidas animadvertebatur. Sed linguæ jam tempero, ne te currentem in medio ſtadio morer. Nemo enim te uno facilius ac laudabilius hanc provinciam ſuſtineat, ut qui multarum civitatum obitu, & variorum populorum cognitu, ſummę prudentię virtutumque laudẽ longè maximam conſecutus es. Ita namque priſcæ Poëticæ apud Grajos divinus autor me ſentire jubet.

Polyt. Benè factum, quod ſilentium rupiſti; ſed quod ita me immerentem laudibus oneraſti factũ nollem. In ruborem me dediſti, mi Philiſtor. Pergam nihilominus, ut ne, poſtquam è carceribus emiſſus ſum, nimium tardus metam attingam. Tartarorum Satrapæ maribus ac feminis ex volgo tempus quoddam præſtituunt, intrà quod niſi connubio jungantur, in cœnobio reliquum vitæ exigere coguntur. Quibus ergò conjugium placet, ii omnes, nullo ſexus diſcrimine, turmatim ad quandam provinciæ ſuæ urbem confluunt. Ibi coràm Provincialibus duodecim, quibus id à Rege demandatum, ſeſe ſiſtunt, nomenq; ſuum profitentur, quod deinde albo cuidam inſcribitur. Statum iidem fortunamq; ſingulorum inquirunt, &, quam dotem adoleſcentes ſponſis ſuis dare queant, rimantur diligentius. Singulorum nominibus in album relatis, numerus utriuſque ſexus inveſtigatur, atque ex illo qui numero vincit, quidam (quibus ſors ducta minus æqua fuit) domum relegantur, ut in annum uſque proximum conjugio abſtineant. Sex deinde Provinciales virorum tres ordines conſtituunt, quorum primus pluſculum nummatos, nulla generis aut formæ ac venuſtatis ratione habita, complectitur; alter ex mediocris fortunæ viris conſtat; tertium pauperes conſtituunt. Tum verò feminas alii ſex Provinciales

ciales pari ratione in tres claſſes diſpeſcunt, quarum primam formoſæ, alteram mediocres, tertiam deformes efficiunt. Quibus ita in ordinē redactis liberali forma feminas viris ditioribus (uti etiā apud Aſſyrios factitatum eſſe modò dicebamus) in matrimonium dant, pecunia ab iis exactâ, quam leges imperarunt. Mediocris formæ mulieres ac puellæ viris minus locupletibus obtingunt. At verò viris pauperibus deformes nubunt, quibus pecuniam, à divitibus exactam, Provinciales elargiuntur. Denique epulę inſtruuntur in ædibus à Rege ad id conſtitutiś, in quibus plurimi lecti ſtrati cæteraque ſupellex neſſaria inveniuntur, quibus novos conjuges diebus quinquaginta uti fas eſt. Iis autem elapſis ſuam quiſq; domum cum uxore revertitur. Apud Samnites etiā publica quotannis de futuris conjugibus habebantur comitia, & quoſnam adoleſcentes aut virgines conjugio dignos judicaret, magiſtratus pronunciabat. Qui enim inter juvenes integritate vitæ ac dignatione cæteris omnibus antiſtabat, funemque ducebat, ei ex virginibus, quam vellet, uxorem eligendi dabatur poteſtas. Huic qui ſecundus erat alteram, tertius tertiam, & ſic deinceps, ducebat. Nec tamen plura quam decem conjugia annuatim coibant.

PHIL. Maximum id ad virtutem incentivum fuit.

POLYT. Magis iſtud dicas, ubi pœnam quoq; conſideraveris, qua plectebantur qui, à bono vitæ inſtituto deflectentes, conjugio ſeſe indignos præbebant. Etenim, per ignominiam, uxores iis adimebantur, aliiſque locabantur.

PHIL. Ergò, ut audio, Samnitium conjugia ab alternis rixis, convitiis, odiis non infeſtabantur; ſed ſicuti Judæi uxoribus, in quas odium conceperant, repudium mittere ſolebant, ita publico Magiſtratus judicio matrimonia ſolvebantur. Attamen quod tā pauci quotannis copularentur conjuges,

ges, in eo prudentiam eorum requirerem.

POLYT. Tametſi proletarii, qui numeroſæ proli progignendæ operam dabant, magnificentiæ potentiæque Romanæ tibicines fuerint, inq; iis non poſtremum Reipub. robur collocatum ſit; nihilominus virtutis ſtudio hos ab illis ſuperatos fuiſſe inde cuivis clarè dilucet, quod, quò pauciores matrimonio digni ex virtute dijudicabantur, eò impenſiori ſtudio omnes ad virtutum faſtigium eniterentur, ut, inter paucà nomina, vel tandem ſua quoque agnoſcerent, conjugemque adipiſcerentur. Ad quorum exemplum ſi omnes, quà publicè, quà privatim, in liberorum ἐκδόσει ſe componerent, æquabilius ſeſe res humanæ haberent.

PHIL. Sub Jove nondum barbato id obtinuit fortaſſis, at nunc mos ille mutavit, quem optare magis quàm ſperare licet. In ea enim nati ſumus tempora, quibus priſci integrique moris vix tenuia atque obſcura veſtigia remanſerunt.

POLYT. At ſi quis ab omni procandi deſponſandique moleſtia abhorreat, eum Lacedæmonios imitari per me licet, quorum aliquot adoleſcentes cum totidem puellis in obſcuro loco concluſi, eam quam ſinguli fortuitò nanciſcebantur domũ abducebant; nec ullus deinceps pœnitentiæ erat locus. Atque eam ob rem mulctam Lyſandro dixerunt Ephori, quod, ſpretà ea quæ hoc pacto ei obtigerat, uxore, factoque divortio, formoſiorem ducere tentaſſet. Cui quidẽ conſuetudini geminus eſt mos ille apud Dapſolibyes uſurpatus, de quibus Damaſceni ipſiſſima verba, è Græcis Latina facta, ut potero, producam: *Dapſolibyes*, inquit, *ſimul atque in unum convenêre, univerſi ſimul nuptias contrahunt uno die, poſt occaſum Pleiadum. Et, poſtquam convivati ſunt, ad mulieres, quæ ſeorſim accumbunt, luminibus extinctis, intrant, quamq; earũ fortè quiſpiam nactus fuerit, eam & uxorem ducit.*

PHIL. Quid audio?

Polyt. Id, quod egomet ſæpè miratus ſum. Niſi illud ipſis in mente fuit, quod Ovidius memorat,

Nocte latent mendæ, vitioque ignoſcitur omni,
Horaque formoſam quamlibet illa facit.

Etſi à prudentioribus vel furtim, vel per ſpeculatorem aliquem formoſiſſimarum locum fuiſſe antea notatum exiſtimem, nec, Andabatarum more, cæcos & in tenebris fuiſſe luctatos. Id enim fuiſſet cæcæ fortunæ, in graviſſimo negotio, arbitrium in ſolidum transſcribere, quod nonneminem feciſſe, & nonnemini peſſimè cecidiſſe novi.

Phil. Adeonè obbrutuiſſe quemquam, ut, hominem ſe eſſe oblitus, ferarum more obviam quamque amplecteretur! Quid autem tricaris? exempla, ſi noſti, profer, quæſo.

Polyt. Quidam ex hoc hominum genere, qui conſilio non multũ credendum putant, ideò quia ſuam quoque habet fortuna rationẽ, nimirum Thraſibulus Curſenerus Rubeacenſis, poſt primæ uxoris obitum, ducturus alteram, rus abiens, Deumque precatus, ut iter ſuum fortunaret, primam quam habiturus eſſet obviam ſe ducturum, dummodò per illam liceret, apud animum ſuum ſtatuit. Incidit autem in virginem pannos lavantem, eamque eo ipſo in loco de conjugio interpellans, conſenſu fratris Joh. Friſii, qui Tigurino Gymnaſio præfuit, in uxorem bonus bonam duxit. Simile huic, ſed cum diſpari tamen ſucceſſu atque eventu, Petri Keſſleri Baſileenſis Preſbyteri conjugium fuit, qui, cùm uxorem ducturus eſſet, poſt ardentes preces, quibus Deum (ut Tragici Poëtæ verbum uſurpem) adierat, ad D. Petri ſe contulit, ſic animatus, ut primò occurrentem, ſi modò conſentientem haberet, uxorem ducere ſtaret ſententia. Nec mora; ad cœmiterium perveniens, reperit feminam pauperculam, pannis obſitam, ſtipemque ſubmiſſè à prætereuntibus petentem.

Tactus itaque religione, ni mavis ſuperſtitione, de conjugio cum ea ipſa agit, animique propoſitum aperit. Illa ubi rem ſeriam eſſe vidit, in manum convenit, & tam facili aucta matrimonio dictu mirum quàm inhumaniter, ſuperbè, duriter ac inclementer virum bonum habuerit. Quòd ſi deſidioſo proco neque hoc allubeſcat (nam plurimis id non probatum iri ſat ſcio) Thracum conſuetudinem laudet, apud quos hæreditate uxores acquirebantur. Cùm enim tres quatuorve uxores ducere ſoleant, marito aliquo defuncto, hæredes unà cùm reliqua hæreditate uxores quoq; adeunt, ut Heraclides Ponticus autor eſt. Atque ita multi multis apud eos uxoribus liberiſq; ἀνιδρωſὶ augebantur.

Bibl. Narrationem hanc poſtremã de Thracum gente vix exorſus eras, cùm mihi in mentem fuit illud Regium ſapientiſſimi Salomonis effatum, à parentibus donum ac hæreditatem, à Jehova verò uxorem ſapientem proficiſci dicentis. Ita enim mecum cogitabam, vel neſciviſſe iſtuc tamen fieri, aut futurum eſſe alicubi, ut uxores hæreditario jure quibuſdam obtingerent, vel potiſſimũ ac ſingulari quodam modo Deum conjugia moderari, indicaviſſe.

Polyt. Utut mos unius aut alterius gentis adverſari videatur, tamen proverbium illud omni ſeculo inconcuſſum manere tecum ſentio. Ideòque nec à Chinenſium populo ei metuendum, quorũ Rex poſtquàm uxorẽ ſibi adſcivit, triginta inſuper concubinas è ſpectatiſſimis regni ſui deligit, quæ in Palatio aſſervantur. Simulac verò is ſupremum diem obiit ſucceſſor ejus triginta illas concubinas, pretioſiſſimis veſtibus ornatas, totidem viris nobilibus, qui regis teſtamento earum hæredes ſcripti ſunt, deſponſat, donaq; anniverſaria ad uſus neceſſarios abundè ſuppeditat.

Bibl. O infinitam odiorum, litium, cædiumque materiem! O belli inteſtini

ſuſci-

ſuſcitabulum! Quiſquamnè dubitabit, quin in eligendo priores quiſque partes ſibi deberi acerrimè contenderit, &, poſtquam verbis fruſtra rem expertus fuit, ad arma convolarit? non te fugit, opinor, illud Alexandri Macedonis, qui, cùm apud Homerum legeret, Græcorum exercitum è novem ducibus, qui omnes cum Hectore committi optabant, votis ad Jovem conceptis (poſtquam unum deligi placuiſſet) vel Ajacem, vel Tydei filium, aut ipſum Agamemnonem regem exoptaſſe, Occidiſſem, inquiebat, illum, qui me nominaſſet tertium. Nempe igitur inter novem nominari tertius recuſabat; ubi tamen pluribus antecelleret, quàm ſubeſſet. Quantam ergò animi indignationē concepiſſe exiſtimabimus eum, qui viceſimum aut poſteriorem in electione locum tenuit?

Polyt. Erras, Bibliacè. nam concubinæ illæ in cubiculo admodum luculento, capitibus opertis, ut pulchritudinē formamq; oſtentare nequeant, collocantur, hæredeſq; ſinguli, eo, quem rex inſtituit, ordine, diſpoſiti, ex adverſo gradum propius conferunt, & quā quiſque manu prehendit domum ducit, uxoremque habet. Majus verò periculum erat à litibus jurgiiſq; apud Britannos, nec non Arabes Nabathæos, de quibus Julius Cæſar Comment. lib. 5. aliiq; teſtantur, denos olim duodenoſq; unam duntaxat uxorem communem habuiſſe.

Phil. Neſcis verò quid fecerint hujus mali vitandi cauſſa?

Polyt. Non commemini me id legere. Tu, ſi grave non eſt, nobiſcum illud cummunica.

Phil. Omnibus cognatis ac conſanguineis uxorem unam tantummodo fuiſſe, ex docti ſcriptoris lectione habeo. Sed per vices ſuo quiſq; ordine admittebatur, qui, ingreſſurus ad eam, baculum pro foribus ponebat, ne alter aut tertius ſuperveniret, ſed eo conſpecto, dum viam ad eam affectabat, ve-

ſtigia retrò legeret. Atque hinc in memoriam redeo hiſtoriæ non illepidæ. Regis Arabis filia & quindecim fratrum ſoror, qui omnes ob ſingularem venuſtatem miſerè eam deperibant, cùm alius poſt aliū continuò cum ea conſueſceret, defeſſa jam atque pertæſa tantæ incontinentiæ, rem hujuſmodi machinatur. Baculos facit illorum baculis quàm ſimillimos, & modò hunc modò illum ad fores collocat, nequis ingrederetur. Cùm verò omnes fratres aliquando in foro unà eſſent, diſcedens ex iis unus vidit nihilominus baculum ante ædes ſororis, atque in ſuſpicionem venit, adulterum apud ſororem latere. Nam quia fratres omnes in foro reliquerat, neminem illorum ædes intraſſe compertum habebat. Itaque miratus rem, & pendens animi, patrem accerſit; &, ut res erat, ingenioſo commento omnes ſeſe falſos eſſe experti ſunt.

POLYT. Mel ac delicias hominis! Tibi lampada dicendi tradere lubentiſſimè velim, ſiquidem de promiſſo gratiam mihi facere vobis omnibus collibeat. Auditis enim dicendi Venerem ac Suadæ medullam labiis Philiſtoris inſidere, nec minùs ab Hiſtoriarum jucundiſſimarum ſcientia inſtructum. Sed, ut rem natam video, quia nec verbis nec nictatione annuitis, non defugiam auctoritatem. Itaque quod incepi urgere conſilium eſt.

ARCH. Ita te facere æquum eſſe judicamus, nec libeat, utpotè, cum non liceat, bonam copiam ejurare. Interim, ſi me convivatorem etiam Modimperatorem creatis, ne poculis minus quàm verbis abſtineatis, rogo & perrogo. Nam illud Varronis de Vino teſtimonium laudo:

Hoc continet coagulum convivia,
Hoc hilaritatis dulce ſeminarium.

Imprimis verò id ex tuo uſu erit, Polytrope, ne irrauceſcas, & fauces tibi præ ariditate crepent.

POLYT. Cùm ritus ac mores varios, à variis uſurpatos,

patos, animo meo complector, quoſdam adoleſcentibus, alios virginibus ac puellis æquiores fuiſſe, nonnullos etiam utriſque pariter conſuluiſſe comperio. De omnibus cùm ſparſim, & quaſi per ſatyram egerim, pro ingenii modulo, nunc ordini ſecundo coronidem impono perquàm jucunda illa, cujus nunc meminiſſe juvat, commemoratione de Odatidis ac Zariadræ amoribus, etſi hiſtoria longiuſcula eſt. Hiſpaſpæ frater erat Zariadres natu minor. Ambo pulchritudine ad miraculum uſq; inſigneſ; unde ex Venere atque Adonide procreatos fama inter incolas tulit. Mediam ſubjectaſque ei ditiones imperio premebat Hiſpaſpes; At verò Zariadres in ea regione, quæ eſt ſuprà Caſpias portas, rerum potiebatur aduſque Tanaim. In ulterioribus provinciis regnum tenebat Omartes. Hujus filia, cui nomen erat Odatidi, Zariadræ animo exoptatiſſima fuit. Ipſaque Odatis illius viciſſim venuſtate, etſi nunquam oculis viſa, tenebatur, mutuaq; voluntate ei mancipata erat, ſomnio ita utrimq; animos conciliante, ut in amoris parilitatem (Apulei verbum ſignificantius auditis) congermaneſcerent.

Phil. Quid? οὐκ ὄναρ ἀλλ' ὕπαρ ἐσθλὸν refers. Quàm verè dixit Plato, Deum ſimplex ac verum quiddam eſſe, neque aliis imponere, ſive vigilent, ſive dormiant! Nè gravare autem quod te interpellaverim. ſed perge, obſecro, narrare.

Polyt. Odatidis, virginis omnium Aſiæ feminarum formoſiſſimæ, imago Zariadræ in ſomno oblata, itemque Zariadres Odatidi per ſomnium viſus, occultis amorum flammis utriuſque animum magis magiſque incendebant; donec, gliſcente cupidine, Zariadres ad Omartem Legatos miſit, qui filiam ejus Odatidem uxorem ſibi efflagitarent. Renuit Omartes, quia cognatorum ac familiarium alicui eam deſponſare ſtabat

 ſen-

ſententia; in quã hæc ratio eum deduxerat, quod, cùm filium nullum haberet, amicorum cuipiam collocare filiam mallet, cujus ingenium penitius inſpexiſſet, & de quo omnia fauſta ac felicia ſibi filiæque ſuæ ſperare atque ominari poſſet. Itaque Omartes Odatidi indicare, ſe Nuptias ei cum aliquo ex familiaribus amicis apud animum ſuum deſtinaſſe, & cis paucas tempeſtates ei nubendum. Illa hac patris voluntate nón mediocriter turbari mente, frontem caperare ac conſulcare, dolore confici, ſine animo adſtare, & tantum non lachrymis apertiſque ſingultibus ſe tradere. Neque enim obfirmatum patris animum, utpote hominis omninò ſui ſenſus ac cerebri, ſe flectere poſſe ſperare poterat; nec tamen animum ſuum, jam Zariadræ æterno amore vadatum, ad alium quemquam appellere valebat aut volebat, ut quæ Zariadræ oppidò quàm formoſi imagine in ſomnis capta, exinde omnes ex animo deleverat adoleſcentes. Igitur jam inter ſacrum ac ſaxum conſtituta, dubia, egena, inopinoſa conſilii, & tanquam in incerto cogitationum ſalo ancipitique æſtu fluctuans, ubi paulùm ad ſe rediit, mox calidum conſilium occipere, & litteras, clam patre, adornare, fideles animi ſui teſtes, & ad Zariadrem mittere, eumque, ut quàm ocyſſimè adſit, ac denique quid facto opus ſit præterea monere, & ſe præſentes in medium conſulturos, promittere. Interim Omartes nõ multo poſt tempore ad epulas dapſiles, ac Sponſalia florem nobilitatis ex regia familia convocavit. Ergò cùm pluſculum ſe invitaſſent, omneſq; effuſi eſſent in lætitiam, accita Odatide, convivis ut linguis faverent imperavit. quibus aures cum dicto arrigentibus: Nos, inquit, Odati, Nuptias tuas nunc facimus. Florem ipſum nobiliſſimæ juventutis vides, adoleſcentes moribus ſuaves, forma ſpectatos, ætate non diſpari, quibuſcum à carceribus emiſſa ad calcem, ut ajunt, per-

pervenire poſſis. Equidem ſæpè hanc rem animo meo verſavi, ac de illa in conſilium ivi, nec tamen cui te potiſſimùm tradam hactenus mihi certum eſt. nam *Copia judicium ſæpè morata meum eſt.* Tu ergò, ut liberrimum ſit conjugium, oculos nunc quaquaverſum circumfer, & ex omnibus conſortem thori ſelige, quia nihil mihi deliberatius eſt, quàm animo tuo obſecundare, & ei te dare in conjugẽ, cui PHIALAM HANC VINO PLENAM TRADIDERIS; & cum dicto porrexit. Illa toto animo in Zariadrem defixa vix quoquã oculos flectere, niſi quatenus vel hoc pacto patri ſe morem velle gerere ſimulabat. Zariadres verò, omnes res relictas habens, præ Odatide, ut reſcivit ex litteris animũ ejus propenſiſſimum, in eo eſſe, ut ad condictum maturè adeſſet. Itaque clam omnibus, è caſtris, quæ ad Tanais ripas metatus erat, ſolo auriga comite, ſe ſubducere, fluvioque trajecto, ita nihil ad celeritatem ſibi reliqui facere, ut ipſam adventus ſui famam antecederet: Quàm pulchrè ac feliciter ſub manus omnia ſuccedunt, ubi proſpero fortunæ flatu ad optatos exitus provehimur! Ecce enim ad ipſum poſtremum temporis articulum adeſt Zariadres, & Odatidi, jam multa animo anxiè adverſanti, & ante poculorum abacum vinum cunctantius miſcenti, ſe ſiſtit, Factum, inquiens, Odati, quod imperaſti. Ea verò ad vultum vocemque ejus revixit, & ingenti gaudio cumulata eſt. quippe enim & peregrinum eſſe hominem, & ab imagine illa, quam noctu conſpexerat, non multum ab ludere, atq; adeò cuncta eſſe Ἀδελφὰ καὶ ὁμόχρωμα καὶ τῆς αὐτῆς κεραμείας facile animadvertebat. unde nihil morata, volens lubenſque phialam, connubii teſſeram, ei in manus tradidit. Accepit ille pari voluntate, raptamq; Odatidem in currum perduxit, & aufugit. Conticuêre famuli famulæque amoris conſciæ, imperan-

ranteque Omarte, ut filiam revocarent ac reducerent, factum diſſimularunt,& quò evaſiſſet neſcire ſe omnes uno ore reſponderunt. Quod verboſior fuerim vos æqui bonique conſuletis. Etenim memoratu non indigna nec illepida mihi ſemper viſa eſt illa hiſtoria, quam à Barbaris Aſiam incolentibus ſæpenumerò denarrari, & in templis regiarumque atriis, nec non privatorũ ædibus, depingi conſueviſſe Athenæus prodidit. Si audire grave vobis non eſt, alteram quoq; dabo, ſed tribus verbis. Nano Principi non abſimilem in modum filiam ſuam Pettam deſpondere placuit. quia mos ille tunc obtinebat, quemadmodum apud Athenæum lib. 13. legere eſt. Nam cùm Nuptias adornaſſet, peracto convivio, prociſque multis præſentibus, filiam adduci atque accerſiri juſſit, ut temperatam phialam, cui vellet, porrigendo, ei nuberet. Erat eâ tempeſtate Nano hoſpes Euxenus, qui forte fortuna navi apulerat, & cum aliis ad convivium epulaſque geniales vocatus erat. Huic ergò Petta phialam obtulit; & pater, non temerè, nec ſine Deorum providentia id eveniſſe ratus, lubens filiam ſuam noto hoſpiti deſpondit. A ſocero autem phialam ſponſo porrigi olim ſolitam ex Pindari Ode 7. G. Stuckius obſervavit.

Arch. Adde Segoregios Galliæ Narbonenſis populos, apud quos virgo nubebat illi, cui præbuiſſet aquã. Atque iſte mos Maſſiliam urbem condendi occaſio fuiſſe fertur. Narrat enim Juſtinus lib. 43. Phocenſes cum claſſe, cui duces Simos & Protis dati erant, ad Segoregiorum ſive Segobrigiorum fines delatos, amicitiam cum rege illorum Nano expetiviſſe, quò ibidem urbis condendę poteſtas ipſis daretur. Commodùm tunc rex filiæ ſuæ Gypti Nuptias apparabat, *quam*, inquit Juſtinus, *more gentis, electo inter epulas genero, nuptum tradere illic parabat*. Itaque cùm ad Nuptias vocati omnes adeſſent, invitantur

etiam Græci illi hoſpites ad geniale convivium. Introducta deinde virgo, cùm juberetur à patre aquam porrigere ei quem maritum ſibi vellet, omnibus inſuper habitis, ad Græcos converſa, aquam Proti porrexit, qui hoc pacto factus ex hoſpite gener locum condendæ urbis à ſocero accepit. Quæ quidē quomodo cum Euxeno & Petta tua conveniant, ipſe videris. Mihi quidem liquet dejerare, aut eandem eſſe hiſtoriam, mutatis nominibus hoſpitis, & filiæ, aut reges ejuſdem nominis apud Segoregios fuiſſe complures, quod multis gentibus non inſuetum ac inſolens.

Polyt. Quin eadē omninò ſit nullus dubito. Uter verò ſcriptor à vero propius abſit in nominibus recenſendis non liquet, præſertim cùm etiam apud Athenæum Maſſilienſis urbis primordia his Nuptiis attribuantur. Juſtinus autē aquam fuiſſe propinatam me docet.

Phil. Vino utiq; aquam longè hîc potiorem duco, elementique illius in Sponſalibus uſum plus in ſe abditum habere quàm primo obtutu videatur.

Arch. Qui ſic?

Phil. Quia enim aquam omnium rerum præſtantiſſimam Pindarus pronunciat. Tum etiam potiſſimum generationis principium audit apud illos, qui *aquam* ſic dictam arbitrantur, tanquam *à qua* cuncta ortum originemque trahunt.

Arch. Utut ſit (nam litē hanc non facio meam) vinoſas mecaſtor Nuptias malim quàm aquoſas.

Polyt. Nunc vel tandem huic de optione virginibus delata diſſertationi ſummam manum imponere, exitumque ejus expedire convenit, ad extremos uſque Indos delabendo, quibus in more poſitum fuit, ut parentes filiam nubilem in cœtum præſtantiſſimorum juvenum producerent, ut inde ſibi virum deligeret, qui fortitudine, curſu, pugna, ac præſertim forma cæteris præcelleret, nulla generis ac nobilitatis ratione

habita. Nam pulchram prolem educere unica eis cura fuit.

PHIL. Ad extremos quidem Indos, ut ais, delaberis; non tamen vel ſic elaberis. Quin potius Sponſaliorum ordinem omnem, pro gentium inſtitutis πολύτροπον, Polytropus nobis dabit.

POLYT. Etſi Archæologe, neſcio qua ὑδροφοβίᾳ tactus, aquam ſic deteſtari videaris, nihilominus iterum eam, utpote auſpicandis Nuptiis circa Sponſaliorum contractum adhibitam tibi ſuggero, ſed junctam igni, elemento maximè ei adverſo. Quod ſi ne ſic quidem, ob aquæ mentionem, à nauſea tibi temperare potes, ſiccato vini hoc poculo, eam diſpelle. Itaque ergò, aquam ignemque in limine poſitum tangendo, poſt ſtipulationem ac ſponſionem utrimque peractam, ſponſus ac ſponſa apud Romanos in matrimonium ibant.

BIBL. Hui! Tam violentis pugnantibuſque elementis conjugio fuiſſe præluſum, quod lenitatem atque amorem in utroque conjuge imprimis poſtulat! Abſit à Nuptiis tam mala ſcæva.

POLYT. Etiam à recta ratione iſtud eſt. Nam ſic purum caſtumque fore conjugium ominabantur; quia iiſdem elementis purgatio fiebat. Eapropter & aqua aſpergebatur ipſa ſponſa. Adhæc conjuges vinculo indiſſolubili eſſe copulatos, atq; in m ltos annos vitam feliciter eſſe protracturos, portendebatur. Sunt enim ignis & aqua elementa primæ naturæ, quibus vita conſtat. Ea re illis, qui extorres ab hominū cœtu futuri erant, aqua & igni olim interdicebatur. Plus autem dico, & quod magis mirere; nempe apud Lappones Septentrionales connubia, igne per chalybem excuſſo è ſilice, coiviſſe.

BIBL. Horridam illam gentem duros horridoſque mores induiſſe vix miror. Similes habent labra lactucas.

POLYT. Præproperum eſt judicium tuum. Penitius introſpice, & mecum Symboli-

bolicam gentis, quam deſpicis, ſapientiam ſuſpicies.

BIBL. Quin tu ergò ſiparium nobis tollis.

POLYT. Ignis ſcintillæ, in ſilice ac chalybe quaſi latentes, tectam, ſed vividam tamen, amoris flammam denotant, quæ in congreſſu ſe prodit ad communem liberorum procreationem.

BIBL. Si quidem nucleum aliquem hic indagare eſt operæpretium, ſuſpicione attingere mihi videor, quod tacitum abs te hactenus, & tamen huc vel imprimis facit; frigidiſſimæ nimirum regioni ignem perquàm neceſſarium eſſe indicari; atque iccircò ſilicẽ cum chalybe novis nuptis exhiberi, ut vitæ tollerandæ neceſſaria omnia adjumenta conquirere admonerentur, neu durum quotidianum laborem, Siſyphii ſaxi inſtar, volvendum fugerent, quò victum inde, veluti è ſilice ignem, elicerent, opeſque paulatim corraderent.

POLYT. Virum & uxorem apud Galatas ex eodem poculo bibiſſe, dum matrimonium inibant, autor eſt Alexander ab Alexandro. Ita enim mutuum amorem atque unanimitatem non inſcitè teſtabantur. Quamobrem Camma Galata, victa mœrore atque ægritudine, cùm ſe fuiſſe quàm eſſe mallet, ſimulque ut viri ſui Sinati mortem à Sinorige illatam ulciſceretur, diſſimulato dolore, quo diſcruciabatur, ſumptoque alio vultu ad amorem ac manſuetudinem affabrè compoſito, Sponſalia ſeſe cum eo inire velle finxit, poculumque venenatum ei propinavit, quo ſiccato, Sinorix, & ipſa Camma, læta quod aſtu ulta virum eſſet, vitam cum morte commutavêre. Aliud ὁμοθυμίας ſymbolũ non inelegans apud Romanos erat, cùm ſponſus ſponſaque pariter jugum ſubirent, ut ὁμόζυγοι καὶ ὁμοδέμνιοι concordibus animis etiam necterentur. Unde & in jugario vico (cujus meminêre Livius, Feſtus & P. Victor) ara erat *Iunonis jugæ*, quam matrimonia jungere credebant,

bant, quæque à Dionyſio ζυγία iccircò appellatur. Is enim, nuptialis orationis lineamenta coloreſque depingens, ait, Jovem & Junoné primos eſſe Deos conjungentes & copulantes; Atq; illum quidem Patrem omnium vocari; hanc verò ζυγίαν ἀπὸ τοῦ ζευγνῦναι τὸ θῆλυ τῷ ἄῤῥενι, *quòd feminam mari conjungeret.* Proinde & Apuleius, ſi benè commemini, lib. 6. Metamorph. ita Pſychen orare precibuſque Junonem adire facit: *Quam cunctus Oriens Zygiam veneratur.* Indéque profectum arbitror ut viri uxores per blandimentum Junones ſuas, boni ominis ergò, vocarent. Denique in mentem venit, Cojos, nobiliſſimæ Maris Ægæi inſulæ incolas, ridiculo ſatis more idem iſtud denotaſſe, cùm ſponſi inter Sponſalia muliebri veſte induerentur. Nam mihi quidem perſuaſiſſimum eſt, ſponſos eundem cum puella ipſis deſponſanda animum induere paratos iſthoc ritu ſignificatum fuiſſe.

Bibl. Huc facit antiquiſſimus ille *confarreationis* ritus, quo in matrimoniis contrahendis non alius erat religioſior. Nam pane aut farre diviſo, ſponſoque porrigente partem ſponſę, peragebatur, ut mutua vitæ ſocietas inter ὁμοτραπέζους indicaretur. Quò alluſit Hoſea cap. 3. comm. 2. *Cùm itaque comparaſſem eam* (*mulierem*) *mihi ſeſquichomere hordei.* Haud abſimilem in modum Jeſus Chriſtus Eccleſiæ ſponſus per confarreationem ſe conjugium cum ipſa inire palam teſtatur, inſtitutis in ſacro Cœnæ ſacramento panis & vini ſymbolis, iiſque ritè diſtributis, ut æternum ſpiritualis conjunctionis vinculum hoc pacto adumbraret. Nec Macedonibus in matrimonio id inſolens. Curtius enim Alexandri illius Magni cum Roxane conjugium deſcribens, ait, regem medio cupiditatis ardore juſſiſſe afferri, patrio more, panem (hoc enim apud Macedonas ſanctiſſimum fuiſſe coëuntium pi-

gnus) quem diviſum gladio uterq; libabat. Sed uti amborum libationē probo, quę conjugibus omnia communia fore promittebat, ita parum abeſt quin Macedonum prudentiam requiram, cùm gladii & diviſionis mentionem fieri intelligo. Qui convenit enim gladio & amori? diviſioni & conjugio ſive conjugali concordiæ? Faceſſant procul à Sponſalibus dira illa omina. Non neſcio moris iſtius cōditores, pane, tanquam parco ac parabili victu, oſtendere voluiſſe (ut idem autor obſervavit) jungentibus opes, quantulo contenti eſſe deberent; Quod & Romulum moviſſe arbitrari quis poſſit, ut panis & aquæ communione conjugium ineundum cenſuerit. ſed non placet, imò ſummopere diſplicet diviſio & gladius.

POLYT. Cùm rem recta ratione reputo, nec ἐπιπολαίως, ſed penitiùs conſidero, nihil quod veræ conjugum concordiæ adverſum ſit uſquam mihi comparet. Nam panis unius in duas partes diviſio (quam vocem tanquam infelicis avis averruncandam cenſes) unum eundemq; in ambobus animum, unamque voluntatem adumbrabat. Unde quidam Hiſtoricus, qui apud Moſcovitas ſimilem morem in Sponſalibus obſervavit, patrem ſponſæ panem in partes complures frangere ſingulaſque diſtribuere inter præſentes conſanguineos & affines teſtatur, ut deinceps in unum veluti panem coaleſcerent. Neq; etiam gladius diſconvenit, quippe quo uxor in partem laborum ac diſcriminum bellicorum vocabatur, lætaque & triſtia, ſecunda & adverſa æquo animo ei æquè cum marito ferenda eſſe edocebatur, liquido ſatis auſpicio. Taciti de Germanis verba fidem faciunt, quæ quoniam ſingulari dicendi Venere nitent, ex ipſo autore, qui mihi commodùm nunc ad manum & in ſinu eſt, depromam: *Dotem non uxor marito, inquit, ſed uxori maritus offert. Interſunt parentes & propinqui, & mu-*

& munera probant; munera non ad delicias muliebres quæſita, nec quibus nova nupta comatur, ſed boves & frenatum equum, & ſcutum cum framea, gladioque. In hæc munera uxor accipitur: atque inſuper ipſa armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, hæc arcana ſacra, hos conjugales Deos arbitrantur. ne ſe mulier extrà virtutum cogitationes, extraque bellorum caſus putet, ipſis incipientis matrimonii auſpiciis admonetur, venire ſe laborum, periculorumque ſociam; idem in pace, idem in prælio paſſuram auſuramque; hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant. ſic vivendum, ſic pereundum. Quid, quod, teſte Lactantio, Veneri Armatæ ædem ac ſimulachrum poſuerunt Lacedæmonii? Hoccine magis mirum tibi videtur, Bibliace?

BIBL. Maximè. Proin tu mihi cauſſam, ſi qua ſubeſt, aperi, remque omnem expedire annitere.

POLYT. Lacedæmonii Meſſenios obſidione cinxerant, cùm illi furtim, deceptis obſeſſoribus, egreſſi ſunt, & ad diripiendam ipſam Lacedæmonem feſtinarunt; ſed à Spartanis mulieribus fuſi fugatique ſunt. Cognito autẽ hoſtium dolo, ſecuti ſunt eos continuò Lacedæmonii; quibus armatæ uxores obviam longius exierant. Hæ ſimul atque conſpexerunt viros ſuos arma expedire ſeque ad prælium accingere, ut qui putarent Meſſenios eſſe, eas corporis partes, quas ſinus abſcondit, nudavêre. At illi uxoribus cognitis, aſpectu libidinem proritante, ſicut erant armati promiſcuè (nec enim diſcernere vacabat) permiſti ſunt. Hinc ergò Veneris Armatæ cultus ac religio promanavit. Ea re apud Dionem lib. 43. reperio J. Cæſarem etiam Venerem Armatam annulo inſculptam geſtaſſe, eâque teſſerâ plerumque in rebus ſummis uſum fuiſſe. Variis etiam gentibus in more poſitum fuit, ut arma Sponſalibus Nuptiiſq́; adhiberent. Greci ſponſæ caput haſta comebant. Idem & Romani factitabant. Naſo ejus mentionẽ injicit 2. Faſt. ſic canens:

Nec

Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas haſta recurva comas.

Feſti quoque verba, quibus varias illius conſuetudinis rationes cauſſaſque exponit, in numerato habeo. *Celibari haſta*, inquit, *caput nubentis comebatur. quæ in corpore gladiatoris ſteriſſet abjecti occiſique, ut quemadmodum illa conjuncta fuerat cum corpore gladiatoris, ſic ipſa cum viro ſit.*

Phil. Auſonianum aliquid è Centone Nuptiali propè erat ut tibi occinerem, quod moris iſtius Romani rationem ſic ſatis verniliter declarare videbatur.

Bibl. Plus ſatis vernile- noſtriſq; auribus indignum, fortaſſes fuiſſet, ſi poëma illud probè novi, etſi antiquitùs hæc ſacra Nuptialia ſine Feſcennina locutione non conſtare exiſtimatum ſit. Proindè & tuo honori noſtroque pudori conſulueris, ſi tibi quoque jam porrò à tali ſermone temperaris.

Phil. Difficile eſt, ut ſimiæ catulos, partum ingenii, ut ut deformem atque monſtroſum, non amare, aliiſque etiam, ſine dedecoris metu, oſtentare. Ita enim homines ſumus. Itaque quod in mente fuit, antequam rectæ rationis trutinâ illud expenderem, ut erat κίβδηλον καὶ κεκομμένον nulliuſque indicaturæ aut valoris, immò ipſiſſimam κίβδηλιν, fateor, ſubitò vobis obtruſiſſem. Sed reliquas rationes nobis recitare perge, Polytrope.

Polyt. Haſta ergò, ut aliis viſum, caput ſponſæ pectebatur, *quia matronæ*, inquit autor, *Junonis Curitis in tutela ſint, quæ ita appellatur à ferenda haſta, quæ lingua Sabinorum Curis dicitur; Vel quòd fortes viros genituras ominetur; Vel quòd nuptiali jure, imperio viri ſubjicitur nubens: quia haſta ſumma armorum & imperii eſt. quam ob cauſſam viri fortes eâ donantur, & captivi ſub eadem veneunt, quos Græci δορυαλώτους καὶ δορυκτήτους vocant*. Harum quæ media eſt mihi imprimis allubeſcit. Nam hoc ævo etiam apud Feſanos, tubis tympa-

niſque comitantibus, ſponſam domum deduci ad ſponſum accepimus. Nec non Helvetiis eundem morem eſſe conſtat, utpote apud quos ſponſa domo excitur armorum ſtrepitu, & ad tympani tibiæq; ſonum iter ad mariti domum capeſſit, tanquam armorum quoque ſocia futura. Pro facultatibus major eſt equorum etiam comitatus. Ipſa verò ponè pronubi tergū inſigni equo ad domum ſponſi provehitur. Ad ingreſſum egreſſumq; ſacrarum ædium tubæ, tibiæ, tympana, multuſq; apparatus bellicus viſuntur, ut armis initiari credas. Quin immò ad armorum ſonitum tripudia cantuſque, Pyrrichiæ ſaltationis in modum, formantur.

Phil. Non poſſum tamen in illis rationibus totus acquieſcere, cùm Plutarchus in Romulo autor ſit, non deeſſe qui novæ nuptæ comam haſtilis cuſpide eam ob cauſam diſcriminari ſtatuunt, ut primas Nuptias bello & pugna contractas fuiſſe indicio eſſet. Nam cui non lectum, Sabinas olim à Romanis raptas? Ovidius egregiè id commemorat lib. 1. de Arte amandi:

Primus ſollicitos feciſti, Romule, ludos,
Cùm juvit viduos rapta Sabina viros. Et poſtea:
Ducuntur raptæ, genialis præda, puellæ;
Et potuit multas ipſe decere pudor.
Romule, militibus ſciſti dare commoda ſolus.
Hæc mihi ſi dederis commoda, miles ero.

Quia enim feliciter Romulo raptus ille ceſſit, hinc inter arma, belliq; apparatum ac ſtrepitum matrimonia contrahi variis gentibus placuit.

Polyt. Doceri quàm docere multò malim. Neque enim λευκὴν ςαθμὴν vos eſſe cupio, ſed liberè profari quæ contrà ſentitis. Sic veritas, diſputando exercita, ſplendidior puriorque effulgebit. Cæterùm, quæ præterea boni ominis cauſſa in Sponſalibus fieri conſuevêre, paucis dabo. Bœotiæ ſponſę aſparago coronatæ

ronatæ ducebantur ad virũ, eò quod aſparagus ſpina quidem ſit, ſed fructus proferat ſuaves, adeóque matrimonii ſymbolũ ſit elegantiſſimum. Apud Græcos & Hetruſcos virgines nubentes *χοῖρον* ſive porcam immolabant. Græci enim locos muliebres *χοῖρον* appellabãt, quos Latini porcam dixêre. Varro lib. 2. de Re Ruſt. fidem adſtruit, *Nuptiarum initio*, inquiens, *antiqui reges ac ſublimes viri in Hetruria, in conjunctione nuptiali, nova nupta & novus maritus primùm porcum immolant. Priſci quoque Latini & etiam Græci in Italia idem factitaſſe videntur. nam & noſtræ mulieres, maximè nutrices, naturam, qua feminæ ſunt, in virginibus appellant porcum*(alii *porcam* legunt) *& Græcæ χοῖρον; ſignificantes eſſe dignum inſigni Nuptiarum.* Unde etiam à *δελφαξ*, quo nomine porca venit, *δελφύας* dixêre *τὰς μήτρας*, ut Athenæus lib. 9. ait. Heſychio *δελφάκιον* quoque idem eſt. Hæc cùm eruditè Anthonius Hotmanus memoriæ prodidit, tum etiam cauſſas immolationis turpis hujus animalis aſſignavit. Prima eſt, quòd porco vel porca cæſa fœderis initi, diis teſtibus, ſignum daretur, atque ideò conjuges ſacro hoc ritu ac ſigillo infractâ conjugii fidem fore utrimque promitterent. Altera, quod nullum ſit animal æquè libidini deditum. Tertia, quod fortaſſis porcam immolarint, boni ominis cauſſa, ut nimirum, in ſuſcipiendis liberis fœcunda eſſet nupta, inſtar ſcrophæ illius, de qua Virgilius Æneïd. lib. 8.

—— ingens inventa ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum fœtus enixa.

Qua de re Varronem quoque, loco jam dicto, ſcribere memini. Et Lares *grundiles* dictos fuiſſe, quos Romulus in memoriã ſcrophæ 30. porcellorũ matris conſtituit, accepimus. Idque bono omine *πολυγονίας*

ac

ac fœcunditatis. Verùm enimverò vir ille, etſi in eruditorum choro funem ducat, non ſatis aſſecutus videtur, quid ſibi velint poſtrema illa Varronis verba: *ſignificantes eſſe dignum inſigni Nuptiarum*. Ita enim ſcriptum reperi. pro quo ipſe legit: *ſignificantes eſſe dignam Nuptiarum*, & de δελφακίῳ puellarum, tenero licet, attamen ὡραίῳ γάμȣ, accepit. De quo alia mihi mens. Nam quantum conjecturâ auguror, hoc ſenſit Varro: Porcam etiam vetuſtiſſimo ſeculo videri à Græcis peræq; ac Latinis initio Nuptiarum oblatam, quòd nutrices Græcæ Latinæque (à bono illo ſcilicet ac felici omine porcinæ fœcunditatis) naturam muliebrem ſic appellarint. Etenim, ut minus certum ſit porcã etiam antiquiſſimis temporibus ab iis oblatam in Nuptiis, tamen vix dubitandum, quin illa appellatione ſignificarint, *porcam*, ſive *porcum*, ob rationes jam memoratas dignum eſſe, ut pro inſigni Nuptiarum non diſconvenienti recipiatur; etſi modum non definiat, ſed alium atque alium eligere gentium faciat arbitrii.

Phil. Propè eſt, ut huic tuæ conjecturæ acceptum ferre audeam labarum ſive *vexillum* illud *porcinum*, Germanorum in Nuptiis etiamnum uſitatum, in quo porcus depictus cernitur, ut Fridericus Fornerus Epiſcopus Hebronenſis, de Temulentia ſcribens, memoriæ prodidit. Tametſi enim autor in ea eſt ſententia, ut exiſtimet hoc vexillum à majoribus eò introductum, quò in Nuptiis ei traderetur qui per intemperantiam atq; ingluviem porco ſe nõ abſimilem præbuiſſet, atq; ita publica ei inureretur ignominiæ nota; tamen primam ejus ſeculo antiquiſſimo originem ad porci vel porcæ animalis fœcunditatem, aut nominis ipſius πολυσημίαν reſpexiſſe magis crediderim. Sic enim porcum videbimus uſurpatum pro inſigni Nuptiarum, quo eum *dignum*

eſſe

eſſe jam olim Varro judicavit, uti ex ipſius verbis non obſcurè colligimus.

Polyt. Erat inſuper alius πολυτεκνίαν & fœcunditatem ominandi modus, cùm nuptura in Futini Dei ſinu Romæ ſederet.

Phil. Rationem addere nè gravare.

Polyt. Quia enim Futini nomen à propudioſo verbo *futuo*, & hoc ipſum à φυτεύω deductum eſt, ut ad homines plantandos ſe viro nubere ſponſa teſtaretur, in Futini ſinu eam aliquantiſper ſediſſe putem. Lactantius autem lib. 1. cap. 20. disertè ſcribit, nubentes in ſinu pudendo hujus Dei (qui idem fuit cum Priapo) ſediſſe, *ut illarum pudicitiam prior Deus dilibaſſe videatur*.

Arch. Video ab aliis *Motinum* vel *Motunum* dici, viris magnis non diſſentientibus, fortaſſis ob rationem non minus pudendam. Attamen cùm etiam *Tutinum* alicubi legã, pro quo *Futinum* ſubſtituis, levi mutatione, ſed non levi conjectura, vincat tuus tripus per me licet.

Polyt. Quoniam autem modò de conjugum concordia agebamus, quam ἀναμφιλόγως in matrimonio primas tenere omnes meritò ſentiunt, reticere nequeo Græcorum conſuetudinem, qui benè ominantes, in Nuptiis clamabant: ἐκ κορὶ κορὶ, quæ, uti ajunt, perdicum vox eſt, tanta religione matrimonii legem ſervantium, ut, alterâ mortuâ, ſuperſtes omnem vitam viduam exigat. Autorem do Horum Apollinem, perperam ſic dictum. (nam Horus tantùm appellandus erat, quia Apollinem Ægyptii *Horum* vocant. Unde exiſtimare licet, Apollinis nomen, tanquam gloſſema dictionis *Hori* primum adjunctum, poſtmodò in contextum irrepſiſſe) qui in Hieroglyph. 8. ſic habet: *Unde & cum uni cornici occurrerint homines, augurantur* (nimirum, ſibi præſagium id eſſe viduæ vitæ) *quòd animali viduam agenti vitam obvii facti fuerint. Proinde in hunc*

uſq; diem Græci, ob tantū harum avium concordiam, in Nuptiis ἐκ κόρει κόρει κορώνην *dicunt ignorantes.*

Arch. Quemadmodum illud de Apollinis ſuppoſitio cognomine nunc primum ex te didiciſſe volupe eſt: ita ab Hadriano Junio Medico, viro ſanè literatiſſimo, medicinam factam loco corruptiſſimo, nunc reminiſcor, qui ἐκκόρει κόρη κορώνην emendat, hoc ſenſu, *Everre, virgo, cornicem atque elimina.* jubetur autem, inquit, virgo cornicem everrere, quòd ſiniſter eſſet ſolitariæ cornicis occurſus, velut viduam vitam portendentis.

Polyt. Ego verò etſi emendationi iſti album calculum adjiciam lubens, tamen haud facile interpretationi acquieſcam. Nam, ut omittā τὸ ἐκκορεῖν (quod de ſordibus propriè dictum) nimium durè per *eliminare* reddi, cur jubetur everri & eliminari cornix cùm potius in Nuptiis poſt Hymenæum invocaretur? Neque enim exiſtimandum invocatas fuiſſe duas cornices, non unam ſingulam, ut cum Varrone loquar. nam Ælianus, ubi de hac cornicis invocatione ſcribit, non aliter quàm Horus ſingulari utitur numero, cùm ait, conſueviſſe veteres *in Nuptiis poſt Hymenæum invocare Cornicem.* Ergò itaq; cùm invocatam fuiſſe cornicem liquidò conſtet, everri atque exturbari haudquaquam dici poteſt. Adhæc cùm ex confeſſo ὁμονοίας χάριν celebratum ſit illud ἐκκόρει κόρη κορώνην, Horo id ipſum atteſtante, ſatis dilucidè apparet, invocatam potius fuiſſe cornicem quàm expulſam; nec, ut in præcedentibus unicam cornicem olim ominoſam atque infauſtam fuiſſe dixit, ita nunc ad numerū ſingularem in hac Nuptiali formula ſcriptorem reſpexiſſe, ſed κορώνην dixiſſe nomen ſpeciei non numeri, ut qui ab omni numero eam abſtraxerit. Itaque longè alium horum verborum ſenſum eſſe mea fert opinio. Etenim

cùm Τὸ κορεῖν frequentius etiam *ſaturare* ſignificet, verba Hori ſic interpretanda judico: *Exſatura, ô puella, cornicem*. Puellæ namque jam maturæ viro, ut benè de futuris Nuptiis ſuis ominarentur, & auſpicatiſſimas eaſdem conſequerentur, cornici opimum dare prandium olim couſueverant. quia nimirũ ea avis elegantiſſimum habebatur conjugii Hieroglyphicum.

ARCH. Siccinè injurato tibi credi vis aut ſine teſtibus?

POLYT. Phœnicem Colophonium teſtem adduco, ab Atheneo laudatum. Nam coroniſtas ſeu circulatores inducit qui cornici locutuleiæ, quam circumferebant, ſtipem prandiumque ad fores cujuſdam patriſſamilias emendicabant. Accedente autem virgine nubili & ficus afferente pro prandio cornicis, æruſcatores illi puellæ illuſtrẽ ac locupletem maritum, canendo (ut videtur) precantur ac vovent, ideò quia cornicem, veri ac legitimi matrimonii imaginem, tam impenſè colebat. Etenim verba illorum apud Phœnicem decantata, & à Viro Eruditiſſimo D. Caſp. Parduynio Latino carmine nunc paulo largius expreſſa, id ipſum manifeſtum faciunt.

Heus fores clauſas aperi, puella.
Audiit Plutus; manibúſque ficus
Fert ſuis virgo, tibi deſtinatas,
Optima cornix.

Dii, proci paſſim cupiant puellam:
Divitem ex illis, celebremque famâ
Eligat, fauſto ſocietque ſecum
Fœdere lecti.

In manus patri ſenium querenti
Filium; matris gremio reclinet
Filiam; qui ſint generis labantis
Ceu nova fulcra.

 Vi-

Videre eſt quoque apud Feſtum hujus ſuperſtitionis relicta Romanis veſtigia. Nam erat, ut inquit, *Corniſcarum Divarum locus trans Tiberim, cornicibus dicatus, quòd in Iunonis tutela eſſe putabantur.* huc facere videtur quod habet Pauſanias de cornice æ-nea, in fundamentis Coroneæ urbis reperta, quam exiſtimare licet ibi gentilitio ritu cultam fuiſſe. Itaque, ut tribus verbis abſolvam, *Exſatura, ô puella, cornicem*, in Nuptiis acclamatum fuit, ut nova nupta felix matrimonium cornicis cultui religioſo imputaret, cæteræque puellæ inde ſibi exemplum caperent, ut ſimilibus Nuptiis bearentur, poſtquã in enutriendis cornicibus operam ſuam collocaſſent.

ARCH. Jam quidem ſecundum te pronunciare non verear. Etenim feliciſſimi matrimonii expreſſiſſimum ſymbolum ac ſimulachrum eſſe cornices non ſum neſcius. Si quidem, præter concordiam fidemque conjugalem, quam ſervant conſtantiſſimam, ſobolem ſuam non è nido propellunt immaturè, ut corvorum mos eſt, ſed adoleſcere ſinunt; deinde provolantem ex nido comitantur, longoque tempore extrà nidum alunt quàm ſtudioſiſſimè. Quod ipſæ viciſſim parentibus ſenectute infirmis rependunt, dum eoſdem fovent ac tuentur, omnibuſq; ad vitam ſuſtentandam neceſſariis rebus inſtruunt. Nec tantùm ergà ſe mutuò hanc benignitatem ac benevolentiam exercent, ſed etiam ergà alias aves eandem produnt. Nam fama eſt, ciconias, tanquã ὁμόϊροπες, ità à cornicibus amari, ut ſe iis duces & comites ultrò præbeant, dum abeuntes à nobis, tanquàm lictores, ſatellites ac ſtipatores deducunt ac defendunt, clamore ſuo aves infeſtas ac prædatrices abſterrendo. Quod quidem quàm verum ſit, illud argumentũ documentumque præbet, quòd, ciconiis nos deſerentibus, cornices etiam diſcedant, ita ut poſt breve temporis intervallum nullæ uſpiam videantur.

antur. Sicuti nec illud prætereundum, quòd cornices revertentes vulneratæ ut plurimùm conſpiciantur. Unde colligere eſt, hoſtiles conflictus cùm avium inimicarum acie ipſas ſuſtinuiſſe.

PHIL. Meum quoque punctum habeto, Polytrope. Tanto enim rationum pondere me haud invitum in partes tuas traxiſti. Cæterùm, ſi levi ſuſpicione duci turpe non eſt, quid vetat dicere,cornices, utpote garrulitatis quoque ſymbolum expreſſiſſimum, puellarum olim delicias fuiſſe? Etenim cùm jam olim judicatum ſit garrulitatem linguæque volubilitatem huic ſexui ita innatam, ut luſciniæ prius defutura ſit cantio, quàm huic verba, quid ni garrulas cornices ideò tantopere virginibus dilectas fuiſſe vero conſentaneum ſit? Unde illud etiam manaſſe videtur, quòd marculum vel circulum ferreum, quo oſtia pulſantur, *κορώνην* vel *Cornicem*, ſive à figuræ ſimilitudine, ſive à garriendi ſtrependiq; parilitate, dixerint veteres. Nunquid in puerperiis (liceat enim de garrulitate dicenti ſolito liberius garrire) dum à recenti partu infirmior eſt puerpera, nec crepitacula cornicantiũ muliercularum ferre valet, cornicem foribus affixam candido linteo obvinciri paſſim videtis, quò ſcilicet Dauliis iſtis cornicibus, mulierculis, inquam, ad puerperam ventitantibus os obturetur gutturque conſtringatur, ne puerperæ caput crepitantibus vocibus ſuis obtundant? Sed pleræque, ſimulac cornicem præteriêre, admonitionis oblitæ, naturam ducem ſequuntur,& antiquum obtinent, aureſque decumbentis neſcio quibus nugis & affaniis opplent.

POLYT. Deſine jam tandem, garrula cornix. Quid enim? riſu & exerto cachinno te ſequar an ſtomacher? adeò & ridiculè nugaris & innocentem ac ſuavem ſexum ludibrio habes peſſimè. Noſti opinor communem legem convivalem, qua cavetur, ne quis convitium

cuiquam dicat etiam abſenti.

Phil. Bona verba, quæſo. Non eo animo iſta effutivi, ſed, quia cornicis mentio erat injecta, ludere aliquantiſper in ea voce voluptati fuit. Riſum itaque non ſtomachum moveat hic luſus. Si quid peccatum eſt, in te peccatum eſt maximè, utpote cujus ſermo tam eruditus ac diſertus mea futilitate interruptus eſt. Id doleo, & veniam poſco, Polytrope; teque obnixè oro, ut nobis cætera quoque omina Nuptialia exponere ne digneris.

Polyt. Aſpectus accipitris circi altero pede claudi, Plinio autore lib. 10. cap. 8. proſperrimi augurii in Nuptialibus negotiis fuit.

Arch. Quid ais? Potius conjugii quoq; in alterutro conjuge claudicantis ſignum id eſſe judicarem.

Polyt. Claudicantis revera ſignum id eſſe arbitrabantur, ſed Vulcani, quem affore Nuptiis tunc ominabantur, cùm claudum accipitrem conſpexiſſent. Vulcanus enim Veneris maritus, idemq; ignis Deus eſſe putabatur, Poëtis id paſſim inculcantibus. Is autem etſi non fidis ſatis amoribus frueretur, ſed furta Veneris uxoris ſuæ, Sole indice, ſciret & doleret; nihilominus, ſi vel obſcurè atque in accipitris claudi ſigno Sponſalibus Nuptiiſve interreſſet, id felix fauſtumque eſſe eò cenſebatur, quia ignis activum generationis omnium rerum eſt principium & quaſi maſculinum, ut aqua patibile & quaſi femininum. unde ignis & aqua à ſponſis tangebatur. Nam *His nova fit conjux, hæc duo magna putant.* Hinc itẽ faces (quibus Vulcanus præeſſe dicebatur) accenſæ in Nuptiis, quia ſine calore nulla eſt in rebus humanis naturalis procreatio. Et quibus ἐν τοῖς λαμπαδοφορίοις, inſtitutis in honorem Vulcani, currentibus lampades extinguebantur, ideò a curſu ceſſabant, quia, cùm caloris naturalis flamma ceſſat, vita omnium extinguitur.

Emo-

PHIL. Emoriar niſi rem acu tetigeris. Quàm te ſuſpicio, antiquitatis Myſta! quemquamne altius in hæc penetraſſe!

POLYT. Ad Suffenos hæc præconia. non capior iſtis. De nucibus autem ſparſis in Romanorum Nuptiis nunc verba facerē; ſed quia concubium noctis ſit antequam iſtud pro rei pondere exponere, & id genus alia quæ reſtant expedire vobis queam, in aliud tempus, quo potior occaſio ad eam rem feret, differendum cenſeo. De Athenienſibus verò minus vulgatum eſt, qui caricis, nucibus & id genus aliis caput ſponſæ propè focum perfundebant, fœcunditatem præſagientes. Atque hæc καταχύσματα indigitabant, ut ex Alexandro Sardo didici. Memini me legere epiſtolam anno CIↃ IↃ LXXXI. ad Davidem Chythræum datam, cujus autor, viſa auditaque à ſe narrans, refert, apud Ruthenos ſive Ruſſos, dum conjugium à Sacerdote in templo benedictione firmatur, fœminas lupulum linumque inibi ſpargere cum epiphonemate: *Dii noſtri tutelares faciant, ne novi conjuges ullo deſtituantur bono.* Moſcoviticæ ſponſæ, poſt benedictionē in æde ſacra etiam peractam, in reditu ſub ingreſſum in domum paternam farre adſperguntur, in fœcunditatis omen. Ea cauſſa Angli triticum in caput ſponſæ jaciunt, cujus rei teſtis mihi eſt Polydòrus Virgilius de Rerum Inventoribus. lib. I. Denique Inſulæ Goæ in Orientali India incolæ hunc morem ſervant, ut amici & vicini, è feneſtris pulchrè ornatis proſpicientes in viam, qua novis conjugibus tranſeundum, cùm è templo domum revertuntur, aqua roſacea, admixto ſaccaro, eos perfundāt. Nec prætereundi noſtri Batavi, quibus ſaccarum nonnunquam in ſpectatores ac vulgus ſpargitur, ſimulac domus veſtibulum primumq; limen ſponſæ ſubeunt. Helvetiorum fermè oblitus eram, apud quos ſponſa, poſt matrimonii conſecrationē,

ad ædes ſponſi deducta, panis inde projicitur, & à pueris certatim rapitur, ſicuti Guil. Stuckius, Tigurinus & ipſe, in ampliſſimo de Convivalibus Antiquitatibus volumine commemorat. Quæ quidem ea gratia nunc addere libuit, ne cuiquam dehinc detur occaſio exprobrandi, quòd ſine teſtibus dicere cauſam nòn verear. Sed ecce dum veſtræ voluntati obtempero jam *ὑπερτὰ ἐσκαμμένα πηδῶ*, & ad ipſarum Nuptiarum ſolemnia oratione delatus ſum, cùm de Sponſalibus duntaxat dicendum eſſet. Proinde ut hanc, quam ſatis duram hactenus ſuſtineo dicendi provinciam deponam, aliquid pro mantiſſa nunc addam, quod haudquaquam in poſtremis memorandum arbitror.

PHIL. Quid iſthuc eſt rei?

POLYT. Inter Chinenſes virgines illę maximè laudantur, quibus exiles contracti, ſtrictique ſunt pedes. Ideòque matres puellarum pedes vinculis faſciiſque coarctant, tandemq; reddunt curatura junceos. Neque tamen tam ſtudio pulchritudinis ac venuſtatis, quàm virginum libidini, laſciviæ, raræque pudicitiæ, eamque conſequenti maritorum Zelotypiæ hic mos natales originemque ſuam debet. Etenim cùm illis quibus adeò graciles contracti curvatiq; ſunt pedes difficilis ſit nec abſq; dolore inceſſus, ideóque rarius ſeſe domo proripiant, omnium caſtiſſimas eſſe eas juvenes autumant, uxoreſque ſibi expetunt.

PHIL. Pari modo Italos, præſertim Venetos, feminarum pudicitiæ modeſtiæque couſultum iviſſe mihi ſit veriſimile, cùm non tantũ cothurnis tam altis prægrandibuſque ſublimes eas incedere jubeant, ut euntes aliorum humeris brachio inniti cogantur, ne, vacillante calceo, concidant; ſed etiã longo ſyrmate humum verrere matronę ſoleant, quo pedibus implicatis, maximè ubi cothurnatæ non ſunt, exire ſolæ, quamvis magnopere velint, niſi omnem pudorem

dorem decoxerint, non poſſint.

Polyt. Moſcovitæ ampliſſimam dotem eſſe cenſent, ſi ſponſæ virginitatem illibatam ad matrimonium afferant. Iccircò in tabulis Sponſaliorum parentes aut conſanguinei fidejubent, puellam eſſe incorruptam. Nec fruſtrà, quippe cùm quibuſdam in locis puellæ raró ultra ſeptimum annum caſtitatem ſervent intactam, ut hiſtoricorum monumentis celebratur. *Paucæ adeò Cereris vittas contingere dignæ.*

Phil. Rixarum ſegetem narras. Nam ſi vel tenuis leviſque ſuſpicio maritum ceperit, virgini vitium, ante conſcriptas tabulas, fuiſſe oblatum, litem continuò oriri neceſſe ſit, & contractum irritum fieri. Etenim ipſos maritos in primo congreſſu ſponſarum caſtitatem explorare virginitatiſque uxorum ſuarum certiſſimum cxperimentum capere conſtans eſt opinio.

Polyt. Opinio eſt, non veritas; nec tam conſtans, ut opinaris. Fatum eſt in partibus illis, quas ſinus abſcondit. Nam circa Antarcticum Polum habitantibus feminis, quæ omnes palam belluino more miſcentur viris quibuſvis, corpus virginale atque integrum etiam poſt plurimos partus perdurare, nec ullatenus à verarum virginum corporibus differre oculatis teſtibus probatum eſſe Veſputius Florentinus refert. Hiſce multas hac tempeſtate non diſſimiles eſſe exiſtimarim. Cyprianus adſtipulatur in Epiſtola ad Pomponium, ubi virgines conſuetudinis concubituſque cum viris inſimulatas hac excuſatione defendi poſſe negat, *quòd inſpici & probari poſſint an virgines ſint, cùm & manus obſtetricum & oculi ſæpe fallantur.* Ambroſii quoque punctum fero, qui in Epiſtola ad Syagrium, inſpectionis iſtiuſmodi fidem elevat, quippe quę ex ſententia vetuſtorum medicinæ doctorum incertiſſima ſit. Unde Cyprianus in eadem illa ipſa epiſtola ſui non ſatis memor videtur, cùm Eccleſiaſticam cenſuram

ram in famoſas, juxtà inſpectionis judicium, ſtringi præcipit, *Quòd ſi pœnitentiam*, inquiens, *bujus illiciti concubitus ſui egerint, & à ſe invicem receſſerint, inſpiciantur interim virgines ab obſtetricibus diligenter, & ſi virgines inventæ fuerint, accepta communicatione, ad Eccleſiam admittantur, &c. Si autem de eis aliqua corrupta fuerit deprehenſa, agat pœnitentiam plenam, &c.* Illud certum: *Virgine nil certum minus eſt*, ut Vir Clariſſimus cecinit. Quod tamen de Peguanorum puellis cave dixeris, quarum ſaltus (ut cum Plauto loquar) ſatis tuta cuſtodia obſeptus uſq; in diem Nuptiarum permanet; ſi fidem arbitrari velimus Hugoni Linſchotano, in Itinerario ſuo id narranti.

BIBL. O *proceres, cenſore opus eſt an haruſpice nobis?* Magis tamen eſt, ut vobis, qui monenti aurē non præbetis, diem dicam apud Cenſores proſtituti pudoris. adeò Latinè loquimini, ut pudore ſuffundar.

POLYT. Vix abeſt quin cum Cremutio illo apud Tacitum exclamem: *Verba mea arguuntur: adeò factorum innocens ſum*. At enim iſtud expendiſſe te oportuit, antequam mihi ſimilia narrandi autor fieres, & ad hunc ſermonem præires. Vernilia omnia dicta ſi quis à Nuptialium rituum narratione eliminet; idem me jubeat, ut ait ille, *Talaſſionem verbis dicere non Talaſſionis*. Patere itaque, amabo te, ut rebus laſcivioribus verba apta ſuppetant, ſemoto interim petulanti animo.

PHIL. Age igitur, Polytrope, eâdem, quam inſtitiſti, viâ perge; & quia dubitare mihi viſus es an certa atq; infallibilia virginitatis ſigna monſtrari queant, illud mihi reſponde, quid lex illa Moſaica cap. XXII. Deuteronomii ſibi velit: *Cùm duxerit quis uxorem, ſi, poſtquam congreſſus eſt cum ea, odit eam, Ideoq; dedit occaſiones habendorum ſermonum de ea, proferens de ea famam malam, puta dixit: Mulierem hanc duxeram, ſed congreſſus cum ea non inveni in ea virginitatem: Tunc accipito pater puellæ aut mater ejus eam, &* PRO-

&PROFERVNTO SIGNA VIRGINITATIS PVELLÆ *apud Seniores civitatis ſuæ ad portam. Cúmque dixerit pater puellæ Senioribus: Filiam hanc meam dederam viro huic in uxorem, qui odit eam. unde, ecce, ipſe dedit occaſiones habendorum ſermonum, dicendo; non inveni in filia tua virginitatem, cùm hæc ſint ſigna virginitatis filiæ meæ:* EXPANDVNTO PANNVM EIVS CORAM SENIORIBVS CIVITATIS, *&c.* Etenim ſi incerta ſigna illa fuiſſe cenſeamus, nonne ipſi Deo imprudentiæ atque injuſtitiæ dicam impingimus, qui à Senioribus in cauſſa graviſſima ex levibus indiciis incertoque argumento ſententiam pronunciari voluerit?

POLYT. Judæorum cum aliis nationibus non eſt par ratio; nam pro cujuſque natura ac temparamento variat in virginitate certo dignoſcenda. Sed quia idem quod meum animum diu incertavit, tuum quoque pendere facit, en tibi mutum arbitrum, ſed apprimè eruditum, epiſtolam puto Viri Theologi non è multis D. Balthazaris Lydii τȣ̃ μακαρίτȣ, ante annos quatuordecim ad celeberrimū Dominum Joh. Beverovicium, virum in ipſis Muſarum Gratiarumque manibus doctum & eductum, datam, quæ ſanè lucernam olet, cedroque digna eſt, comprimis quia Sacri Vatis verbis ita lucem affundit, ut quod maximè. Hujus lectionem cùm nuperrimè amicus quidam mihi conceſſiſſet, derepente, non ipſius ingratiis, eam in ſinum abdidi, atque etiamnum mecum geſto. Itaque, ſi vobis grave non eſſet, prælegere eandem ipſe non gravarer.

BIBL. Deprome ſodes. avet enim animus, quid ille de lege iſthac Moſaica commentetur, cognoſcere. Nolim tamen hic mihi prælegi, quia fortaſſis prolixior eſt. Domum reverſus attentius eam legere atque expendere dabitur.

PHIL. Interim de Africanis ſuis quidnam ſimile Leo in Africæ deſcriptione

ne memoriæ prodiderit ſcire in rem erit. Satis autem diffuſè id enarrat. Nobis ἀποκορυφῶν curæ eſt. Refert itaque ille, novis conjugibus in thalamo concluſis, ut amoribus ſuis perfruantur, feminam quandam conſiſtere præ foribus ac præſtolari, donec, devirginatâ puellâ, linteolum ſanguine tinctum novus maritus ei porrigat, in ſignum jam demum amiſſæ virginitatis. Nam illud amicis ſolet oſtentari ab eadem vetula femina, quæ id manu geſtans ac vibrans alta voce clamat, virginē hactenus incorruptam fuiſſe. Quòd ſi fortè virginitatis ſignum ejuſmodi non appareat, mox maximo cum dedecore & infamia, Nuptiis infectis, ad parentes ſponſa relegatur; ad quos illa per angiportus & ſemitas viaſque minus frequentatas pudibunda ſeſe proripit.

Arch. Convivium interim inſtructum non diſſolvitur propterea, ſed parentes & conſanguinei ſponſi largiter ſeſe invitant, & edendo taciti albis dentibus derident alios & ludibrio habent. Nam id moris apud eos eſt, ut ſiniſtro tali caſu oborto, dum convivantur, altum ſit ſilentium. Sed ſigno virginitatis ſanguineo apparente, utrimq; amici ad choreas, cantiunculas & cōmeſſationes accinguntur.

Phil. Quis non videat à Judæis Africanos illos id moris ſibi ſumpſiſſe? Verum enimverò miſeret me puellarum iſtarum, cùm nonnunquā fallere iſtud ſignum in confeſſo ſit. Unde cum Judæis gratias Deo agendas à viris Africanis cenſeo, quod viri nati ſint. Ita enim illi quotidie Deum invocare docentur in libro cui lemma Sepher tephilot: *Laudatus ſis, tu Domine Deus noſter, Rex mundi, qui me feminam non feciſti.* Nec miror miſeram feminarum conditionem ab iiſdem illis Judæis tam Zelotypis, & pudicitiam mulierum, ob minimam, qua ducuntur, ſuſpicionem in dubium vocantibus, reputari. Notū enim doctis illud Judæorum: *Væ illis quorum libe-*

liberi fœminæ ſunt. Nec ad confirmationem hîc ſua illis deſunt myſteria; quippe quia litteræ *Beth*, *Reſch*, *Caph*, *He* cum ſuis vocalibus *benedictionem* ſonantes, ſimul deſignant numerum CCXXVII. & litteræ *Zajin*, *Caph*, *Reſch*, *maſculum* ſignificantes eundem numerum exprimunt, maſculus ipſis benedictionem affert. Quia verò litteræ *He*, *Beth*, *Tau filiam* ſignificant ſimulque producunt numerum CCCCVII; Litteræ autem *Aleph*, *Reſch Vau*, *Reſch maledictum* notantes ſimul eundem numerum gignunt, filias omnes in maledictionis loco habent naſuti.

Polyt. Nè immoremur, quæſo iſtis calumniis. Fraudem fraude pellere ſic ſatagunt Africanæ virgines jam ſponſę, ut rarò ſponſi cauſam inveniant quamobrem eas parentibus ſuis redhibeant.

Phil. Nempe incognita illis temporibus erat S. Wilfridi acus in templo Ripponenſi, qua mulierum caſtimonia pertentabatur. Vel ſtatua illa marmorea, apertis labris, *bucca veritatis* dicta, & in Pudicitiæ matronalis delubro, hodie Mariæ Ægyptiacæ dicato, erecta, quæ contracto ore amputabat manus impoſitas illarum, quæ ſe virgines mentiebantur, ſi Jacobo Boiſſardo in Topographia Romæ fides eſt.

Polyt. Quam tu, malum, acum probandæ virginum pudicitiæ narras? Ludis, Philiſtor.

Phil. Vera refero, ſi vera refert Camdenus in Britannia. Nam in Eboracenſis Comitatus deſcriptione de templo Ripponenſi verba faciens, avorum memoria S. Wilfridi acum (*S. Wilfrids Needle* vulgò dictam) celeberrimã fuiſſe ait. *Erat autem id*, inquit, *in crypto-porticu foramen anguſtum, quo mulierum pudicitia explorabatur. Quæ enim caſtæ erant facilè tranſibant; quæ dubia fama, neſcio quo miraculo conſtrictæ detinebantur.*

Arch. Peccarem in leges dulciſſimæ hujus confabulationis, ſi reticerem quod de Moſcovitis nuper inter legendum didici ex Sigiſmundo

mundo Herberſteinio. Is narrat ſponſam à matre edoceri, nè prima nocte, qua ſponſus eam habiturus eſt, ullam vocem edat; néve audiri vel videri ſe ante craſtinum à ſponſo patiatur.

Bibl. Optimè mones, & tua illa narratione me manuducis ad conjecturam (ſi quis modò ei in Sacris libris locus) quam promere non pigebit. Etenim videre mihi videor eundem morem olim apud Judæos invaluiſſe, unde aliæ gentes & ipſi quoque Moſcovitæ eum hauſerint. Atq; hinc cauſam ſubodorari licet, ob quam Lea, Jacobo pro Rachele ſuppoſita, neq; ex voce, neq; ex vultu ac facie fuerit agnita. Et ſimile quid in voce προσφθεγκτηρίων latere arbitror, qua apud Græcos indigitabantur dona illa quę poſtridie Nuptiarum ſponſæ, ubi cum ea ſponſo ſermones miſcere concedebatur, dabantur. Quinimò Spartani ulterius progreſſi eam legẽ tulere, ut nè ſponſus uxorẽ videret interdiu, antequam eſſet mater.

Arch. Cauſam ἐχεμυθίας iſtius inveſtiganti incidit ſuſpicio, apud Moſcovitas, gentem, non minus quàm Iudæi, Zelotypam id non temerè fieri, ſed ab omnibus novis nuptis, quibus zona ſolvitur, obſervari, ut omnium famæ atque exiſtimationi pariter conſulatur. Solent enim nonnulli mariti ex nuptæ διαπαρθενευομένης voce ſive læta, ſive anxia & triſti virginitatis argumentum ſumere, & lætam ut vitii oblati, anxiam verò, utpote doloris teſtem, tanquam certum incorruptæ virginitatis indicium excipere. Eandem ergò ſententiam Moſcoviticorum maritorum animo ſedere arbitror, eorumque ſponſas, ut in commune conſulant, de matrum conſilio, vocem omninò premere, id ipſum quàm maximè ex uſu ſuo fore ratas. Sed longius quàm oportuit oratione provecti ſumus. vela contrahenda ſunt. Ego autem, ut nomen expungam, de Judæorum Sponſalibus di-

cendo, verba conferã maximè ad compendium. Perficiebantur ea ſub tentorio, in eum finem erecto, quod *chuppa* indigitabant. Quò reſpexit alluſitq; Regius vates Pſalmo 19. commate 5. & 6. cùm ait: *Soli diſpoſuit tentorium in eis. nam eſt tanquam* SPONSVS *prodiens* (mechuppato) *è thalamo ſuo*. Ibi verò ſponſa in manus ſponſo tradebatur, his verbis: *En tibi, cape hanc ſecundum legem Moſis*. Sic enim Saram à patre Raguele Tobiæ traditã legimus Tobiæ cap. 7. comm. 14, 15, 16. ac poſtea conſcriptas tabulas matrimoniales, quæ ibi συγγραφὴ appellantur, & quibus certam pecuniã doti dicebat ſponſus. In hunc autem fermè modum concipiebantur, ut ex Talmud Babylonico referunt Bertramus & Buxtorfius: *Sexto die hebdomadæ, quinto menſis Sivan, anno creationis mundi quinquies milleſimò ducenteſimo quinquageſimo & quarto, juxtà computationem, qua utimur hîc in civitate Maſſilienſi, Sponſus Rabbi Moſes, filius Rabbi Iehuda dicit Sponſæ Claronæ, filiæ Rabbi David, filii Rabbi Moſis, civi Liſbonenſi: Eſto mihi uxor ſecundum legem Moſis & Iſraëlis. Equidem juxta verbum Dei te colam, honorabo, defendam & regam, ſecundum morem maritorum Iudæorum, qui colunt, honorant, defendunt & regunt fideliſſimè ſuas uxores. Atque ita tibi dono dotem virginitatis tuæ denarios argenteos centum, qui juxta legem debentur tibi; atque inſuper victum, amictum, & neceſſaria omnia, ſimiliter & cognitionem tui, ſecundum morem & conſuetudinem omnis terræ.* Hunc in modum tabulis perſcriptis, mediæ ſcindebantur. Nam *hic erat*, inquit Lyranus, *modus antiquitùs, quòd in una parte chartæ ſcribebatur dos, & in altera parte chartæ donum propter Nuptias, & inter duas ſcripturas fiebant ſigna, per quorum medium ſcindebatur illa charta, & dabatur una portio viro, altera mulieri.*

BIBL. Quid illa in tabulis promiſſa *ſponſæ cognitio?* an τὴν ὀφειλομένην ἔυνοιαν, Paulo dictam promittit?

ARCH. Maximè. Ita enim

 ἀ-

ἄσκευοι, evirati, caſtrati, &, ut Cyprianus loquitur, virum in feminam fracti, omneſque ad Venerem impotentes, à connubio arcebantur, ſuaſque res ſibi habere jubebantur. Quàm primũ verò ſponſa in conſpectum ſponſi adducebatur, flammeo caput obnubebat, eoque maritali imperio ſubditam ſe propalam profitebatur, pudoremque ac verecundiam declarabat. Inde eſt quòd Rebecca, cùm audiret, virum illum, quem in agro deambulantem conſpicabatur, Iſaacum eſſe, cui erat deſponſata, *accepto peplo ſeſe operuerit* (Gen. 24. 65.) quódque Abimelech Saram ſocrum Rebeccæ increparit, ideò quia, ſeſe non tegendo, libidinis in ſe irritatæ cauſſa & occaſio fuerat. (Gen. 20. 16.) Quamobrem Apoſtolus, cùm poteſtati virili ſubditam uxorem, &, ut Juriſconſulti loqui amant, in perpetua mariti tutela eſſe, innuere voluit 1. Cor. 11. 10. *Debet*, inquit, *mulier* ἐξουσίαν, id eſt, *poteſtatem in capite habere*. Ubi per ἐξουσίαν, paſſivè ſumptam, velamen illud muliebre intelligit. Hebræus nempe ad Hebræum *radid*, (qua voce *velamen muliebre* appellant) reſpexiſſe non immeritò cuipiam videatur; præſertim cùm *radad*, unde *radid* deductum, *ſubdere* & *ſubjicere* denotet.

Bibl. Equidem tecum ſentire non abnuo, ſed diſpiciendum nihilominus hîc ſentio, an non tegmen illud ἐξουσία à Paulo dicatur, quòd ſubjectio illa mulierũ revera *poteſtas* ac *tutela* quædam ſit, in eas dirivata, qua dum virgines erant, deſtituebantur. Hinc enim Judæis in lege mandatum accepimus (Num. 5. 18.) ut Zelotypus uxorem, de qua ſiniſtri quidpiam ſuſpicabatur, ad Sacerdotem adduceret, qui caput mulieris retegeret. quo ritu indicabatur; mulierem, niſi ſe ab omni hujuſmodi labe alienam, criminiſque expertem eſſe liquidò evinceret, in poſterum exutam omni poteſtate, qua pridem per maritum fruc-

fruebatur. Quòd autem verecundiæ teſtandæ ergò velatas ſponſas virgineſque dicebas mirum in modũ mihi placet; eóque magis noſtri ſeculi impudentem laſciviam deteſtor & execror, ubi puellæ vultum oculoſque nõ ſolùm,ſed & mammillas nudo pectore, vel tenui nebula lintea ventoque textili duntaxat operto, palam ac publicè omnium oculis ingerunt. Inde enim illud Poëtæ Lyrici in corruptos ſeculi ſui mores: *Altera nil obſtat: Cois tibi penè videre eſt Ut nudam.* Nec temerè Propertio excidiſſe verbum illud cenſeo, ſed ut impudicas perſtringeret: *Indue me Cois, fiam non dura puella.* Certè apud omnes gentes, quæ honeſtati ſtuduerunt, mulieres, ac præſertim virgines, in publicum prodeuntes, caput velabant. Unde & Apoſtolus velari mulierem jubet. Immò quàm arctè huic legi ſeſe adſtrinxerit Romani inde clarum eſſe poteſt, quòd C. Sulpitius Gallus uxorem repudiarit, eam ſolùm ob cauſſam quòd aperto capite prodiiſſet; *Lex tibi,* inquiebat, *meos tantùm præfinit oculos, quibus & forman tuam approbes, & placere deſideres &c.* Ex crinium, capitiſque nudati aſpectu ſæpè libidinem exarſiſſe teſtatur ille apud Naſonem, qui dixit:

Hoc faciunt flavi crines & eburnea cervix,
Quæque, precor, veniant in mea colla manus.

Germanorum (Tacito autore) ea cura fuit, ut nè matronæ intecto capite in publicum prodirent, adulteriorum eam cauſſam eſſe rati. Atque iccircò adulteras capitis dehoneſtamento puniebant, ut unde libidinis incentivum eſſet profectum, ibi potiſſimùm vindicta ſæviret. Nam maritus adulteram, acciſis crinibus, coram propinquis nudatam, expellebat domo, ac per omnem vicum verbere agebat, ut cæteræ matronæ indè ſibi exemplũ caperent, nec niſi velatæ ſeſe conſpiciendas præberent. Mirum verò quantum ab hoc inſtituto Germani, Belgæque deſciverint deflexerintque, adeò

nullus pudor eſt laſcivis. Nam intecta jam ſunt multarum mulierũ capita. Nefas putant virginem alio argumento cognoſci, niſi, capillis per terga fuſis, & auræ impulſu temerè jactatis, in compitis, plateis, commeſſationibus, ſacriſq; conventibus caput (penè dixerim nulli non promercale) proſtituant. Quibus Tertullianum hîc audire ſatius eſſet, qui, cùm antiquum velandi virgines morem mutaſſe atque obſoleviſſe videret, ita ut Chriſtianæ virgines velis abſtinerent, quæ ex Lacedæmoniorum conſuetudine mulieribus tantùm injungebantur, oſtendit evincitque argumentis, quantũ poteſt, evidentiſſimis, in libro de velandis virginibus, S. Scripturam legem de velamine non ad ſolas conjugatas coarctaſſe, ſed omnibus ac ſingulis mulieribus condidiſſe, naturamque ipſam conteſtari, diſciplinam exigere. Hinc in eo, de quo agimus, libello ſedulò monet & urget, ut nè ſine velamine mulier aut virgo unquam ſit; & quid in muliere caput ſit declarans, *Sciant* (inquit) *quia totum caput mulier eſt. Limites & fines ejus eò uſque porriguntur, unde incipit veſtis. Quantum reſoluti crines occupare poſſunt, tanta eſt velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur. Ipſæ enim ſunt quas ſubjectas eſſe oportet; propter quas poteſtas ſuprà caput haberi debet; velamen jugum illarum eſt. Iudicabunt vos Arabiæ feminæ Ethnicæ, quæ non caput, ſed faciem quoq; ita totam tegunt, ut, uno oculo liberato, contentæ ſint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem proſtituere.* Ridens autẽ eas, quæ, linteolis ne ad aures quidem modicè demiſſis utentes, nudæ potiùs quàm caput tectæ viſuntur, *Miſereor*, ait, *ſi tam infirmo auditu ſunt, ut per tegmen audire non poſſint*. At verò ſerio rem tractans, ſic omnes obteſtatur: *Oro te, ſive mater, ſive ſoror, ſive filia, virgo, ſecundum annorum nomina, dixerim, vela caput: ſi mater, propter filios: ſi ſoror, propter fratres: ſi filia, propter patres. Omnes in te ætates periclitantur. indue armaturam pudoris, circumduc val-*

vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. Si qua verò mulier verecundiam ſolo capitis tegmine metitur, nec cæteris membris pari cura proſpicit, ſimiliter facit atque ſtruthiocàmelus, qui, cùm ſe à venatoribus urgeri videt, caput ſolùm inter fruteta condit,& ſic ſe latere putat, ſed, immani reliquo corpore intecto, venatoribus præda fit beſtia tota cum capite.

Polyt. Hunc velandi capitis morem in mulieribus ubique ſervavit Homerus. Penelopen namque pudicitię verecundiæq; exemplar fingens, coram procis ſemper operto capite conſiſtere facit. In quo conſimilis fuit moribus Rebeccæ, quæ idem fecit, viſo Iſaaco. Nuptias autem à nubendo, id eſt, velando dictas quis neſcit? Tum etiam virginem Iudęis ab occultando appellatam norunt, qui Hebraicè ſciunt. Hinc ἀνακαλυπτήριος ἡμέρα dicebatur craſtinus dies Nuptiarũ, quo ſponſa primùm, ſummoto velo, detegebatur. Dona verò quæ ſponſus ei exhibebat, inde θεώρητρα, ἀνακαλυπτήρια, ὀπτήρια, &, ab alloquendo ſponſam, προσφθεγκτήρια dicebantur, ut Harmenopulus, Harpocratio,Suidas & Pollux teſtantur. Nec reticendum quòd, ſicuti ex Rebecca Syrorum antiquorũ morem expiſcati ſumus, ita hodiéque idem ipſis maneat. Nam qui in Syria & Arabia peregrinati ſunt referunt, mulieres miram in ſe velando curam atque diligentiam ponere, & cum capite faciem quoque unà tegere, vix exigua rimula relicta, per quam proſpicientes iter dirigant. Nunc verò, Archæologe, perge ſodes quod cœpiſti oratione perſequi.

Arch. Ad hanc, de qua mentionem feci, mariti poteſtatem in uxorem ſignificandam faciebat & alius veterum Judæorum ritus, quo ſponſi ſponſas ſuas veſte vel pinna pallii ſui, (ut Hieronymus loquitur) tegere atq; obnu-

obnubilare ſolebant. Unde Ruthæ Moabitidis à Booz propinquo ſuo, cui ipſa uxor debebatur, poſtulatū (Ruth. 3.9.) *Expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es.* Quod Chaldæus Paraphraſtes ſic extulit: *Vocetur nomen tuum ſuper ancillā tuam, ad accipiendū me in uxorem.* Ipſe Dominus conjugium ſuum ſpirituale cum Eccleſia deſcribens Ezech. 16. 8. *Expandi*, inquit, *amictum meum ſuper te*, ſub maritali tutela ſe eam recepiſſe innuens, quo nomine ipſi etiam obedire tenebatur.

Bibl. Proclive eſt ſuſpicari, ſimile quid voluiſſe ſponſam Cant. 2. 3. cùm ait: *Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi.* Nec hallucinabitur (mea quidem ſententia) qui angelum ad hanc ſponſalem obumbrationem reſpexiſſe dixerit, dicentem Luc. 2. 35. Mariæ virgini caſtiſſimæ: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi* INUMBRABIT *te; propterea id etiam quod naſcetur, &c.*

Polyt. Moſcovitas à Judæis morem huic ſimillimum hauſiſſe crediderim. Quorum ſponſi, autore Herberſteinio, ſponſam ſuam, ante ædes procidentem, tunica ſua operiunt, ut teſtentur ſe tutelam ejus ſuſcipere paratos.

Arch. Judæorum verò, qui poſterioribus hiſce ſeculis vixerunt, mores nonnihil à ſuperioribus diſcrepant. Fide conjugali utrimq; jam data, multi quà juvenes, quà ſenes, conveniunt in magnum quoddam ſolarium. Juvenum quilibet ollā manu tenet. Palam deinde tabulæ, contracti conjugii teſtes, præleguntur, in quibus, præter alia, Nuptiis celebrandis certus dies præſtituitur, & parti non præſtanti ea, quæ tabulis continentur, quinquaginta florenorum, qui parti alteri injuria affectæ ſint ceſſuri, mulcta irrogatur. Exinde *Mazal tobh.* id eſt, *bonum planetam* ſibi mutuò precantur, eâque formulâ ſingularem in liberis gignendis benedictionē vovent. Unde & annulo pronubo, quo ſponſa donabatur,

batur, idem illud ipſum inſcribebatur. Et ſanè haud abſimili voto Rebeccam abeuntem ad ſponſum Iſaac mater fraterque proſecuti ſunt (Gen. 24. 60.) *Mater eſto*, ajebant, *mille myriadum, & hæreditario jure poſſideat ſemen tuum portam inimicorum ſuorum*. Cæterùm quod de planetarum in generatione vi & efficacia affirmanus liquidò liquet ex illo Hebræorum proverbio, quo aſſerunt; *Non eſſe ullam herbam inferius, cui non ſit Mazal in firmamento, & Mazal ferire ipſam, & dicere ei: Creſce*. Sed ut eò unde deflexit revertatur oratio, adſtantes Judæi ollas, quas manu tenent, cōfeſtim in terram evibrant, atque confringunt, fortunam proſperam rerumq; abundantiam eo ſignificari arbitrantes, in qua nempe ollarum paucarū ruptio parum detrimenti afferre queat, ut noſtrates loqui amant. Pridie Nuptiarū ſponſa per mulieres, ut ſe aqua frigida lavet, non ſine tinnitibus, ſaltationibus atque choreis, unde ſponſam eſſe dignoſci queat, deducitur. Sponſus quoque ſponſæ, & hæc viciſſim illi cingulum mittit. hæc quidem bullis argenteis diſtinctū; ille vero bullis aureis variegatum. Cauſſam Judæus quidam hanc proferebat, quòd ſemen virile album argento, at verò ſemen muliebre rubrum auro adumbraretur. Quam rationem (ut ſunt Judæorum pleraque) Doctiſſimus Buxtorfius jure meritoq; cenſet eſſe putidiſſimam.

PHIL. Lavandi ante Nuptias conſuetudinē Dardani ſive Dardanenſes à Judæis accepiſſe videntur. Nam Ælianus & Nic. Damaſcenus referunt, *Dardanenſes Illyricos ter ſolummodo per univerſam vitam lavari, poſt partum, cùm Nuptias ineunt, & cùm mortem obiverunt*. Quomodo & Babylonios poſt Venerem lavari teſtatur Herodotus lib. 1.

ARCH. Antequam verò in Synagogam benedictionem conſequendi gratia deducitur ſponſa, à mulieribus pronubis pectitur, cincinnuliſque pulchellis, affabrè

plicatis, ornatur, nec non cantionibus choreiſque exhilaratur. Atque nè operoſè ac ſplendidè inſanire magnoq; conamine magnas nugas agere viderentur, Rabbinos, non infimi ſubſellii ſapientes, in præſidium ſubſidiumque vocant, qui in Talmud ſuo (adeò *depuduit, profuguſque pudor ſua ſigna reliquit*) ſcribere non ſunt veriti, ipſum Deum (ut modò retulit Philiſtor) Evæ cincinnulos in paradiſo plicaſſe, eique præcinentem choreas unà duxiſſe, quod inde ſeſe expiſcari poſſe autumant, quod Geneſ. 2. 22. ſcriptum ſit; *Et adduxit eam ad Adamum*.

Bibl. Enimverò iſtuc eſt ſapere! quaſi Deus Evam adduxerit ad Adamũ, veluti ſponſa ad ſponſum ſaltando atq; canendo deduci aſſolet. Riſũ teneatis, amici, ad has καλαβαυκαλίσεις?

Polyt. Sed jam miſſionem à te impetrandi tempus eſt, Archæologe, nocte ferè eunte in diem. Ideo poſtremum hoc poculum libo, & benè te, bene ſponſam, benè τὸν γαμβρὸν μελλόγαμον, dico.

Arch. Benè vivas.

Bibl. Non facile hujus convivii memoria excidet, unde doctior & melior domũ revertor, mihiq; licebit εὖ δειπνεῖν μᾶλλον εἰς ὑστεραίαν ἢ τὴν παροῦσαν ἡμέραν, quod à Socratis cœna revertentibus uſu veniſſe ajunt.

Phil. Cœnã dediſti dictis miſſibuſq; dapſilem, aureſque, oculoſque, palatum, animumque paviſti ac recreaſti maximè. Sed ſat nunc Libero litatum, Somno concedendum eſt, niſi protinus Dacnades, more Ægyptiorum, capiti alligatæ, morſicando, vellicando, & canturiendo oculis noſtris eum excutiant.

Arch. Quandoquidem id cenſetis atque uno ore ſic poſtulatis, annuo, ſed ea lege, ut ad me iterum promittatis, voſque affore ad diem Nuptiarum ſpondeatis, ut illum quoque hilarem ſumamus, & ſimili ſer-

mone

mone nos oblectemus denuo.

Polyt. Quando fient Nuptiæ?

Arch. Poſt menſem.

Polyt. Hem. ſat maturè nos invitas, niſi etiam hoc ab antiquitate eſt.

Arch. Benè conjectas. Sybaritæ (teſte Plutarcho in convivio ſeptem Sapientum) ante annum conſueverunt mulieres ad convivia invitare.

Polyt. Non miror mulieres. Etenim dum illæ moliuntur, dum comuntur, annus eſt. Viri ſumus, Archæologe.

Arch. Viros ergò accipe ante menſem quoque integrum (quod imitatum me vides) ad geniales epulas vocatos. Judæos Italos puto, qui hodie ad Nuptiale convivium triginta, ad alia vero convivia octo ante dies vocare ſuos conſueverunt.

Polyt. Magnum hercule nimis temporis intervallum ſponſis τοῖς ἐρωτομανοῦσι.

Arch. Quid ergo de illis Judæis ſentias, qui inter Sponſalia & Nuptias anni unius integri, aut minimùm decem menſium intercapedinem poſuerunt. idque faciendum ſibi ex reſponſo, quod frater materque Rebeccæ ſervo Abrahami dederunt, poſt Sponſalia perfecta, colligunt. Gen. 24. 55. *Reſideat hæc puella nobiſcum aliquot dies, ſaltem decem?* Ibi enim abſque ulla probabili ratione per decem dies totidem *menſes* intelligunt, quaſi *dies* idem ſit quod *menſis dierum*. Geneſ. 29. 14. cùm phraſis iſta ab illa plus quàm δὶς διὰ πασῶν diſcrepet. Certè nuſquam in V. aut N. Inſtrumenti libris aliquod definitum tempus inter deſponſationem & Nuptias reperio. Etſi Judæi, qui Nolam, Orientalis Campaniæ oppidum, incolunt, poſt fidem conjugalem utrimq; datam, ſponſas domi paternæ aliquot menſibus, interdum & anno integro ſervare παρθενεύουσας ſoleant.

Polyt. Non fruſtrà bis dare dicitur qui cito dat.

mundo Herberſteinio. Is narrat ſponſam à matre edoceri, nè prima nocte, qua ſponſus eam habiturus eſt, ullam vocem edat; néve audiri vel videri ſe ante craſtinum à ſponſo patiatur.

Bibl. Optimè mones, & tua illa narratione me manuducis ad conjecturam (ſi quis modò ei in Sacris libris locus) quam promere non pigebit. Etenim videre mihi videor eundem morem olim apud Judæos invaluiſſe, unde aliæ gentes & ipſi quoque Moſcovitæ eum hauſerint. Atq; hinc cauſam ſubodorari licet, ob quam Lea, Jacobo pro Rachele ſuppoſita, neq; ex voce, neq; ex vultu ac facie fuerit agnita. Et ſimile quid in voce προσφθεγκτηρίων latere arbitror, qua apud Græcos indigitabantur dona illa quę poſtridie Nuptiarum ſponſæ, ubi cum ea ſponſo ſermones miſcere concedebatur, dabantur. Quinimò Spartani ulterius progreſſi eam legē tulere, ut nè ſponſus uxorē videret interdiu, antequam eſſet mater.

Arch. Cauſam ἐχεμυθίας iſtius inveſtiganti incidit ſuſpicio, apud Moſcovitas, gentem, non minus quàm Iudæi, Zelotypam id non temerè fieri, ſed ab omnibus novis nuptis, quibus zona ſolvitur, obſervari, ut omnium famæ atque exiſtimationi pariter conſulatur. Solent enim nonnulli mariti ex nuptæ διαπαρθενευομένης voce ſive læta, ſive anxia & triſti virginitatis argumentum ſumere, & lætam ut vitii oblati, anxiam verò, utpote doloris teſtem, tanquam certum incorruptæ virginitatis indicium excipere. Eandem ergò ſententiam Moſcoviticorum maritorum animo ſedere arbitror, eorumque ſponſas, ut in commune conſulant, de matrum conſilio, vocem omninò premere, id ipſum quàm maximè ex uſu ſuo fore ratas. Sed longius quàm oportuit oratione provecti ſumus. vela contrahenda ſunt. Ego autem, ut nomen expungam, de Judæorum Sponſalibus di-

cendo, verba conferã maximè ad compendium. Perficiebantur ea ſub tentorio, in eum finem erecto, quod *chuppa* indigitabant. Quò reſpexit alluſitq; Regius vates Pſalmo 19. commate 5. & 6. cùm ait: *Soli diſpoſuit tentorium in eis. nam eſt tanquam* SPONSVS *prodiens* (mechuppato) *è thalamo ſuo.* Ibi verò ſponſa in manus ſponſo tradebatur, his verbis: *En tibi, cape hanc ſecundum legem Moſis.* Sic enim Saram à patre Raguele Tobiæ traditã legimus Tobiæ cap. 7. comm. 14, 15, 16. ac poſtea conſcriptas tabulas matrimoniales, quæ ibi συγγραφὴ appellantur, & quibus certam pecuniã doti dicebat ſponſus. In hunc autem fermè modum concipiebantur, ut ex Talmud Babylonico referunt Bertramus & Buxtorfius: *Sexto die hebdomadæ, quinto menſis Sivan, anno creationis mundi quinquies milleſimò ducenteſimo quinquageſimo & quarto, juxtà computationem, qua utimur hîc in civitate Maſſilienſi, Sponſus Rabbi Moſes, filius Rabbi Iehuda dicit Sponſæ Claronæ, filiæ Rabbi David, filii Rabbi Moſis, civi Liſbonenſi: Eſto mihi uxor ſecundum legem Moſis & Iſraëlis. Equidem juxta verbum Dei te colam, honorabo, defendam & regam, ſecundum morem maritorum Iudæorum, qui colunt, honorant, defendunt & regunt fideliſſimè ſuas uxores. Atque ita tibi dono dotem virginitatis tuæ denarios argenteos centum, qui juxta legem debentur tibi; atque inſuper victum, amictum, & neceſſaria omnia, ſimiliter & cognitionem tui, ſecundum morem & conſuetudinem omnis terræ.* Hunc in modum tabulis perſcriptis, mediæ ſcindebantur. Nam *hic erat,* inquit Lyranus, *modus antiquitùs, quòd in una parte chartæ ſcribebatur dos, & in altera parte chartæ donum propter Nuptias, & inter duas ſcripturas fiebant ſigna, per quorum medium ſcindebatur illa charta, & dabatur una portio viro, altera mulieri.*

BIBL. Quid illa in tabulis promiſſa *ſponſæ cognitio?* an τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν, Paulo dictam promittit?

ARCH. Maximè. Ita enim

ἄσκευοι, evirati, caſtrati, &, ut Cyprianus loquitur, virum in feminam fracti, omneſque ad Venerem impotentes, à connubio arcebantur, ſuaſque res ſibi habere jubebantur. Quàm primũ verò ſponſa in conſpectum ſponſi adducebatur, flammeo caput obnubebat, eoque maritali imperio ſubditam ſe propalam profitebatur, pudoremque ac verecundiam declarabat. Inde eſt quòd Rebecca, cùm audiret, virum illum, quem in agro deambulantem conſpicabatur, Iſaacum eſſe, cui erat deſponſata, *accepto peplo ſeſe operuerit* (Gen. 24. 65.) quódque Abimelech Saram ſocrum Rebeccæ increparit, ideò quia, ſeſe non tegendo, libidinis in ſe irritatæ cauſſa & occaſio fuerat. (Gen. 20. 16.) Quamobrem Apoſtolus, cùm poteſtati virili ſubditam uxorem, &, ut Juriſconſulti loqui amant, in perpetua mariti tutela eſſe, innuere voluit 1. Cor. 11. 10. *Debet*, inquit, *mulier* ἐξουσίαν, id eſt, *poteſtatem in capite habere*. Ubi per ἐξουσίαν, paſſivè ſumptam, velamen illud muliebre intelligit. Hebræus nempe ad Hebræum *radid*, (qua voce *velamen muliebre* appellant) reſpexiſſe non immeritò cuipiam videatur; præſertim cùm *radad*, unde *radid* deductum, *ſubdere* & *ſubjicere* denotet.

Bibl. Equidem tecum ſentire non abnuo, ſed diſpiciendum nihilominus hîc ſentio, an non tegmen illud ἐξουσία à Paulo dicatur, quòd ſubjectio illa mulierũ revera *poteſtas* ac *tutela* quædam ſit, in eas dirivata, quâ dum virgines erant, deſtituebantur. Hinc enim Judæis in lege mandatum accepimus (Num. 5. 18.) ut Zelotypus uxorem, de qua ſiniſtri quidpiam ſuſpicabatur, ad Sacerdotem adduceret, qui caput mulieris retegeret. quo ritu indicabatur; mulierem, niſi ſe ab omni hujuſmodi labe alienam, criminiſque expertem eſſe liquidò evinceret, in poſterum exutam omni poteſtate, qua pridem per maritum frue-

fruebatur. Quòd autem verecundiæ teſtandæ ergò velatas ſponſas virgineſque dicebas mirum in modũ mihi placet; eóque magis noſtri ſeculi impudentem laſciviam deteſtor & execror, ubi puellæ vultum oculoſque nõ ſolùm, ſed & mammillas nudo pectore, vel tenui nebula lintea ventoque textili duntaxat operto, palam ac publicè omnium oculis ingerunt. Inde enim illud Poëtæ Lyrici in corruptos ſeculi ſui mores: *Altera nil obſtat: Cois tibi penè videre eſt Ut nudam.* Nec temerè Propertio excidiſſe verbum illud cenſeo, ſed ut impudicas perſtringeret: *Indue me Cois, fiam non dura puella.* Certè apud omnes gentes, quæ honeſtati ſtuduerunt, mulieres, ac præſertim virgines, in publicum prodeuntes, caput velabant. Unde & Apoſtolus velari mulierem jubet. Immò quàm arctè huic legi ſeſe adſtrinxerit Romani inde clarum eſſe poteſt, quòd C. Sulpitius Gallus uxorem repudiarit, eam ſolùm ob cauſſam quòd aperto capite prodiiſſet; *Lex tibi,* inquiebat, *meos tantùm præfinit oculos, quibus & forman tuam approbes, & placere deſideres &c.* Ex crinium, capitiſque nudati aſpectu ſæpè libidinem exarſiſſe teſtatur ille apud Naſonem, qui dixit:

Hoc faciunt flavi crines & eburnea cervix,
Quæque, precor, veniant in mea colla manus.

Germanorum (Tacito autore) ea cura fuit, ut nè matronæ intecto capite in publicum prodirent, adulteriorum eam cauſſam eſſe rati. Atque iccircò adulteras capitis dehoneſtamento puniebant, ut unde libidinis incentivum eſſet profectum, ibi potiſſimùm vindicta ſæviret. Nam maritus adulteram, acciſis crinibus, coram propinquis nudatam, expellebat domo, ac per omnem vicum verbere agebat, ut ceteræ matronæ indè ſibi exemplũ caperent, nec niſi velatæ ſeſe conſpiciendas præberent. Mirum verò quantum ab hoc inſtituto Germani, Belgæque deſciverint deflexerintque, adeò

nullus pudor eſt laſcivis. Nam intecta jam ſunt multarum mulierũ capita. Nefas putant virginem alio argumento cognoſci, niſi, capillis per terga fuſis, & auræ impulſu temerè jactatis, in compitis, plateis, commeſſationibus, ſacriſq; conventibus caput (penè dixerim nulli non promercale) proſtituant. Quibus Tertullianum hîc audire ſatius eſſet, qui, cùm antiquum velandi virgines morem mutaſſe atque obſoleviſſe videret, ita ut Chriſtianæ virgines velis abſtinerent, quæ ex Lacedæmoniorum conſuetudine mulieribus tantùm injungebantur, oſtendit evincitque argumentis, quantũ poteſt, evidentiſſimis, in libro de velandis virginibus, S. Scripturam legem de velamine non ad ſolas conjugatas coarctaſſe, ſed omnibus ac ſingulis mulieribus condidiſſe, naturamque ipſam conteſtari, diſciplinam exigere. Hinc in eo, de quo agimus, libello ſedulò monet & urget, ut nè ſine velamine mulier aut virgo unquam ſit; & quid in muliere caput ſit declarans, *Sciant* (inquit) *quia totum caput mulier eſt. Limites & fines ejus eò uſque porriguntur, unde incipit veſtis. Quantum reſoluti crines occupare poſſunt, tanta eſt velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur. Ipſæ enim ſunt quas ſubjectas eſſe oportet; propter quas poteſtas ſuprà caput haberi debet; velamen jugum illarum eſt. Iudicabunt vos Arabiæ feminæ Ethnicæ, quæ non caput, ſed faciem quoq; ita totam tegunt, ut, uno oculo liberato, contentæ ſint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem proſtituere.* Ridens autẽ eas, quæ, linteolis ne ad aures quidem modicè demiſſis utentes, nudæ potiùs quàm caput tectæ viſuntur, *Miſereor*, ait, *ſi tam infirmo auditu ſunt, ut per tegmen audire non poſſint.* At verò ſerio rem tractans, ſic omnes obteſtatur: *Oro te, ſive mater, ſive ſoror, ſive filia, virgo, ſecundum annorum nomina, dixerim, vela caput: ſi mater, propter filios: ſi ſoror, propter fratres: ſi filia, propter patres. Omnes in te ætates periclitantur. indue armaturam pudoris, circumduc val-*

vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. Si qua verò mulier verecundiam ſolo capitis tegmine metitur, nec cæteris membris pari cura proſpicit, ſimiliter facit atque ſtruthiocàmelus, qui, cùm ſe à venatoribus urgeri videt, caput ſolùm inter fruteta condit,& ſic ſe latere putat, ſed, immani reliquo corpore intecto, venatoribus præda fit beſtia tota cum capite.

Polyt. Hunc velandi capitis morem in mulieribus ubique ſervavit Homerus. Penelopen namque pudicitię verecundiæq́; exemplar fingens, coram procis ſemper operto capite conſiſtere facit. In quo conſimilis fuit moribus Rebeccæ, quæ idem fecit, viſo Iſaaco. Nuptias autem à nubendo, id eſt, velando dictas quis neſcit? Tum etiam virginem Iudęis ab occultando appellatam norunt, qui Hebraicè ſciunt. Hinc *ἀνακαλυπτήριος ἡμέρα* dicebatur craſtinus dies Nuptiarũ,quo ſponſa primùm, ſummoto velo, detegebatur. Dona verò quæ ſponſus ei exhibebat, inde *θεώρητρα, ἀνακαλυπτήρια, ὀπτήρια*, &, ab alloquendo ſponſam, *προσφθεγκτήρια* dicebantur, ut Harmenopulus, Harpocratio,Suidas & Pollux teſtantur. Nec reticendum quòd, ſicuti ex Rebecca Syrorum antiquorũ morem expiſcati ſumus, ita hodiéque idem ipſis maneat. Nam qui in Syria & Arabia peregrinati ſunt referunt, mulieres miram in ſe velando curam atque diligentiam ponere, & cum capite faciem quoque unà tegere, vix exigua rimula relicta, per quam proſpicientes iter dirigant. Nunc verò, Archæologe, perge ſodes quod cœpiſti oratione perſequi.

Arch. Ad hanc, de qua mentionem feci, mariti poteſtatem in uxorem ſignificandam faciebat & alius veterum Judæorum ritus, quo ſponſi ſponſas ſuas veſte vel pinna pallii ſui, (ut Hieronymus loquitur) tegere atq́;

obnubilare ſolebant. Unde Ruthæ Moabitidis à Booz propinquo ſuo, cui ipſa uxor debebatur, poſtulatū (Ruth. 3.9.) *Expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es.* Quod Chaldæus Paraphraſtes ſic extulit: *Vocetur nomen tuum ſuper ancillā tuam, ad accipiendū me in uxorem.* Ipſe Dominus conjugium ſuum ſpirituale cum Eccleſia deſcribens Ezech. 16.8. *Expandi*, inquit, *amictum meum ſuper te*, ſub maritali tutela ſe eam recepiſſe innuens, quo nomine ipſi etiam obedire tenebatur.

Bibl. Proclive eſt ſuſpicari, ſimile quid voluiſſe ſponſam Cant. 2.3. cùm ait: *Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi.* Nec hallucinabitur (mea quidem ſententia) qui angelum ad hanc ſponſalem obumbrationem reſpexiſſe dixerit, dicentem Luc. 2. 35. Mariæ virgini caſtiſſimæ: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi* INUMBRABIT *te; propterea id etiam quod naſcetur, &c.*

Polyt. Moſcovitas à Judæis morem huic ſimillimum hauſiſſe crediderim. Quorum ſponſi, autore Herberſteinio, ſponſam ſuam, ante ædes procidentem, tunica ſua operiunt, ut teſtentur ſe tutelam ejus ſuſcipere paratos.

Arch. Judæorum verò, qui poſterioribus hiſce ſeculis vixerunt, mores nonnihil à ſuperioribus diſcrepant. Fide conjugali utrimq; jam data, multi quà juvenes, quà ſenes, conveniunt in magnum quoddam ſolarium. Juvenum quilibet ollā manu tenet. Palam deinde tabulæ, contracti conjugii teſtes, prælegunturin quibus, præter alia, Nuptiis celebrandis certus dies præſtituitur, & parti non præſtanti ea, quæ tabulis continentur, quinquaginta florenorum, qui parti alteri injuria affectæ ſint ceſſuri, mulcta irrogatur. Exinde *Mazal tobh.* id eſt, *bonum planetam* ſibi mutuò precantur, eâque formulâ ſingularem in liberis gignendis benedictionē vovent. Unde & annulo pronubo, quo ſponſa donabatur,

batur, idem illud ipſum inſcribebatur. Et ſanè haud abſimili voto Rebeccam abeuntem ad ſponſum Iſaac mater fraterque proſecuti ſunt (Gen. 24. 60.) *Mater eſto*, ajebant, *mille myriadum, & hæreditario jure poſſideat ſemen tuum portam inimicorum ſuorum*. Cæterùm quod de planetarum in generatione vi & efficacia affirmanus liquidò liquet ex illo Hebræorum proverbio, quo afferunt; *Non eſſe ullam herbam inferius, cui non ſit Mazal in firmamento, & Mazal ferire ipſam, & dicere ei: Creſce*. Sed ut eò unde deflexit revertatur oratio, adſtantes Judæi ollas, quas manu tenent, cōfeſtim in terram evibrant, atque confringunt, fortunam proſperam rerumq́; abundantiam eo ſignificari arbitrantes, in qua nempe ollarum paucarū ruptio parum detrimenti afferre queat, ut noſtrates loqui amant. Pridie Nuptiarū ſponſa per mulieres, ut ſe aqua frigida lavet, non ſine tinnitibus, ſaltationibus atque choreis, unde ſponſam eſſe dignoſci queat, deducitur. Sponſus quoque ſponſæ, & hæc viciſſim illi cingulum mittit. hæc quidem bullis argenteis diſtinctū; ille vero bullis aureis variegatum. Cauſſam Judæus quidam hanc proferebat, quòd ſemen virile album argento, at verò ſemen muliebre rubrum auro adumbraretur. Quam rationem (ut ſunt Judæorum pleraque) Doctiſſimus Buxtorfius jure meritoq́; cenſet eſſe putidiſſimam.

PHIL. Lavandi ante Nuptias conſuetudinē Dardani ſive Dardanenſes à Judæis accepiſſe videntur. Nam Ælianus & Nic. Damaſcenus referunt, *Dardanenſes Illyricos ter ſolummodo per univerſam vitam lavari, poſt partum, cùm Nuptias ineunt, & cùm mortem obiverunt*. Quomodo & Babylonios poſt Venerem lavari teſtatur Herodotus lib. 1.

ARCH. Antequam verò in Synagogam benedictionem conſequendi gratia deducitur ſponſa, à mulieribus pronubis pectitur, cincinnuliſque pulchellis, affabrè

plicatis, ornatur, nec non cantionibus choreiſque exhilaratur. Atque nè operoſè ac ſplendidè inſanire magnoq; conamine magnas nugas agere viderentur, Rabbinos, non infimi ſubſellii ſapientes, in præſidium ſubſidiumque vocant, qui in Talmud ſuo (adeò *depuduit, profuguſque pudor ſua ſigna reliquit*) ſcribere non ſunt veriti, ipſum Deum (ut modò retulit Philiſtor) Evæ cincinnulos in paradiſo plicaſſe, eique præcinentem choreas unà duxiſſe, quod inde ſeſe expiſcari poſſe autumant, quod Geneſ. 2. 22. ſcriptum ſit; *Et adduxit eam ad Adamum*.

Bibl. Enimverò iſtuc eſt ſapere! quaſi Deus Evam adduxerit ad Adamũ, veluti ſponſa ad ſponſum ſaltando atq; canendo deduci aſſolet. Riſũ teneatis, amici, ad has *καλαβαυκαλίσεις?*

Polyt. Sed jam miſſionem à te impetrandi tempus eſt, Archæologe, nocte ferè eunte in diem. Ideo poſtremum hoc poculum libo, & benè te, bene ſponſam, benè τὸν γαμβρὸν μελλόγαμον, dico.

Arch. Benè vivas.

Bibl. Non facile hujus convivii memoria excidet, unde doctior & melior domũ revertor, mihiq; licebit ἐυ δειπνεῖν μᾶλλον ἐις ὑςεραίαν ἢ τὴν παροῦσαν ἡμέραν, quod à Socratis cœna revertentibus uſu veniſſe ajunt.

Phil. Cœnã dediſti dictis miſſibuſq; dapſilem. aureſque, oculoſque, palatum, animumque paviſti ac recreaſti maximè. Sed ſat nunc Libero litatum, Somno concedendum eſt, niſi protinus Dacnades, more Ægyptiorum, capiti alligatæ, morſicando, vellicando, & canturiendo oculis noſtris eum excutiant.

Arch. Quandoquidem id cenſetis atque uno ore ſic poſtulatis, annuo, ſed ea lege, ut ad me iterum promittatis, voſque affore ad diem Nuptiarum ſpondeatis, ut illum quoque hilarem ſumamus, & ſimili ſermone

mone nos oblectemus denuo.

Polyt. Quando fient Nuptiæ?

Arch. Poſt menſem.

Polyt. Hem. ſat maturè nos invitas, niſi etiam hoc ab antiquitate eſt.

Arch. Benè conjectas. Sybaritæ (teſte Plutarcho in convivio ſeptem Sapientum) ante annum conſueverunt mulieres ad convivia invitare.

Polyt. Non miror mulieres. Etenim dum illæ moliuntur, dum comuntur, annus eſt. Viri ſumus, Archæologe.

Arch. Viros ergò accipe ante menſem quoque integrum (quod imitatum me vides) ad geniales epulas vocatos. Judæos Italos puto, qui hodie ad Nuptiale convivium triginta, ad alia vero convivia octo ante dies vocare ſuos conſueverunt.

Polyt. Magnum hercule nimis temporis intervallum ſponſis τοῖς ἐρωτομανοῦσι.

Arch. Quid ergo de illis Judæis ſentias, qui inter Sponſalia & Nuptias anni unius integri, aut minimùm decem menſium intercapedinem poſuerunt. idque faciendum ſibi ex reſponſo, quod frater materque Rebeccæ ſervo Abrahami dederunt, poſt Sponſalia perfecta, colligunt. Gen. 24. 55. *Reſideat hæc puella nobiſcum aliquot dies, ſaltem decem?* Ibi enim abſque ulla probabili ratione per decem dies totidem *menſes* intelligunt, quaſi *dies* idem ſit quod *menſis dierum*. Geneſ. 29. 14. cùm phraſis iſta ab illa plus quàm δὶς διὰ πασῶν diſcrepet. Certè nuſquam in V. aut N. Inſtrumenti libris aliquod definitum tempus inter deſponſationem & Nuptias reperio. Etſi Judæi, qui Nolam, Orientalis Campaniæ oppidum, incolunt, poſt fidem conjugalem utrimq; datam, ſponſas domi paternæ aliquot menſibus, interdum & anno integro ſervare παρθενεύουσας ſoleant.

Polyt. Non fruſtrà bis dare dicitur qui cito dat.

Sed næ ego ridiculè verboſus ſum, qui, honeſtam miſſionem conſecutus, diſcedentibus aliis, dilapſoque Polytropo, & tacente Bibliaco, etiamnum tecum ſolus contendo. Vel tandem ergò vale, humaniſſime Archæologe.

Arch. Et vos pariter, amici amino meo exoptatiſſimi,

Ὄλβιοι εὐνάζοισθε καὶ ὄλβιοι αὖ ἴκοισθε.

Felix ſopor vos irriget,
Eoſque læta proſperet.

Ja-

Jac. Lydii
Sermonum Conviva-lium Liber Secundus;
ſive
Dialogus
De vario Nuptiarum ritu.

Collocutores:

ARCHÆOLOGVS, BIBLIACVS, POLYTROPVS, PHILISTOR.

Philistor. Illuxit vel tandem optatum illud tempus ſponſo noſtro, cui nunc multo candidior ire dies ac Sol meliùs nitere videtur.

Polyt. Utique ex ſereno benignoque cœli, cujuſmodi nunc eſt, aſpectu proſpera ominari ſolent noſtrates; è triſti turbidoque verò ſecus. Nec alia veteribus mens fuit, quorum Nuptias cœlum obſcurum tempeſtatibuſq; turgidum protollebat. auſpiceſq; iccircò adhibebantur, qui in cœli ſtatum inquirerent.

Phil. Unde autem iſthæc in te ſubita mutatio? Nam qui omnē molliorem ornatum hactenus reſpuiſti, & ad hiſtriones, cinædos, agyrtas, & catamitos ablegaſti, nunc Theſſalicis veſtibus ac holoſerico thorace ſplendidus prodis, omniumque oculos cogitationeſque in te convertis.

Polyt. Nemo quiſquam quadratum hunc propoſitique tenacē animum à ſtatione ſua dimovebit. Sed nunc tempori me tempero, & ſcenæ huic nuptiali aliquantiſper ſerviendū duco. Dulce enim

enim eſſe deſipere in loco vetus fert opinio. Sponſa me hiſce volentem nolentem induit.

PHIL. Quid, ais? niſi fortè moris eſt antiqui, mi Philiſtor antiqua virtute & fide conſpicue.

POLYT. Ne ride. nam revera ſic vetuſto ſeculo obtinuit. Euſtathius in Odyſſ. mihi teſtis, quippe qui eos qui ſponſum cognatione attingebant, tempore Nuptiarum à ſponſa veſtibus pretioſis donatos commemorat. Peregrinus autem es in patria, ſi eam conſuetudinem ad nos quoque commigraſſe neſcis.

PHIL. Sed, ſi ita tibi videtur, nec reſpuis conſiliū, liberiori aeri nos exponamus, &, tantiſper dum convivæ confluunt, in iſthoc cavædio ſive impluvio deambulemus. Equidem elegantem harum ædium ſtructuram, exactam partium ſymmetriam, & congruentes conſpirantesque omnes proportionum rationes demiror, quæ & commoditatem ad uſum præſtant, & ad decorem nil reliqui faciunt.

POLYT. Idem mihi quoque videtur, & quo diligentius omnia contemplor exteriora, parietes euſtylos Italico opere ſtructos, eorumque coronas, podia penſilia, exedras, & tectorum loriculas, eò magis tecum in eandem conſpiro ſententiam, & de interiorum contignationum ἐυρυθμίᾳ ſimul judicium fero.

PHIL. Magis iſtud dicas, ſi triclinium, cubicula, cœnaculum, inq; iis ſupellectilem exquiſitiſſimā perſpexeris. Summum tectum duntaxat nunc vide, quod è laminis, ſerra dentata, inſtar ligni, ex atro quodam lapide reſectis, conſtructum eſt. Pavonaceū à Plinio lib. 36. cap. 22. dici nonnulli autumant, quòd, dum lapidum ſectilium aſſulæ aliæ aliis longo ordine incumbentes conſtruuntur, caudam pavoninam aliquatenus referat.

ARCH. Quoſnam inter vos ſermones ſeritis, quidve tam emiſſitiis oculis contuemini?

POLYT. Stupendam artificis,

tificis, qui elaboratiſſimum in his ædibus exſtruendis architectonices ſpecimen edidit ſollertiam collaudamus, qui & ad ſpeciem opus elegans, & quod ætatem ferre poſſit, ædificavit.

Arch. Alios in hoc tempus conjectos ſermones ecquid meminiſtis? Tum & animū veſtrum jamdudum oportuit eſſe in patinis, non in parietibus.

Polyt. Quandoquidem ad antiquitatem nos revocas, Archæologe, ad eandem nunc provocare libet, ut pro nobis cauſam dicat, & Archæologo ἀρχαῖον λόγον, pro clypeo, opponat. Ariſtophanis interpretem legiſti, opinor. Is à convivis, antequam cibi inferrentur, (credo ut ſermonibus famem eſuriemque fallerent) vaſa aliamque ſupellectilem, nec non ipſam domum, laudatam olim fuiſſe, narrat.

Arch. Satiſfeciſtis de hoc quidem uno. Sed reſtat veterius nomen vobis pariter expungendum. Et de Nuptiarū antiquis nec non hodiernis ritibus differendum.

Polyt. Ubi copiæ tuæ ſatis erunt inſtructæ, menſæ, inquam, geniali accubuerimus, nos, ſimulac ſignum dederis, facturos quæ imperaveris, Imperator ſenties.

Arch. Sed, ecce, ſtructor nutu nobis ſignificat, parata eſſe omnia. Ergo accumbamus, rogo. & priſcam legem teneamus, ut ne ſpatiis iniquis diſcludamur: ſed, ut in Sponſalibus fieri memini, proximi mihi conſideatis. Idem enim Bibliaco, qui convivis reliquis immixtus conſiſtit (quandoquidē eam mihi poteſtatem defertis) imperabo.

Phil. Quid autem illum convivas omnes aſſidentes recenſentē video, & unumquemque oculis diligenter notantem.

Arch. Utique ambigere videtur an omnes vocati adſint.

Phil. Fortaſſis etiā numnam plures advenerint, præter vocatos, ut muſcas abigat. Sic enim initio augurabar,

rabar, gynæconomum à te, qui cuncta fermè ad antiquitatem exigere amas, vel in ſpeciem adhibitum, ut convivarum numerum iniret. Ita enim antiquitùs fieri cōſueviſſe noſti, ut umbras arcerent.

Arch. Vera narras. Et fertur lepidum paraſiti cujuſdam reſponſum, qui, convivas in Nuptiis numerante gynæconomo, cùm fortè poſtremus accumberet, juſſus fuit domuitionem parare, ut qui contra leges ſuprà numerum triginta convivarum adveniſſet; At ille; Numera, inquit, denuò, & à me initium ſume. nam ſic ultra numerum legitimum non ero. Verùm ne in alienum à priſtino (ut meminiſtis) inſtituto ſermonem, quæ linguæ volubilitas eſt, delabamur, certis nos cancellis includamus, & hac lege nos pariter ligemus, *Nemo quiſquam in Nuptiis non nuptiale loquatur, nec quidquam quod in hoc argumento occultioris ſit eruditionis tacitum habeat, invidoque ſilentio involvat. Si quis ſecus faxit, Iovem Gamelium, Iunonem, Venerem, Dianam, Hymenæum, & ſi qui præterea ſunt Dii Deæque Nuptiales iratos habeat.* Velitis, jubeatis, amici, uti hæc lex rata ſit?

Phil. Placet; & ſic quoque reliquorum ſilentium interpretor.

Bibl. Ego verò ut legem perroges non abnuo, præſtantiſſime Archæologe: Verumtamen hoc amplius cenſeo: A verborum ſcurrili obſcœnitate, quantum poteſt, abſtinendū; tū etiam à teipſo ſermonem hunc inchoandum. Quia autem eum feſtivum ac lepidum fore prævideo, diuturnum noſtrū ſilentium ne metue. neque enim ab erudita rerum feſtivitate me alienum putate.

Arch. Quandoquidem ὁμοθυμαδὸν, unoque ore hoc poſtulatis, refragari vobis haud æquum eſſe arbitror. Si autem voto veſtro atque expectationi minùs ſatiſfecero, erit cur veſtram inconſiderantiam damnetis, quòd huic homini, tot convivas

vivas benè habendi curâ diſtricto, eam provinciam aſſignaveritis. Et quàm magis ferculorum lenocinia, artiſque opſodædalicæ ſpecimen exhiberi vobis conſpicitis, tam magis jejunam & à ſcitamentis vacuam orationem expectate. Nam, ſi ex vero judicabitis, dicetis ſubinde Homericum illud:

Ἀλλ᾽ ȣ̓ οἱ χάρις ἀμφιπεριστέφεται ἐπέεσσιν.

Cùm autem ulterius proſpicio, cœlum mihi undique & undique pontus. adeò unde telam meam exorſurus, aut ubi detexturus ſim incertus ſum. Littus ergò legam, &, veterum, quà Græcorum quà Latinorum, inſtitutis moribuſque pleriſque inſuper habitis (quoniam in ipſorum monumentis perſcrutandis ætatem triviſtis) propiora conſectabor: & id ipſum quod hodie pariter ſpectavimus & cujus pars magna fuimus vobiſcum repetam. Quotuſquiſque enim in noſtris moribus venerandam illam antiquitatem ſagaci nare ſubodoratur? quam tamen inibi, tanquam cineribus tectam, vel levi pulviſculo inductam, latere ſi planum fecero, non exiguum operæ pretium id fore cenſeo. Noſtis, & coram id impræſentiarũ contueri licet, ſponſas noſtras ipſo Nuptiarum die tam adcuratè comptas, politas, ornataſque prodire, ut multorum etiam dierum operam in eo poſitam non obſcurè arguant. At verò apud Iudæos & Perſas idem factitatum legiſtis. Nam lavando & ungendo, non ſolùm ſordes eluere conſilium fuit, verùm etiam in ἐυοδμίᾳ cutiſque lævore ac nitore comparando operam haud ſegnem poſuêre. Naëmi (ut in libro Ruth. cap. 3. relatum invenimus) nurum ſuam Ruth morem modumq; ad thalamũ Boozi ſeſe præparandi edocens, *Lavare*, inquiebat, *& ungere, & induere cultioribus veſtimentis*. Atque hoc beneficium ipſemet Deus ſponſæ ſuæ (ut quæ ſpirituali pulchritudini

ſibi

ſibi conciliandæ impar erat) ſe præſtitiſſe apud Ezechielem commemorat cap. 16. cùm inquit: *Lavi te aquâ, & unxi te oleo*. Multo autem evidentiùs id ex Perſici Gynæcei legibus liquebit, ubi puellas Regis animum in amorē pellecturas ſex menſibus oleo myrrhino, totidemque aliis novo rurſus pigmentorum aromatumq; genere unctas atque delibutas accepimus.

Bibl. Non mirantur, qui præter ſponſas, cæteras inſuper mulieres Judaicas adeò harum unctionum ſtudioſas fuiſſe cogitant, ut alia omnia ſibi deeſſe potiùs æquo animo paterentur, quàm oleum ornatui & unctionibus. Inde enim eſt quòd vidua illa *σύγχρονος* ſancti Eliſæ, etſi res ejus eſſent adeò pauperculæ, tamque gracili viveret lare, ut, liberis ſuis creditori in ſervitutē traditis (quòd es alienum diſſolvere alia ratione nequiret) ne panem quidem, quo ſe filióſque ſuſtentaret, domi haberet, oleo tamen, quo ſe ungeret, non omninò deſtitueretur. Hoc etenim verba ejus ad Eliſam, cujus opem implorabat, evincunt: *Non eſt ancillæ tuæ quicquam domi, niſi lecythus olei*.

Arch. Ad connubii conſummationem confluebant cum ſponſo & ſponſa minimùm decem in domum *Beth hillula*, ideſt, *domum laudis*, quòd Deus inibi laudibus celebraretur. Hîc ſponſum amicorum intimi, Epithalamium concinendo, honorabant; qui Matth. cap. 9. comm. 15. *υἱοὶ νυμφῶνος*, *filii thalami*; & Joh. cap. 3. comm. 29. *φίλοι τοῦ νυμφίου*, *amici ſponſi* appellari mihi videntur.

Bibl. Rectè conjectas. Tales autem fuiſſe quoque triginta illos ſodales, qui Simſoni in Nuptiis affuiſſe Judic. cap. 14. memorantur, Theologi judicant.

Arch. Horum princeps ac ſummus, accepto calice, ei benedicebat, inquiens: *Benedictus es, ô Domine Deus noſter, Rex mundi, qui creaſti fructum vitis*. Poſtea Deo gratias agebat pro creatione homi-

hominis ad imaginem ſuam. Tandem verò addebat: *Benedictus es, ô Domine Deus noſter, qui creaſti lætitiam & gaudium, ſponſum & ſponſam, charitatem & amorem fraternum, exultationem & recreationem, pacem & ſocietatem. Obſecro te, o Domine, audiatur hîc ſtatim in civitatibus Iudæ & plateis Hieroſolymæ vox gaudii & lætitiæ, vox ſponſi & ſponſæ. Vox exultationis in thalamo dulcior eſt quolibet feſto, & liberi dulciores dulcedine cantus.* Quibus finitis, calicem conjugibus propinabat.

Bibl. Singulare ſanè Dei donum liberos eſſe exiſtimarunt, qui ſic orarunt. Unde & illud ab Hebræorum Magiſtris profectum, *Quatuor claves in manu Dei eſſe,* nempe *clavem pluviæ, clavem cibationis, clavem ſepulchrorum, & clavem ſterilitatis,* pluviam, cibum, reſuſcitationem corporum mortuorum, & procreationem liberorũ in manu Dei eſſe innuentibus.

Arch. De veteribus Judæis tantum eſt. Nunc ad poſteriora ſecula deſcendere conſilium eſt, quibus benedictio Nuptiarum in propatulo peragitur, ſub cœlo vel tentorio, quod, quatuor perticis annexum, à totidem pueris, defertur in plateam vel hortum quempiam, ubi Nuptiarum conſecratio eos manet. Etiam ſub cœlo aperto ea fiebat, ut promiſſionis Abrahamo datæ, de poſteris ejus ita multiplicandis, ut ſtellarum cœli numero æquipararì poſſent, memoriam celebrarent. Etenim exire tunc foras juſſus eſt, ut liber in cœlum ei pateret ſuſpectus. Gen. 15. 5. Huc ſponſus viris quibuſdam comitatus ſe confert, ſucceditque ei ſponſa cum mulieribus, non ſine inſtrumentis Muſicis. Tum quiſque adſtantium vocem tollens vociferatur: *Baruch habbha*, id eſt, *Benedictus eſto qui venit*. Sponſa verò, non quidem ſponte ſua, ſed per alios adacta, more galli gallinacei gallinam circumcurſantis, ſponſũ circumit, juxtà illud, (ut inquiunt) Jerem. cap. 31. comm. 22. *Femina circumdabit virum*. Sponſus itidem, apprehendens ſponſam ſemel

mel eam in gyrum agit & circumducit. Tunc verò populus triticũ ſuper ſponſam jacit, rem familiarem uberem largamque præſagiens, ut ipſimet teſtantur. Etſi ſeminis liberorumque multitudo meliùs hoc pacto adumbretur; maximè quia ſpargentes clamant: *Pru urebbu*, hoc eſt, *Creſcite ac multiplicate vos*. Adhęc ſponſa ſponſo latus dexterum claudit, ideò quia ſcriptum, Pſal. 45. 10. *Collocata eſt conjunx ad dexteram tuam, cum inſigni auro Ophirio*.

Bibl. Videor mihi videre maritos illos qui (dignitatis ſuæ immemores) uxoribus digniorem ubique locum concedunt hinc patrocinium petere.

Arch. Fortaſſis, dote accepta, imperium ſe vendidiſſe ſignificant.

Phil. Immò illos, qui in uxores imperiũ uſurpant plùs quàm tyrannicum, videas hoc quaſi ſtratagemate ſuſpicionẽ atrociſſimi iſtius criminis ereptum ire. Sed hiſce ne immoremur.

Polyt. Gyros autem illos Judaicos, Archæologe, apud veteres etiã in Nuptiis uſurpatos, Valerius Flaccus lib. 8. innuere videtur:

Inde ubi ſacrificas cum conjuge venit ad aras
Æſonides, unáque adeunt, pariterque precari
Incipiunt; ignem Pollux undamque jugalem
Prætulit, ut dextrum pariter vertantur in orbem.

Etenim ominis cauſa, cùm ad aras veniſſent novi conjuges, ut ibi genialis lecti ſacramenta condicerent, in orbem dextrum converti ſolitos C. Barthius ſe primum inde obſervaſſe ait Adverſ. lib. 2. cap. 10.

Arch. Præterieram fermè, quod in poſtremis nequaquam memorandum eſt, Vultum Judęorũ ſponſorum Meridiẽ verſus dirigi oportuiſſe. quoniam Rabbini in Thalmud perhibent, Eum qui Meridiem vel Aquilonem verſus, (ea nempe ratione, ut decumbentium facies Meridiem ſpectaret) lectum ſuum collocaverit πολύγονον multæque prolis parentem fore.

Cre-

Bibl. Credas hiſce Arcadicis pectoribus læva ſub parte mamillæ quidquam ſalire.

Arch. Plura audies. aures modò arrige. Poſtquam Rabbi benedictionem ſponſis impertivit, poculum porrigit, atque inde bibere eos jubet. Si ſponſa virgo ſit, poculum vitreum ſumitur oris anguſti, ſin vidua, lati. Cauſſam addam, vel exſupervacuo.

Bibl. Parce operæ. nam cauſſa ſatis in aperto eſt. Sed perge narrare, obſecro.

Arch. Gratiis actis, quòd conjugium ritè coaluerit, rurſus poculum ſponſis exhibet, ut ex eo pitiſſando bibant. Hiſce peractis, ſponſus vitrum parieti terræve allidit ac confringit, in memoriam deſtructionis templi Hieroſolymitani. Eſt ubi & cinerem capiti inſpergit, exuſtionem ejuſdem templi in memoriam ſibi revocans.

Polyt. Johannes Heidfeldius, autor Sphingis Theologico-philoſophicæ, in celebri quadam urbe, ubi Judaicæ Nuptiæ fiebant, ritus illius teſtis fuit oculatus, ſed cauſſam ejus aliam aſſignat, vitæ, videlicet, humanæ fragilitatem, rerumque hujus mundi deſultoriam levitatem atque inconſtantiam, quæ vitro quovis ſunt fraligiores. Quamobrem à Spiritu Sancto orbem hunc ſublunarem mari vitreo aſſimilatum videre eſt Apoc. cap. 4. comm. 6. Itaque vitri fractione ſponſus monebatur, omnem voluptatem eſſe evanidam, felicitatemque, vel maximam, inter περιπέτεία χρήματα vel maximè eſſe numerandam. Quippe enim fortuna, vitrea cùm ſit, ubi ſplendet, frangitur, ac mobilitate ejus nil certius atque magis fixum.

Arch. Quoties autem ſponſæ, cùm domum ducitur, ante ædium veſtibulum primove in limine oſculum figitur, Perſas cogito, qui manu non ſolùm data, ſed & oſculo libato ſponſas in poteſtatem tutelamque ſuam recipiebant, teſte Arriano, lib. 7. Hiſtor. Alexandri Magni. Atque ita in memoriam redeo gravis ac ſe-

veræ antiquitatis, cùm non virginitas ſolùm illibata, ſed & oſcula ad virum perferrentur. Neque enim præter cognatos cognataſque oſculari quempiam fas erat. Propertius eò reſpexit ad Cynthiam ſcribens;

Quin etiam falſos fingis tibi ſæpè propinquos,
Oſcula nec deſunt qui tibi jure ferunt.

Ubi verò animus utriuſque ſtrictiſſima ſtipulationis formula cōcatenatus ac devinctus erat, oſcula baſiaque libare ſponſis licebat. Quippe cùm in baſio ferendo ſpiritus corpuſq; utrimq; commiſceantur, ad omnem comitatem blanditiaſque amatorias longè quàm ante procliviores ſe palam demonſtrabant. Quod quidem in oſculis illis, ubi labellis labella teruntur extra dubitationis aleam poſitum eſt. Ea enim verè ſunt ſuavia illa στεϑιακὰ, amatoria & libidinoſa,

Qualia non fratri tulerit germana ſevero,
Sed tulerit cupido mollis amica viro.
Qualia credibile eſt non Phœbum ferre Dianæ,
Sed Venerem Marti ſæpè tuliſſe ſuo.

Bibl. Quid autem? Etiam à ſponſa oſculum propalam figi ipſi ſponſo arbitraris? Hoc quidem noſtris hominibus inauditum. Tenet illa oſculum, non figit.

Arch. Parum utique aut nihil intereſſe inter *ferre baſium* & *tenere* ſive accipere mea eſt ſententia. Et quidem ſeculi noſtri Martialis addicit, cùm in Phillida ſic ludit:

Baſia, Philli, aliis dare non vis: at data ſumis;
Nimirum ſcis hæc accipiendo dari.

Ergò oſculum ſive ſuavium illud publicū apud noſtrates quaſi præludium συνȣσίας, & amoris conjugalis promulſis æſtimandū. Sic ſuadet Naſo: *Oſcula qui ſumſit, ſi non & cætera ſumſit, &c.* Item: *Quantum defuerat pleno poſt oſcula voto?* Etenim equos quoque, antequam in Venerem miſcentur, anhelitu conſpirare atque collu-

colludere ſcripſit Ariſtoteles. Columbum non priùs inire feminam, quàm oſculum illi dederit à Plinio accepimus; nec aliter à columba eum admitti ajunt. Atque ita ſæpiculè vidi columbas noſtras hirtipedes in ſummo tecto capita limantes.

Bibl. Palam tamen oſculũ ut feratur nequaquam committendũ erat. nam tegi hæc & abſcondi amant quæ pudorem lædunt. Præclarè & graviter in hanc rem Auguſtinus: *Devitat publicum etiam permiſſa atque impunita libido conſpectum. & verecundia naturali habent proviſum lupanaria ipſa ſecretum.* Item: *Quid concubitus conjugalis, qui ſecundum matrimonialium præſcripta tabularum procreandorum ſit cauſſa liberorum? Nonne & ipſe, quamquam ſit licitus & honeſtus, remotum ab arbitris cubile conquirit? Nonne omnes famulos atq; ipſos etiam paranymphos, & quoſcunque ingredi quælibet neceſſitudo permiſerat, ante mittit foras quàm vel blandiri conjux conjugi incipiat?* Sic Myſtam quendam memini ſponſo, qui, (dum benedictione Eccleſiaſtica matrimonio initiabatur) ſimul cum data utrimque dextera ſponſam oſculabatur, jubere, ut in ſeram veſperam noctemque iſtud differret.

Arch. Ut minus in ſacris illis initiationis cæremoniis decorũ ſit oſculum (etſi ſanctum oſculum apud Apoſtolum legerim) tamen nuptialia ſacra aliter apud nos non conſtant. Tum illud mihi facile dabis, ſuum eſſe regioni cuique morem, cui ſi quis adverſari velit, is cum ratione inſanire velle omnibus videatur. Neque etiam quicquam ab inhoneſto trahere, aut inordinatę libidini affinia novorũ conjugum oſcula eſſe putandum eſt. In tempore deſipuiſſe prudentia eſt. At verò δυσέντευκτος & moroſus eſt qui in re levicula moribus regionis ſe non attemperat.

Polyt. Initiationis morem modumq; apud Moſcovitas & Ruthenos uſitatum, antequam ad alia deflectamus, volupe erit cog-

noſcere. niſi fortè nota ſatis ediſſertaturus vobis ſim.

Arch. Neutiquam, Polytrope. Incipe modò etenim jam ſalivam nobis moviſti.

Polyt. Veſpera quæ proximè Nuptiarum ſolemnia antecedit ſponſa à matre aliiſque matronis rheda aut veredo ad ſponſi ædes in Moſcovia perducitur, ibidemque noctu ab illis cuſtoditur, ita ut à ſponſo oculis uſurpari non poſſit. Poſtridie verò, ipſo Nuptiarũ die illuceſcente, ſponſa, velo lineo tecta à capitis vertice aduſque lumbos, comitantibus eam parentibus ac neceſſariis, ad templum ſeſe confert, quò itidẽ ſponſus à ſuis deducitur; vehunturque equis, licet templum prope abſit, & ipſi fortunæ ſint tenuioris. Benedictione in templo à ſacerdote peracta, ſponſa ad ædes ſponſi accidit, caputque calceis illius illidit, in ſubjectionis argumentum. Adhæc cognati & amici utrimque coràm ſponſis ſeſe inclinant, ut mutuum dehinc obſequium atque amicitiã voveant. Tum porrò à patre ſponſi panis datur ſacerdoti, qui eum confeſtim tradit patri ſponſæ, eumque obteſtatur, ut die conſtituto dotem promiſſam ſponſo exhibeat, & deinceps amicitiam cum ipſo & amicis cæteris integram conſervet. Tunc deniq; ſponſam ſuam ad templum ſponſus manu ducit, & in veſtibulo cyathum plenum medone (ſic potus genus quoddam vocant) illi propinat, quem ipſa ſub velo libat. Atque ita cum ſuis quiſque amicis ad parentum ædes reducitur.

Phil. Quid ais? ſponſane caput calceis ſponſi illidit? quantillum hæc humiliatio abeſt à pedum oſculo! quod nunquam paſſum eſſe ſeniorem Maximinum perhibent, ut qui diceret: Dii prohibeant, ut quiſquam ingenuorum pedibus meis oſculum figat. Quaſi verò infrà omnes infimas uxores ſint habendæ, nec vitæ fortunarumque ſociæ conſorteſque, ſed ſervæ atque ancillæ dici mereantur.

Non

Polyt. Non temerè excandeſcis. Attamen ſic ſunt Moſcovitæ. Unde mulierum conditio apud eos miſerrima eſt ac deploratiſſima, ut malo aſtro natas putes. nam domi, inſtar avicularũ, in cavea concluſarum, ita ſemper reſident, ut nuſquam vel latum pedem prodire iis fas ſit. Interim nendo filaq; trahendo, vitam trahunt, nihil prorſus juris aut negotii in ædibus habentes. Immò uſque eò muliebris ſexus apud eos eviluit, ut, ſi quid mulierũ manibus ſuffocatum fuerit, ſive gallina, ſive aliud quodlibet animal, ab eo tanquam purgamento abhorreant. Atque inde eſt, quòd, viris ſervisque abſentibus, ubi gallina jugulanda eſt, præ foribus nonunquam adſtare videas Moſcoviticas haſce mulierculas, gallinam & cultrum tenentes, prætereunteſque viros, ut ipſi gallinam jugulent, obnixè rogantes.

Bibl. Doleo illarum vicem, quæ ita planè nullo loco à maritis habentur. Tritum eſt illud Cæſaris Augusti de Herode Aſcalonita, monſtro hominis, dictum: *Herodis malim porcus quàm filius eſſe*. Sed non abs re ſervarum ancillarumque vitam uxorum Moſcoviticarum conditioni longè antecellere dixerim. adeò nullo numero ſunt miſeræ.

Polyt. Nunquam non vobis debebunt illæ, quarum tam ſeriò patrocinium ſuſcipitis. Sed enim Ruthenicum nunc morem perſequi lubet. Circà horam noctis undecimam ſponſi cum fidibus, fiſtulis ac faculis ad delubrum educuntur; quò vaſcula aliquot, ſicerâ, melicrato & cereviſiâ plena, jam ante advecta ſunt. Hîc verò utriuſque ſexus convivæ ſaltando, clamando, ludendo, ridendo bonam noctis partem tranſigunt. Interea temporis ablegantur quidam, qui Flaminem accerſant. Hi plerumque, re infecta, ſemel atque iterum diſcedunt, ideò quia deploratum bibonem rarò mentis compotem noctu reperiunt, ſed ex heſterna crapula languidum, & ſomno vinoque ſepul-

ſepultum. Ergò qui ſponſum affinitate proximè attingunt,ejuſq; cauſſam ſtrenuè agere videri volunt, Flaminis poti domũ effringunt & medium comprehenſum atque violenter abreptum ad peragenda ſacra trahunt. Ille dum ſolito vult fungi officio, nec tamen pes & mens, vino capti, ſatis ſuum facere queunt officium, identidem in medio concidit templo.

Phil. *Ergò non ſatis eſt riſu diducere rictum Auditoris?*— ſed & ilia ſuccuſſare, nõ ſine ruptionis periculo,tibi libido eſt, Polytrope?

Polyt. Idem quod tibi accidit,ipſis Ruthenis quoque evenire ajunt, ut inlicentioſo (liceat enim in re ridicula & lepida lepidiſſimi ſcriptoris verbum uſurpare) cachinno Flaminem ſuum proſequantur. Sed audi cætera. Nam inter hæc paſſim talia committuntur ſtupenda barbarie, ut vix opiner Ethnicos Veneris ſacra ſcurriliùs peregiſſe. Sed,quod de ebrio ſacrificulo cœperã, pergo pertexere. Titubante ergò incertis veſtigiis lurcone, accurrunt illicò qui eum teneant, ne collabatur. Tum verò ſeſe ad opus accingens, primum panes ſibi debitos poſcit & afferri jubet. Deinde, libro aperto, Stentorea voce hymnum aliquem Davidicũ decantat. Illo finito, intortam ſponſi cęſariem manu comprehendens, in hanc ſententiam eum affatur: *Dic mihi, ô ſponſe, ô frater, ô amice, nunquid tu huic teneræ vir eſſe potes?* (nam teneram puellam decem aut undecim annos natam, quales nubere ibi paſſim ſolent, demonſtrat, & ex ſponſo quærit,utrum bona ſua illi vendere valeat.) *Nunquid eam fuſtibus aliquando multabis?*

Bibl. Quid monſtri narras? Etiamne hoc debetur uxoribus, ex lege Ruthenica?

Polyt. Sine me, obſecro, ut abſolvam. Addit præterea Flamen, quod ad tuum palatum magis fore credo: *Nunquid ægrotam, ſcabioſam & decrepitam derelinques?* Hîc ſanctè conceptis ver-

verbis jurat ſponſus, ſe facturum boni mariti officium. Ad ſponſam igitur ſermonem convertens, eam viciſſim interrogat: *An viro ferendo ſufficiat? An rem familiarem curare? An cæco, curvo, decrepitoq́ marito fida velit eſſe comes?* Adfirmat illa. Mox Flamen ſerto ligneo viridi utriuſque caput coronat. In circumferentia coronarum deſcripta ſunt Ruthenicè hęc verba: *Creſcite & multiplicemini.* Dum hæc agit Sacerdos ſuccenduntur ab omnibus cerei, & patera mulſo ſpumans ei traditur, quam novis ſponſis propinans uno ſpiritu educit. Illi autem, nihil ſacrifico concedentes, ſimili alacritate paterā ſiccant, & viro religioſo reddunt. Abjecto dehinc ligneo caſſiculo, & pedibus contrito, novas inſtituunt choreas, in quibus Flamen funem ducit & choragus eſt, cæteri longo ordine eum inſequūtur. Tandem verò ſacrificulus domum reducitur, cæteris convivis ſponſos comitantibus: atque ita tumultuum nocturnarumque debacchationum finis eſt.

Arch. Hæccine credibilia eſſe cenſes, & fidem haberi tibi vis? an verò, ut oblectes, rhetoricaris? Equidē non ita ſum γαχυπειθής.

Polyt. Quoniam dubitas; & levem anditionem pro re comperta me forte habere opinaris, firmabo fidem. Teſtem oculatum adducere poſſum, autorem epiſtolæ cujuſdam anno CIↃ IↃ LXXXI. ad Davidem Chytræum datæ, qui, nihil ex aliis auditum, nihil ex aliorum libris hauſtum, nihil incognitum, ſed quicquid oculis viderat ſe commemoraturū eſſe præfatus, matrimoniorum benedictionem hoc, quo dixi, pacto deſcribit.

Arch. Parum aut nihil de benedictione audivi, niſi forte ea in hymno Davidico, quem cani dicebas, contineatur. Proinde adjungam ex Alexandro Guagnino, quæ connubialis benedictionis morem modumq́; evidentius declarant. Verba autem ſcriptoris, ut potero, propria dabo & genuina.

Menſa, inquit, *in medio templo adornatur, ingredientibuſque ſacerdos præcedens certas recitat orationes. Deinde pro Patriarcha, Metropolitano, Epiſcopis & toto Clero, pro Monarchaq; ſuo, & omni ordine equeſtri & plebeio, qui ritus ſuæ fidei ſequuntur, ſigillatim ſacerdos cum acono clara voce orant. His peractis ſponſus & ſponſa menſam præparatam accedunt, in linteoque, ſecundum morem pedibus ſubſtrato, uterque ſtat. Poſteà ſacerdos ex præſcripto, an alicui olim non ſpoponderint interrogat, ſtolaque, annulos utriuſque commutans, colligat. Deinde coronas ligneas* (quas per ligneum caſſiculum, cujus meminiſti, ſignificari exiſtimo) *vel ex tiliæ libro pictas, ad id muneris in Eccleſia reſervatas, capiti utriuſque imponit, dicens:* Poſuiſti, Domine, coronam ſuper caput ejus de lapide pretioſo, &c. *Euangeliumque de Nuptiis, in Cana Galilææ celebratis, recitat. Deinde panem & cerviſiam conſecratam deſponſatis ad prægustandum porrigit. Poſtea ſtolam (qua ſacerdotes collo appenſa uti videmus) ſponſus & ſponſa ab una parte & ſacerdos ab altera tenent, ſacerdotemq; praeuntem ſequuntur, hæc verba dicentem:* Circuite populi Sion, & date gloriam nomini Dei altiſſimi, *terque menſam circumeuntes loca ſua occupant & Sacerdos Pſalmum,* Miſerere noſtri Domine, ſecundum magnam miſericordiam tuam, &c. *recitat, ſuffragiiſque pro omnibus tam ſpiritualibus quàm ſecularibus Deo perſolutis, de templo egrediuntur.*

POLYT. Heus tu verò, Bibliace. Etiamnum in fermento es? nam auſtero vultu & conſulcata fronte te conſpicio.

BIBL. Non aberras à vero, mi Polytrope. Neque enim poſſum non toto animo execrari ac deteſtari immitem illum crudelemque Moſcovitarum in uxores animum, quibus verberibus fuſtibuſq; eas objurgare ludus videtur. Ex Adami coſta noſtis Evam productam, ut eam non minus quàm ſeipſum diligeret. *Quis autem* (exclamat magnus ille doctor) *carnem propriam odio habuit!* Non poſſum ergò ſatis

tis mirari adeò frontem periiſſe de rebus, tam planè aliena à matrimonio ipſi ſacri bonorum malorumque arbitri ut ſancire ac ſtipulari non erubeſcant.

POLYT. De carne ſana & integra litigare nolo, at putidam & à gangræna depaſtam quis reſecandam neget, ne pars ſyncera trahatur? Quod enim omnia medicamentorum blandimenta ſpernit membrum, uſtiones ſectioneſque depoſcit. Proinde, uti vegetum ſanumq; ſine gravi noxa non læditur, ita peſſimè affecto & tantum non confecto, penè dixerim, non ſine ſcelere parcitur. Ac propterea uxorem refractariam, quà verbis quà verberibus, in ordinem cogi æquum eſt.

BIBL. Longè erras à via. Ducuntur multo facilius quàm trahuntur mulieres. Blandum, non tyrannicum, maritorum in eas eſt imperium. Magna ſeveritas, familiæ eſt calamitas atque exitium. Sicuti ergò, ubi membri ſectio tam difficilis, ardua & periculoſa eſt, ut totius corporis ruinam ſecum tractura videatur, prudentis medici eſt, longa licet, attamen tutiore via morbum oppugnare, atque omnia alia potius experiri: Ita maritum facere res ipſa exigit.

POLYT. Quid ſi omnem medicinam reſpuat uxor?

BIBL. Ferendũ eſt æquo animo quicquid corrigere eſt nefas. Prudenter Chryſoſtomus rixoſam uxorem, tanquam *domeſticum gymnaſium* & *palæſtram patientiæ*, tollerari ſuadet. Et Socrates, rogante Alcibiade, Cur moroſam & intollerabilem ſuam Xantippen domo non exigeret, *Quoniam*, inquiebat, *cum eam domi talam perpetior, inſueſco & exerceor, ut cæterorum quoque foris petulantiam & injuriam facilius feram.* Vel, de Senecæ conſilio, ad importunas mulierum occentationes aures, perinde atque ad ſibilum anſerum, obturandæ ſunt, ne animum feriant.

POLYT. In Bibliis tamen ſacris Germanicis, Lubecæ ante multos annos excuſis, jus illud uxorem verberandi

berandi marito concedi fama eſt.

Bibl. Et quidem haud dubia. nam ipſemet his oculis vidi & legi, ad verba illa capitis tertii Geneſeos; *Ergà virum tuum appetitus tuus eſto, & ipſe poteſtatem habeto in te*, adjectum: *ſæpe te torquendi & verberandi.* Sed iſtud aſſutum per naſutū aliquem, & in re graviſſima nimis quàm levem, homuncionem quis dubitet?

Arch. O deſperatam temeritatem atque audaciam! Non veritus eſt ille mango, quiſquis fuit, pro verberibus, quaſi divino jure, ſexui imbecilliori intentatis, æternum vapulare? Horrendum enim tales ſupplicium manet, obſignante divinum Codicem his verbis Spiritu Sancto: *Enimverò conteſtor cuivis audienti verba prophetiæ libri hujus, Si quis adjecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas ſcriptas in libro iſto.*

Bibl. Qui tam temerario auſu ipſa Spiritus Sancti verba immutant, & ſenſum torquere quò volunt nil penſi habent, etiam ad iſta fulmina occalluerunt. Talis ille fuit qui ni Bibliis Belgicis, anno CIↃ IↃ XVIII. Antverpiæ editis, poſtquam multa frivola & ridicula admiſcuiſſet ſacro contextui, ubi ad graviſſimā conteſtationem illam, quam memoraſti, pervenit, in hunc modū eam concipit & format: *Si quis adjecerit ad hęc, talia unde errores aliquis concipiat, imponet ei Deus plagas ſcriptas in libro iſto.* Etenim videri voluit audaculus iſte, nihil falſum, nihil alienū adſperſiſſe. Atq; iſtud ipſum alteri illi verberoni in mente fuiſſe vero ſimillimū eſt. quaſi verò, uxor poſt leve aliquod erratū, continuo pugnis pectenda ſit ut officiū faciat. idq; de ſentētia & conſilio nequā illus hominis qui dixit:

Nux, aſinus, mulier ſimili ſunt lege ligata:
Hæc tria nil rectè faciunt, ſi verbera ceſſent.

Neque ita dudum eſt, cùm quidā μισογύναιος palam & ſæpiculè jactaret, Se Deo pugniſq; ſuis acceptum ferre quod facili, placida, morigeraque uxore uteretur.

Quàm

POLYT. Quàm tu ſemper tui ſimilis es, hoc eſt, ſeverus Cenſor! Vide autem ne malum illum Bibliorum interpolatorem criminis arceſſas, cui non ſit obnoxius. Tametſi enim *μισογυνείας* maculam effugere non poſſe tibi videatur, attamen ſunt complures qui abs te ſeorſum ſentiunt. Neque enim nullam aut levem ob cauſam, aut etiam præter modum verberibus exercendas uxores dixit, ſed ubi illæ juſtas & ſonticas verberum cauſas maritis præbuêre. Ita enim Nævius: *Sonticam eſſe oportet cauſſam, quamobrem perdas mulierem.*

BIBL. Catonis Cenſorii graviſſimos mores mihi adſcribi in laude mea numerare non erubeſco. Atq; in eo quoque ei ſimillimũ me eſſe glorior, quòd ſacrilegii inſtar habeã, ſi uxorẽ maritus digito tangat duriùs. Ideóque Marci Aurelii conſilium laudo, *Uxorem admonendam ſepè, reprehendendam rarò, violentis manibus tractandam nunquam* dicentis.

POLYT. Sunt tamen viri graves, inter quos Alciatum, Menochium, & Arniſęum numero, qui uxorem jure interdum verberari poſſe contendunt, nempe ſi cauſa gravis ſubſit, nec præter modum caſtigetur. Etenim ſi marito obſequi pertinaciter detrectet, quid obſtat quo minus vi ad obſequium cogatur? cùm juriſdictio ſine vi & coactione evanida ſit; Unde etſi ad unam aut alteram levẽ noxam conniven dum ſit (nam *Extrema primo nemo tentavit loco*, ut ait Poëta Tragicus) tamen in ea videntur eſſe ſententia, uxores pertinaciores etiam verberibus eſſe dedolandas. Certè leges civiles divertendi cauſſam juſtam uxoribus non concedunt niſi verbera ingenuis indigna fuerint perpeſſæ. nam ita habet lex (C. *lib.* 5. *tit.* 17. *de repudiis*) *ſi ſe verberibus (quæ ingenuis aliena ſunt) afficientem probaverit, tunc repudii auxilio neceſſario uti ei permittimus libertatem, & cauſſas diſſidii legibus comprobare.*

BIBL. Necdum tamen vero viciſti, ſic ſe rem habere

re uti prædicas. Nuſquam enim verbera concedi, ſed à matrimonio,ut *aliena*,procul ablegari audio. Quòd autem Arniſæus verberibus objurgandi uxores jus maritis concedi ex *D. lib.* 48. *tit.* 5. *l.* 38. §. *Imperator.* hariolatur, toto errat cœlo. quia ibi de marito uxorem in adulterio deprehendam interficiente ſermo eſt, cui *ultimum ſupplicium*, ait lex, *remitti poteſt, cùm ſit difficillimũ, juſtum dolorem temperare.* Ubi de verberibus, quibus uxor ob minora etiam delicta jure mulctari queat, ne γρὺ quidem. Nec quemquam hactenus mihi videre contigit, qui id ἀναμφιλόγως ex legum civiliumRomanarum,nedum divinarum,Codice evincere potuerit.

Polyt. Verumenimverò quid cauſſæ eſt, cur pater in filium,ſenior in juniorem propinquum, præceptor in diſcipulum etiam ſeveriùs animadvertat,idque jure divino juxtà atque humano ſancitum ſit;maritus autem, ſi uxorem verberaverit injuriarum poſtuletur?

Bibl. Ni ignota feminis lingua loquereris, autor tibi eſſem,ut diligentiſſimè ſubinde circumſpiceres tutamenta ſermonis, nè qua feminarum eum aucupetur,& te diris omnibus devoveat. Sed ad rem,ne tricari videar. Primùm ergò aio, marito non eandem in uxorem eſſe poteſtatem, quæ patri eſt in filium, ſeniori in juniorem propinquum,aut pręceptori in diſcipulum. Longè enim potior dignitas uxoris eſt, reſpectu mariti, quàm filii reſpectu patris, &c. Et ſanè quis reverentiam & honorem filio à patre deberi dixerit? Deberi tamen uxori à marito docet Petrus I. Ep. cap. 3. comm. 7.

Polyt. Decretoria hęc tela ſunt, quibus equidem adverſo corpore excipiendis levis armaturæ miles impar ſum. Arma itaque ſubmitto ac digitũ exſero.

Bibl. Plura audies. Uxor viro fortunarum ſocia eſt, & ut domus ille Dominus, ita hæc Domina eſt. Hoc enim ſibi vult vetus illud ver-

verbum: *Ubi tu Cajus, ego Caja*. Hinc *ſocia rei humanæ, atq́; divinę domus* (id eſt, religionis & ſacrorum) dicitur C. *l*. 9. *t*. 32. *l*. 4. Atque hęc *ſocietas vitæ quodammodo dominam eam facere* ſtatuitur à Nerva & Caſſio C. *l*. 25. *t*. 2. *l*. 1. Catullus in Nuptiis Juliæ & Manlii: *Ac domum dominam voca Conjugis cupidam novi*. Item Suetonius in Claudio: *Occiſa Meſſalina, paulo poſtquam in triclinio decubuit, cur domina non veniret, requiſivit*. Epictetus cap. 62. uxores à maritis *Dominas* appellari ait. Unde Servius ad illud Virgilii: — *dominam Ditis thalamo deducere adorti*. *De Græco*, inquit, *tractum eſt, qui uxorem δέσποιναν dicunt*. Quæ eamobrem fuſiùs proſequor, ne quem appellatio *domini*, qua maritus inſignitur tam in Sacris quam profanis litteris, in eam ſententiam trahat, quaſi herile in uxorem imperium ei jam à multis ſeculis ſit conceſſum. Verum enim verò ne nihil dignationis viro ſupra uxorem me tribuere opineris, addo illud ab Eraſmo noſtro pari elegantia atque acumine dictum, ex Annotationibus in Ep. Judæ: *Matresfamilias* οἰκοδεσποτεῖν *jubentur, non* κυριεύειν. nam inter δεσπότην & κύριον ea videtur eſſe differentia, quòd δεσπότης privati juris nomen ſit: κύριος autem honoris & authoritatis, utpote à κῦρος deductum.

Polyt. Quàm jureconſultus es, Bibliace! Utroque pugnas cornu. Nunquid tamen Deus Gen. 2. comm. 18. dicens: *faciam homini auxilium quaſi coràm ipſo*, mulierem ideò creatam aſſerit, ut viro præſto ſit, & ad ſerviendum parata, inſtar ſervorũ coràm Dominis adſtantium, eorumq́; non verba duntaxat, ſed & nutus obſervantium? Etenim tales *ſtare ante Dominos ſuos* S. Scriptura dicere amat. Atque ita Hebræos ſentire David Kimchi teſtis eſt, ut nuperrimè inter legendum obſervavi. Unde forſitan inferre liceat, ut hero in ſervum, ita viro in uxorẽ ſeverius illud caſti-

caſtigandi jus competere.

Bibl. Tam abjectam mulieris conditionem non fuiſſe ipſe Adamus cap. 3. profitetur, cùm Deo inquit: *mulier quã collocaſt* Mecum. Etenim illud *mecum*, uxorem Adamo fuiſſe non ſervam ſed ſociam datam vitæ ac fortunarũ omnium evincit.

Polit. Nunc utiq; rem manibus teneo.

Bibl. Sic ſentire omnium familiarũ rationibus apprimè conducit, quas inteſtinis odiis ac ſimultatibus domeſticis magnopere conturbari nemo neſcit. Nam ſicut maritalis amor omnes omnium amores & amicitias ſuperat, ſic etiam odia, quæ radices egerunt inter conjuges, omnium maximè implacabilia deprehendi nõ minùs urbano ac lepido quàm eleganti exemplo docuit Leo Byzantinorum ad Athenienſes Legatus; quippe qui, ob corporis raram brevitatem, in concione ludibrio habitus, *Cur* (inquiebat) *homuncionem ridetis, cujus uxor tam puſilla eſt, ut mariti genua vix attingat? Nam etſi anguſtiſſimo cubili continemur, nihilominus tamen, cùm ira exarſimus, vix Byzantii mœnia, quantumvis ampla ſint, capere utrumque poſſunt.* Ubi enim quis ab eo damnum accipit & læditur, unde beneficium ſibi deberi cenſet, id acerrima accendit odia, quæ ad multorum perniciem tandẽ erumpunt. Nec alius ſeveritatis in uxores fructus eſſe poteſt. Iccircò χαριτογλωσσεῖν & uxores omni comitatis genere demulcere, ſibique devincire bono fuerit. Ut omittam uxores etiam malas, tam duriter habitas, raró ad frugem redire. Unde vulgò jactatum proverbium, *Laterem lavare, qui mulierem caſtigat.* nam laterem quò magis quis lavat, eò magis lutum facit & ſordes auget.

Arch. Exſpectabam quorſum evaderet non minus odioſa quàm erudita & lepida hæc veſtra contentio. Quoniam ergò viciſti, Bibliace, hoſtem tibi, ut opinor, ignotum è latebris extraho, Hilarium Drudum, ut eum quo-

quoque cum cæteris in triumpho ducas. Ejus hæc impia vox fuit, *Feminis capillos longos nullĩ alium in finẽ datos, niſi ut ipſarum mariti haberent quo conſtrictas firmiter tenerent ac traherent, dum eas verberant.*

Bibl. O ferreum os! o hominẽ σιδηρόφρονα καὶ χαλκεοκάρδιον!

Arch. Equidem malim mihi terrã dehiſcere, quàm talem immanitatem committere. Itaque Naſonis elegans mihi ſemper querela viſa fuit, qua ſecum, ob verberatam amicam, expoſtulat:

Ante meos humeris vellem cecidiſſe lacertos:
Vtilius potui parte carere mei.
In mea veſanas habui diſpendia vires?
Et potui pœnam fortis inire meam?
Quid mihi vobiſcum, cædis ſcelerumque miniſtræ?
Debita ſacrilegæ vincla ſubite manus.
An, ſi pulſaſſem minimum de plebe Quiritem,
Pecterer? in dominam jus mihi majus erit?

Bibl. Auditis iterum ſacrilegos.cenſeri qui fuſtibus aut pugnis in uxores ſęviũt.

Arch. Remoram diſputationi veſtrę injicere nolui. etſi exiſtimarẽ tam prolixa & anxia diſquiſitione minimè hîc opus fuiſſe, quandoquidem ſtipulatio illa (unde in hunc campum digreſſi eſtis) viros Moſcovitas ſive Ruthenos non ad cædendũ uxores obligat, ſed contrà ad verbera omnia procul à conjugio eliminanda. Nam iſthæc Sacerdotis interrogatio: *Nunquid eam fuſtibus aliquando mulctabis?* quid niſi ſtipulatio eſt, qua ſponſus id temporis, quaſi palam data fide, obſtringitur, ne uxorem unquam fuſtibus aut pugnis caſtiget? Nam ſimiliter & ſequens interrogatio vim habet negandi, cùm dicitur: *Nunquid ægrotam, &c. derelinques?*

Polyt. Argutaris. Attamen ne ſic quidem efficies ut tibi accedam. Nam pari probabilitate contrarium evincam. Etenim primam interrogationem: *Dic mihi, ô ſponſe, &c. nunquid tu huic te-*

nerę vir eſſe potes? habere vim affirmandi, & ſponſi aſſenſum ſolummodo requirere liquidò liquet. unde etiam per ſequentem interrogationem affirmativam ſponſi reſponſionem exigi verò conſentaneum eſt. Certè in una eademque orationis periodo ejuſmodi interrogationes diverſimodè ſumi, immò contraria ſignificatione pollere, nemini abſurdum videri debet. Nam aliæ negandi, aliæ affirmandi vim habent. Agnoſce idipſum in verbis Chriſti apud Matthæum cap. 11. comm. 7, 8, 9. *Quid exiſtis in deſertum ad videndum? arundinem quæ à vento agitatur? Quid exiſtis ad videndum? hominem qui mollibus veſtibus veſtitur? Quid exiſtis ad videndum? Prophetam?* Ubi priores negant, poſtrema affirmat, ut cuivis non oſcitanter legenti claret. Quin imò omnem de hiſce dubitandi ſcrupulum animo tuo me exempturum eſſe promittere auſim, idq; tam facile, ut ait ille, quàm pirum volpes comeſt.

Bibl. Promiſſis dives es.

Polyt. Dictis facta ſuppetent, & promiſſa cedent ad factum. Guagnini (cujus verba modò recitaſti) adeò es oblitus, ut neſcias Moſcovitarum (ſub quibus Ruthenos comprehendi docent Geographi) ingenia ſic ab illo deſcribi, quòd non ſolum ſervi indignationis ſignum putent, ſi verbera crebrò ipſis non ingerantur ab heris, atque iccircò de parcis nimium verberibus cum iis expoſtulent, ſed ipſæ quoque uxores tam ſervili atque illiberali ſint ingenio, ut idem arbitrentur. Ita enim de illorũ uxoribus ſcribit: *Non verberatę à maritis plerumque conqueruntur, & odio ſe proſecutas dicunt, verberaque ſignum amoris putant.* quæ ipſiſſima verba, etſi minùs Latina, referre placuit, ne ſenſum aliorſum quàm ipſe autor voluit, torqueri ſuſpicère.

Phil. Vera memoras. nunquam melius, ſuô judicio, habitæ ſunt quàm cùm in ſæva ac moroſa ingenia inciderunt. Quod ex Sigiſmundo Herberſteinio, alio

rerum

rerum Moſcoviticarũ ſcriptore, perquam memorabili exemplo clarum faciam. Quidam Germanus, cui nomen (ſi id in re tantilla ſcire lubet) erat Jordanus, in Moſcoviam migrarat, uxoremque ibi duxerat Ruthenicam, quam cùm efflictim amaret, omnibus amatoriis blanditiis officiiſque amorem ejus demereri magis magiſque adlaborabat. Illa verò nihilo ſecius dejectis luminibus, vultu triſti, δακρυσίςακτος, crebris ſingultibus ſuſpiriiſque pectus diducebat, animique ægritudinem teſtabatur. Tandemque, cùm ingentem dolorem anguſti pectoris penetralibus concludere non valeret, captata occaſione, virum ſic amicè alloquitur: Cur me, vir & conjux chariſſime, non amas? cur faſtidis? Cui maritus, Ego verò, inquit, mea ſuavitas, meum corculum, magnopere te amo, & toto animo de tuis ornamentis & commodis cogito, idque omnibus officiis, quæ à me unquam in te proficiſci putuerunt, abundè ſemper tibi teſtatum feci. Tum illa iterum, triſti linguæ fragmine, crebriſque ſingultibus dimidiata verba abſorbentibus, Putaſne, ait, me latere quàm tibi vilis anima ſim, & infrà omnes. infimas habear? Ille nive Gallica frigidior factus attonituſque, uxorem amplexari, & ecqua in re eam offendiſſet rogare. peccaviſſe ſe forſitan, ſed culpam emendatione deleturum. ſi quid admiſiſſet quod eam malè haberet, id longè à deſtinatione ſua cecidiſſe, & factum nolle. Ibi tum illa querelas de vera ægritudinis ſuæ cauſſa in ſinum mariti verbis eluctantibus effundere, ac dicere: *Ubi ergò ſunt verbera? verbera illa, inquam, quibus me abs te amari doceas? hoc certè quaſi ſigillo potiſſimùm maritorum ergà uxores ſtudium ac benevolentia ſancitur atq; obſignatur.* Ad hæc verba vir rurſus obſtupeſcens, mox autem ſtupore in riſum penè converſo, Mihi ſanè verbera, ajebat, non videbantur, ſignum amoris: ſed tamen nec hac parte deero. Itaque

verbis ſimul & verberibus in poſterum benevolentiam ergà uxorem teſtari ad ſuam rationem uſumq́; æſtimans, non multo poſt haud perfunctoriè cædendæ uxoris occaſionem arripuit; faſſuſque eſt Jordanus Sigiſmundo Herberſteinio, Moſcovię tunc commoranti, longè ferventiori amore ſe ab uxore poſtmodum fuiſſe obſervatum. Sed ipſe, in amore hoc Ruthenico modum ſibi ponere neſcius, crura tandem cervicemque miſeræ uxori ictu nimiũ vehementi confregit.

Bibl. Ah! facinus ſceleſtum & igni & aqua expiandum!

Phil. Niſi ſatis ſuperque hanc Camarinã nos moviſſe arbitrarer, adderem Suecorum morem; ab hoc argumento non alienum.

Polyt. Niſi id quicquid eſt promſeris, ex lege noſtra tibi ſcribam dicam.

Phil. Dicam ergò quod in mentem veniebat. Apud veteres Suecos obtinuiſſe ajunt eam conſuetudinem, ut peracta à Sacerdote benedictione, poſtquam annulum in arrham conjugalis fidei ſponſæ donaverat ſponſus, adſtantes utrique alapam impingerent. Quod hodieque in Eccleſia Romana non inſuetum eſſe, me legiſſe recordor, ut nimirum Sacerdos, poſt benedictionem, maxillam ſponſis percutiat.

Bibl. At erras tota via, ſi hoc pacto verbera, ut animorum coagulũ novis maritis commendari opineris. Quin potiùs conjugii onera ac moleſtias æquo animo ambobus pariter ſuſtinendas hoc ritu edocentur conjuges. Nam verborum pariter ac verberum ſævitiam abeſſe à conjugio conveniens eſt. Hinc Junoni Nuptiali rem divinam facientes fel animalibus exemptum poſt aram abjiciebant, primo ejus inſtituti autore bilem, hoc eſt, iram & moroſitatem omnem à conjugali amore procul exterminandas ac ſequeſtrandas ſignificante. Ut enim vini ſic & viri auſteritas & gravitas utilitatis plurimùm, amaritudinis nihil,

nihil, immixtum habeat addecet.

Polyt. Theſſalos autem ita matrimonium iniviſſe accepimus, ut, facto ſacrificio, uxorem ducturis equus traderetur armatus habenis ducendus.

Bibl. Nempe liberos fortes atque animoſos ſe geniturum hoc pacto ſponſus ominabatur. Ita enim nuper de bellico apparatu variarum gentium in Sponſalibus ſermocinabamur, ea cauſſa eum adhibitum fuiſſe.

Polyt. Ego verò ea re ſponſo uxorem ducenti equum ejuſmodi ducendum traditum fuiſſe arbitror, ut animal procax, protervum, varium & mutabile ſemper, feminam freno prudentiæ in rectæ rationis tramitem ei deducendam eſſe admoneretur.

Arch. Rem tenes, dum nè ſexum ſequiorem acerbius tangeres: quod minimè oportuit.

Polyt. Indorũ tandem oris allabor, quorum pompam Nuptialem vobis ob oculos ponere ſtat ſententia. Nam qui inter incolas Goæ inſulæ ſunt fortunæ lautioris, cùm Nuptiæ apparantur, amicos neceſſarioſque omnes convocant, qui nonnunquam centeni, veſtibus pretioſiſſimis amicti atque equis longo ordine vecti ſponſum ſponſamque, quæ in lectica portatur, in templum deducunt. Benedictione ac publica matrimonii confirmatione inibi peracta, eodem ordine ad ædes conjugum tendunt, quò extemplo ut pervenerunt, confeſtim conjuges amicis ſuis præ foribus gratias agunt pro comitatu honorifico. Illi verò equos, honoris ergò, ad ſaltus incitant & in gyros flexuſque artificioſos atque inſolitos agunt. Hic finis pompæ eſt, & ad ſe quiſque diſcedit. Perpauci enim ædes intrant, quibus aquæ ſorbitio præbetur, quæ amoris apud eos eſt ſignificatio. Ex paucis verò illis qui intromiſſi tres quatuorve duntaxat, qui propiore conſanguinitatis nexu novis conjugibus adſtricti

 ſunt,

ſunt, genio lautius indulgent; Nec tamẽ in multam noctem convivium extendunt; ſed ante ſolis occaſum, conjugibus jam in thalamo cubantibus, ad ſuos quiſqne clares revertitur.

Bibl. Anglos vicinos præterire hic nefas eſſe duco. Apud hos obſervatum perhibent, ut duo pueri velut paranymphi, nubentem ad templum, ubi conjugio inaugurabantur, inde verò domũ duo viri deducerent, & tertius vaſculum aureum vel argenteum præferret. Spiceâ item coronâ ſponſa redimita caput, præſertim ruri, ducebatur; interdum quoque manu coronam gerebat. Nam Romanam ſapit antiquitatem, quòd duo pueri ſponſam comitarentur.

Arch. Nec minùs illud, quod varia nubentibus prælata. Nam, dum ſponſa à duobus pueris patrimis ac matrimis ad mariti ædes deducebatur, colus compta cũ fuſo & ſtamine eam comitabatur, teſte Plinio lib. 8. cap. 48. nec nõ Plutarcho in Romanis Queſt. ubi paucis verbis duos ritus complectitur, cum ait: *Sponſa ſecum colum & fuſum importat, ac mariti januam lanâ coronat*. Ex quibus poſtremis verbis apud Plinium mendum latere conſtat, cùm ipſo in veſtibulo capitis ſecundi libri vigeſimi noni ſic ſcriptum legimus: *Lanæ autoritatem veteres Romani etiam religioſam habuêre, poſtes à nubentibus attingi jubentes*. nam *eâ cingi*, vel ſimile quid, pro *attingi* ſubſtituendum eſt, cùm idipſum ſit quod Plutarchus *lanâ januam coronare* dixit. Adhæc utenſilia mundusq; muliebris univerſus in ſponſæ comitatu per puerũ impuberem geſtari conſueverant. Ipſumque vaſculum in quo hæc perferebantur *cumerum*, puer autem *camillus* dicebatur, ut Varro & Feſtus docent. At verò ex Solonis lege ſponſa ſartaginem fictilem, in qua farra torrebantur, ferre ſolebat. Hæc φρύγετον vel φύγετρον Polluci lib. 1. & 6. dicitur, ubi & hunc morem attingit, *Solon*, inquiens, *virgines nuben-*

nubentes juſſit pro ſigno ferre φρύγετον.

Phil. Cujus rei ſignum id putemus, niſi quòd phrygeta ollaſque curare, neque ultrà illas ſapere nuptarum ſit officium.

Arch. Quicquid hujus ſit, ſufficit mihi morem illum vobis indicaſſe. *Farreum* autem appellari hanc ſartaginem à Plinio lib. 18. cap. 3. quidam conjiciebat, ſed adverſante Feſto, qui *farreum genus libi ex farre factum* interpretatur. Verba Plinii accipite. *Quin & in ſacris nihil religioſius confarreationis vinculo erat, novæque nuptæ farreum præferebant.* Unde elicimus alium vetuſtũ morem præferendi libum ſponſis prodeuntibus. Quod etiamnum apud ruſticos Lugdunenſes factitari Jacobus Dalechampius Cadomenſis annotavit. Far autem Nuptiis interveniſſe & ſponſis prælatum haud mirum eſt. quippe cùm tricenis annis populus Romanus eo cibo vitam ſuſtentaſſe credatur. Unde peræque omnibus Nuptiis, à primis urbis incrementis, far interveniſſe ex Dionyſii Halicarn. Antiq. lib. 1. claret. ubi ſacra conjugia dici aſſerit, propter communionem libi ex farre confecti. nam ſacrificiis omnibus far à Latinis adhibebatur. Cæterùm ſponſæ quoq; ancilla aderat cum cribro, induſtriæ ſigno, nec non puer glandibus quernis opertus coronatuſque, qui panes afferens, ſæpiùs illud ingeminabat: ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. *Effugi malum, inveni quod melius eſt;* quaſi poſt frugales mores re & honoribus auctior eſſet.

Phil. Sponſas tamen id aliorſum accepiſſe putem, ut quæ, matrimonium virginitati jam præferentes, cum viro eſſe quàm innuptas permanere multo melius eſſe augurabantur. Quia autem *coronas* in Nuptiis non minùs apud Anglos quàm apud nos adornatas intelligo, velim equidem illarum originem ac ſignificationem pernoſcere. Nam plus in ſe abditum habere quàm ex-

terno ornatu atque apparatu ſpectantium oculis ingeritur non eſt dubium. Proinde, Archæologe, ſi harum myſteria nobis expoſueris, non vulgarem apud me inibis gratiam.

Arch. Nolo tibi ſanè ullum commodum aut beneficium in me claudier. Solent enim amicis omnia eſſe à me paratiſſima.

Polyt. Idem quoque te rogo, & jam aures dedo in ditionem tuam æquè atq; Philiſtor.

Arch. Origo coronarum in Nuptiis eſt perantiqua. Inter veteres Judæos utique neglectæ non jacuerunt. nam ſponſos, more iis uſitato, coronis redimitos accubuiſſe accepi.

Bibl. Ita eſt uti ais. Etenim in Cantico Canticorum cap. 3. comm. 12. puellæ Hieroſolymitanæ ad Salomonem ſpectandũ his verbis evocantur: *Prodite & ſpectate, puellæ Zionis, regem Salomonem cum corona, qua coronavit eum mater ejus die Sponſaliorum ejus, & die lætitiæ animi ejus.* Unde eſt qui colligit ſponſis à matre coronam imponi ſolens olim fuiſſe. Et Eſaiæ cap. 61. comm. 10. ait Eccleſia: *Sicut ſponſum coronavit me Deus decore, & ſicut ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Ubi ad ſponſi diadema ſive coronam alluſum Hieronymus Oleaſter annotavit. Clariùs verò ipſe Deus Ezech. cap. 16. comm. 12. beneficia à ſe in Eccleſiam collata, & quo pacto eã ſibi deſponſaverit, commemorans, *Dedi,* inquit, *coronam gloriæ in capite tuo.* Unde & ſponſam corona redimitã fuiſſe, haud levi conjectura ductus, quis exiſtimare poteſt.

Arch. Nec illud Catulli ad ſponſum Manlium omittendum eſt:

Cinge tempora floribus
Suave olentis amaraci.

Coronati autem amatores amoris vinculis ſe conſtringi ac vinciri profitebantur, haud aliter quàm coronæ ex odoratis floribus & herbis vario nexu plecti ſolent. Athenæus lib. 15. cap. 3. hac de re ſatis eleganter diſſerit ac

ac diſputat, quærenſque, cur, ſi coronæ ſolvantur, amare dicantur coronati, *An*, inquit, *quia omne, quod vinctum eſt, ſolvitur? Amor verò vinculum eſt eorum qui coronantur. Nemo porrò vinculis adſtrictus coronis gaudet, præter illos qui amant. Quoniam igitur coronæ* (tanquam catenæ) *ſolutionem ſignum eſſe putant vinculi ab Amore injecti, ideò amare dicunt.* καλαδέδηνται γὰρ οἱ ἐρῶντες. Adſtipulatur Chryſoſtomus in Ep. 1. ad Timoth. quem laudat Mart. de Roa. *Non ignorabat*, inquit, *ex paganico ritu, coronatos olim inceſſiſſe amatores quoſlibet, tanquam vinculis quibuſdam impeditos, & illorum quos amarent valvas itidem coronare ſolitos.* Sed magis ad rem facit, quod apud Athenæum additur: *An quia nolit Amor quemquam veluti de eo victorem coronari, & coronâ, tanquam præconio, triumphatorem renunciari, coronam ideircò eripit, & alios inſuper, tanquã prædicens, admonet, fore illos viribus ſuis impares*, & non triumphantes de Amore, ſed ab Amore triumphatos? Vel quia *diſſolutam* & mareſcentem *coronam indicium eſſe volunt nondum confecti certaminis, nondum partæ victoriæ?* Itaque *natura, rebus omnibus juſta reddens præmia, vetat illos qui amant prius coronari, quàm potiti ſint amoribus, nempe cùm, expugnato illo quem amant, à deſiderio liberantur.* Itaque de hujus ſententia ſponſos ſponſaſque coronis ornari conſentaneum eſt; Deinde verò poſtquam alter alterũ, libata virginitate, condidit in nervum brachialem, ſolvi eaſdem ac removeri. Succinit Theocritus Idyll. 3. ubi paſtor Amaryllidi (per interpretem duntaxat eum audietis) ſic ait:

Iungere, Nympha, tuo paſtori, ut ſuavia carpat.
Nam leve ſuaviolum non leve dilicium eſt.
Nec mora, diſcerpam plexas, de more, corollas,
Quas mihi circumdo dulcibus ex apiis,
Quæ benè ſemper olent, hederæque intextâ, Amarylli,
Folliculiſque, ignis ſunt documenta mei.

Coronarum ergò ſolutio & diruptio amatores jam voti compotes factos declarabat. Unde & noſtris moribus coronas, Nuptiarum primo die ſuprà deſponſatorum capita ſuſpendi ſolitas, poſtridie deturbari juxta mecum noſtis.

Bibl. Suprà ſponſorum æquè atque ſponſarum capita coronas ſuſpendi me vidiſſe non recordor. Utut autem ſit, ritum Ethnicum ad Chriſtianam ſignificationem ita à nobis cum Chryſoſtomo transferri par eſt, ut ſponſos & ſponſas Nuptiarum die coronari dicamus tanquam δοκίμους καὶ τελείους athletas, qui caſtitatis roboriſque animi ſpecimen egregium dederint, in gymnaſio ſive palæſtra paternę domus in eum uſque diem ſeſe continendo, ac virginitatem ſervando. Quando autem de Anglis dicere cœpi, illud etiam in eorum ritibus nuptialibus ſilentio nō eſt premendum, quòd, uti à Polydoro Virgilio notatum, ſponſa in templo bibit, ſpōſo cum reliquis, qui præſentes adſunt, amicis mox idem facientibus. Subit autem mirari, quòd nihil mandi aut deglutiri, ſed ſolummodo bibi commemorat. Etenim, ſi quid hariolari poſſum, aut Polydori ætate obtinuit quod hodie inibi in moribus poſitum eſt, aut inſtitutum illud à Macedonibus & Galatis, de quibus in Sponſalibus nuper erat ſermo, neſcio qua via, ad eos dimanavit. Etenim Macedones gladio panem diviſiſſe, ut à ſponſo ſponſaque deguſtaretur; Galatas verò ex eodem poculo bibiſſe obſervatum memini; Nec non idem apud Moſcovitas moris eſſe. Hinc equidē, rebus in melius euntibus, novos conjuges ad panis & vini Euchariſtici communionem admiſſos poſtmodū fuiſſe exiſtimarim. Ita enim conſtitutum eſſe in Anglia novimus, *Ut novi conjuges eodem die, quo in matrimonium eunt, communione fruantur.* Atque ita unius panis ac poculi participes fiunt, ut conjuges in unam carnem jam coaleſcere debere indicetur. Un-

de &

de & matrimonium dicitur eſſe *tam excellens myſterium à Deo ſanctificatum, ut per illud ſignificetur & repræſentetur matrimonium ſpirituale, & unio inter Chriſtum & Eccleſiam.* Quod quàm benè dictum ſit ipſi viderint Liturgiæ iſtius autores. Ego litem hanc non facio meam; etſi, ut candidè eloquar quod ſentio, eam ſecundũ illos dare malim, qui cenſent à majore populi parte verba illa ſic accipi, quaſi matrimonium æquè ſit Sacramentum, ac S. Baptiſmus & S. Cœna. In ipſa autem conſecratione matrimonii Miniſter rogat: *Ecquis hanc mulierem elocat huic viro?* Tum verò accipiens eam è manu parentum aut amicorum viro tradit, cum mandato, ut eam dextrâ prehendat. Atque ita alter alteri fidem ſuam adſtringit, dicente primùm marito: Ego N. N. *accipio te in uxorem, ut te dehinc porrò habeam & retineam ſive in meliorem, ſive in deteriorem, ſive in locupletiorem, ſive in pauperiorem evadas, in bona & adverſa valetudine, te amem ac foveam, uſq; dum mors nos ſeparet, ſecundùm ſanctam Dei ordinationem; Atque in eo tibi meam ad ſtringo fidem.* Idem mox ait & ſpondet ſponſa. Deinde ſponſus eam annulo donat, quem libro imponit, additque debitum Miniſtro & Clerico munus, quod olim & aureum & argenteum eſſe oportebat. Miniſter autem, accepto annulo, eum viro exhibet, ut quartum uxoris ſiniſtræ manus digitum illo cingat & ornet. Ibi tum ſponſus à Miniſtro edoctus ſic infit: *Hoc annulo te duco, corpore meo te honoro, & omnibus meis facultatibus temporalibus te dono; in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* Miniſter autem, manum utriuſque dextram prehenſam rurſus conjungit, dicens: *Quos Deus conjunxit, nemo quiſquam ſeparet.*

ARCH. Præteriri à te video antiquiſſimũ illum Britannorum morem, quo receptum, ut ante fores Ædis ſacræ per Sacerdotem, tanquam libripendem, aurum & argentũ ſponſæ patri exhiberent, dum eam uxorem futu-

futuram in manus recipiebant, veteris Coëmptionis imagine. Atque inde conſuetudinem manaſſe aurei argenteique muneris, ipſi Sacerdoti ſive Miniſtro oblati, mihi fit veriſimile. Quid autem ſibi vult illud jam à te commemoratum, *Corpore meo te honoro?*

Bibl. Quęſitum idem ab aliis. nec abs re. quippe cùm in re graviſſima, verba prolata Nomine Dei, & coram Eccleſia ejus, Cimmeriis tenebris obvoluta eſſe minimè oporteat, ſed ita aperta & propria, ut cuivis proclive ſit ſententiam eorum percipere.

Arch. Mihi quidē iſtud audienti obverſabatur illa Judaica in tabulis matrimonialibus ſponſio, *Dono tibi cognitionem tui, ſecundùm morem & conſuetudinem omnis terræ.* Ita enim honorari mariti corpore uxorem exiſtimo, ſi, vagis libidinibus excuſſis, cum ſola legitima uxore conſueſcat, atque perſuaſum habeat, *virum non habere poteſtatem in corpus ſuum, ſed uxorem ejus*, ut Paulum loquentem audias.

Phil. Conſtare ſatis omnibus arbitror, à multis retrò ſeculis & poſt hominū memoriam matrimonii conſecrationem publicè fuiſſe peractam. nam ante aras firmatas Nuptias lego apud Statium Papinium Thebaid. lib. 2.

Viderat hoc conjux perituri vatis, & aras
Ante omnes, epulaſque trucem ſecreta coquebat
Invidiam.

Ad quæ Lactantius (vel Luctatius Placidus:) *Quia apud antiquos ante aras nuptiarum celebrabantur jura Nuptiarum.* Et Valerius Flaccus lib. 8.

Inde ubi ſacrificas cum conjuge venit ad aras
Æſonides, unâque adeunt, pariterque precari
Incipiunt, ignem Pollux undamque jugalem
Prætulit.

Sed illud mihi non æquè clarum eſt, an publica illa in templo & coram Eccleſia benedictio cum ſponſione ac

ac repromiſſione ſit neceſſaria. nam de illa graviter contendi, proque ea, tanquam maximè neceſſaria, quoſdam digladiari non ſum inſciens.

Bibl. Eſt utiq; perquam neceſſaria; quod non ſolum magnorum virorum autoritate, ſed & graviſſimarum rationum pondere demonſtrare non eſt difficile. Plato lib. 5. de Legibus matrimonii inaugurationem fieri poſtulat per Sacerdotes, non ſine ſacrificiis & precibus. Hinc *Auſpices* (hoc eſt, *ὁ ἐπ' οἰωνοῖς ἱερεῖς*, ut Plutarchus eos deſcribit) olim adhibiti, quo nomine poſtea proxenetæ & conciliatores Nuptiarũ dicti ſunt. Tametſi enim Auſpices adeundi mos mutaſſet, nec auſpicia peterentur, hi tamen proxenetæ veteris conſuetudinis cum ipſo nomine veſtigia uſurparunt, ut Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. teſtatur. Mihi autem imprimis memorandum videtur illud Tertulliani grave dictum, libro de Pudicitia cap. 4. *Penes nos occultæ quoq; conjunctiones, id eſt, non priùs apud Eccleſiam profeſſæ, juxtà mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.* Aponius in Canticum Canticorum lib. 2. *Quòd ſi omnia in nomine ejus juſſa ſunt fieri, nulla reliquit opera, quæ non in ejus nomine faciat. Immò & ideò Nuptiæ etiam à Sacerdotibus Chriſti benedicuntur, &c.* Capuanus legatus Pontificis in Bohemia & Polonia vetuit matrimonia iniri abſq; cæremoniis publicis, quas ibi nullas invenerat. Eademque mente uſum quoque Henricum III. certum eſt, qui Gallis ſuis mandavit, ut non niſi poſt nomina jam tertiùm promulgata, publicè per manum Sacerdotum novi conjuges copularentur. Quin etiam in Ducatu Megapolitano conjugium, etſi palam initum, ſæpenumero tamen ob cauſas graves diſſolvitur, niſi publicis precibus in Eccleſia ſit confirmatum.

Arch. Conſtantinus Harmenopulus J. C. Græcus Promptuarii Juris Civilis lib. 4. tit. 4. Megapolitanorum morē exemplo non deſti-

deſtitui indicat, cùm ait: *Hodie non nudò conſenſu matrimonium contrahitur. Sed &, ni Sacerdotum precibus interpoſitis corroboratum fuerit, nec Nuptiæ contrahuntur, nec prohibentur qui contrahunt à ſe invicem disjungi. Atque hoc, Novella edita, cavit ille inter Principes decantatus Cæſar Leo cognomento Philoſophus, inſuperque feliciſſimus ille Princeps Alexius Comnenus. Porrò benedictione ſacriſque peractis, etſi non proceſſerit ipſum connubium & eorum qui jam conſenſêre copula, matrimonium tamen eſſe videtur, & contractus qui jam ſolvi reſcindique nullo modo poſſit.* Atque ita quidem apud Theſſalonicenſes, ubi Præſidem agebat, uſu veniſſe non obſcurè oſtendit. Gemina autem illis ſunt quę ſtatuit Euariſtus Papa, cùm negat eſſe *legitimum conjugium, niſi cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicatur.* (cap. aliter. 30. q. 5. c. cum inhibitio. ertra. de cland. deſponſ.) Juſtinianus, qui primus nominari à nobis debuerat, (Nov. 74.) vult contrahi matrimonium cum conteſtatione apud defenſores Eccleſiæ tabuliſq; conſignatis.

BIBL. Rationes quoque, quæ mihi hanc ſententiam conciliant, in promptu ſunt. Nam intereſt Reipub. ſcire quinam quibus collocentur, cùm ut nè civitas incertis ac rixoſis conjugiis oneretur, tum nè pauperum ac mendicorum μυρμηκία oppleatur. Unde Genevenſibus mos, ut qui conjugium ambiunt (maximè οἱ ἀποχειροβίωτοι) vitæ ſuæ rationem reddere, & qua arte victum quærere vitamq; ſuſtentare queant coram Synedrio Eccleſiaſtico exponere cogantur. Etenim, ſi idipſum demonſtrare liquidò non poſſint, vel prohibentur connubio jungi, vel mox, conjuges facti, tanquam in exilium acti, urbe excedere jubentur. Præterea clandeſtina Sponſalia cauſſam fraudis ſuſtinere, ut & alios contractus clanculum initos, tenent J. Cti. Quoniam ergò matrimonium inter bonæ fidei contractus vel maximè cenſetur,

tur, omnem doli mali ſuſpicionem, utut leviſſimam, procul inde amovendã nemo neget. Demonax, qui ſub Adriano Philoſophiæ laude claruit, nunquam à ſe impetrare potuit, ut ſacris Eleuſiniis intereſſet. Itaque ea de cauſſa in jus vocatus, ut qui religionem patriam flocci faceret, hoc modo pro concione cauſſam dixit: Sacra illa, Judices, mihi ſemper mali alicujus occulti ſuſpicionem injecêre, quòd, ab hominum conſpectu ſegregata, cognitionem oderint, lucemque apertam fugiant. Quippe ſi à ſceleris confinio ſint omninò remota, nihilque in iis, quod inceſtare animũ honeſti amore imbutum poſſit, committatur, quid vetat, quò minus palam fiant, ut omnes quid rerum agatur oculis arbitrentur, atque ita animi majori cupidine ea ſacra colendi inflammentur? Si verò monſtri quid alant, quicquid propudioſum eſt, cognitione habita, plublicè aboleatur? Quod ſi hæc ſacra homo Ethnicus à fraudis dolique mali ſuſpicione vindicare voluit, in publicam lucem è tenebris ea protrahendo; utique convenientiſſimum eſt, ut ſanctum illud, & à Deo ipſo inſtitutum, matrimonium clandeſtini doli & infandi alicujus criminis ſuſpicione nè dedecoretur.

Phil. Ne quid auribus tuis dare velle videar, Biblicace, elegantiſſimæ diſſertationis tuæ laudibus omiſſis, hoc unum omittere non poſſum, ita me abs te eruditum, ut rem, quæ modò dubium dabat animum meum, nunc manibus teneam. Sed tempus ipſum & res prȩſens monent, ut quoniam modò ſponſum ac ſponſam floribus virentiumq; arborum foliis conſperſos vidimus, & ipſa hæc genialis menſa floſculorum varii coloris amœnitate renidet, de φυλλοβολία & ἀνθοβολία nonnihil commentemini.

Arch. Tua iſthæc ſit provincia, Philiſtor. Nec nobis invide quȩ hîc exprobatis

batis autoribus & ipſa antiquitate obſervare contigit. Neque enim decet, ut ad alios irritandum aſilus tantùm audias. etſi Socratem hoc nomine appellatum accepimus.

Phil. Quaſi verò quicquam ſciam quod tu neſcias. Etſi autem vereri poſſim, nè idem mihi uſu veniat quod Phormioni, de re militari coram Hannibale verba facienti, aut Megabyzo, de umbra & linea, præſente Apelle, diſceptanti uſu veniſſe ajunt, quorum uterque mente captus eſſe judicabatur, quòd coram iis, de tali argumento orationem haberet, à quibus diſcere præſtaret quàm docendi laudem querere: Attamen, [illegible] ea quæ me ex te audire æquum eſt eliciam, dicendi faciam exordium, & periclitabor in hoc genere quid poſſit ingenium. Subire nempe audacis & parum cauti nomen malo, ut qui præcipiti oratione, de re ex improviſo propoſita, non penſiculatè differam, quàm aut durior abs te aut tardior ad obſequendum amicis exiſtimari. Non enim me fugit illud Grecorum, βραδεῖα χάρις ἄχαρις. Et profectò hæc ipſa feſtinatio patrocinabitur, ſi quid minùs amuſſitatum attulero. Rami frondeſq; arborum rem divinam facientibus, Deumque ſuum venerantibus, non fuêre inſolentes, ut liquet lib. 2. Machabæorum cap. 10. comm. 7. Et diſertè Joſephus Antiq. Jud. lib. 3. cap. 10. teſtatur, Judæos in ſacrificio euchariſtico ramos myrti & palmę manibus geſtaſſe, ex quibus mala Perſica dependebant. Ubi quidam obſervavit, mala Perſica conſultò ramis fuiſſe adhibita, ut ſignificaretur, cor & linguam Deo eſſe dedicandam. Nam Perſea frondes habet linguarum inſtar acuminatas, fructus verò in cordis fermè effigiem formatos. Referunt Hebræi, ex pomis citriis, frondibus palmarum, ſalicibus torrentis, &c. (quorum mentio Levit. 23. 40. & Nehem. 8. 16.) factos quoquè faſciculos,

los, quos manè per ſeptem Feſti dies hinc inde geſtarint; omnemq́; cibum negatum ei qui talem faſciculum priùs, pro more, non portaſſet. Unde Feſtum ipſum quoque *Chaggnaravim*, hoc eſt, *Feſtum palmarum*, ſeu potiùs *ſalicum* dicebatur. *gnarabh* enim Hebræi *ſalicem* interpretantur.

Bibl. Celeberrimus ille inter doctos Paulus Fagius ad caput 23. Levitici ſcribit, octavum ejus feſti diem *Palmarum diem* dictum. Septimo verò ſepties altare circumiviſſe, portantes palmas in memoriam captæ Hierichonis, quæ prima fuit civitas terræ promiſſæ, ab Iſraelitis ſeptena circuitione occupata. Atq́; inde eſt quòd in cultu idololatrico ramum uſurpatum legamus Ezech. cap. 8. comm. 17. *Et ecce applicant ramum* (aut *palmitem*) *ad nares ſuas.* Nam manum cum ramo adorantes ſimùl ori admovebant, ut venerantium olim mos erat. Clemens Alex. Strom. lib. 5. eum paucis hiſce verbis notavit, cùm meminit *ramorum qui dantur iis qui adorant.* Obſervavit itaque vir quidam inter doctos non infimi ſubſellii Hieronymum rectè vertiſſe, ſi ſenſum Prophetæ ſpectes, *Applicabant ramum ad nares ſuas*, *in ſignum*, neinpe, adorationis, quam Soli præſtabant; Errare autem Theòdotionem, qui ramorum illam geſtationem ſignû irriſionis interpretatur, cùm potiùs venerationis ſit hieroglyphicum. Nam quis ignorat, ramos in ſuperſtitioſis gentilium ritibus, ad cultum falſorum Deorum; fuiſſe prælatos, ut pinum Pani, Sylvano & Diti cupreſſum, Iſidi abrotonum? Certè apud Athenienſes feſtus erat dies ramorum nomine inſignis, quo in honorem Bacchi præferebantur ὄχοι καὶ μόσχοι, hoc eſt, *tenues rami*, maximè vitis. ex quo ὀχοφορίας nomen iſti celebritati feſtoque diei obtigit; & ὀχοφόροι, ſeu *ramiferi* appellabantur pueri ſacrorum miniſtri, qui acceptos vitis ramuſculos ex Bacchi in Minervæ Scir-

 rhadis

rhadis ædem deferebant, ut Athenæus lib. 11. & Nicandri Scholiaſtes obſervarunt. Hiſce abrumpere filum orationis tuæ non diſconveniens eſſe duxi, ut dicta tua firmarem, meq; in partibus haberes. Expecto autẽ avidè, quomodo hæc, tam longè petita, φυλλοβόλιαν Nuptialem, de qua dicere incipiebas, adſtruant.

Phil. Neutiquam extrà oleas me vagari, ubi cætera audiveritis, omnes fatebimini. Quippe altiùs originem ejus repetitum ire placuit, etiam, veterum more, ἐκ διός. Itaq; φυλλοβολίαν in divino cultu incunabula ſua agnoſcere manifeſtum facere volui. Neve ambigatis, hoc coronidis vice adjungo, quod ſcribit Porphyrius: *Antiqui neque thus; neque aliam victimam offerebant, ſed folia, veluti primam pubeſcentis naturæ lanuginem, manibus decerptam, Diis adolebant.* Sic ergò exiſtimo, Dei ſimiam, Diabolum, honorem illum, quem à Judæis vero Deo exhiberi vidit, primitus ad idola, hoc eſt, ſeipſum derivaſſe horribili ambitione. Ac deinde, labente tempore, paulatim etiam homines virtute ac rerum geſtarum gloria conſpicuos, & ad omnia ſumma natos, tanquam ad Deos proximè accedentes, palmarum ramos geſtando ac præferendo, nec non folia floreſq; in eos jaciendo à veteribus cœpiſſe honorari.

Arch. Id ſi teſtibus idoneis, atque omni exceptione majoribus planum feceris, haud vulgariter me delectaveris.

Phil. Philonem in De Legat. ad Caium accipe, ſcribentem de M. Agrippa, Caii Imperatoris avo, quòd foliis floribuſq; in eum jactis, ob pietatem honoratus ſit. Hoc autem cùm ſub ortum Chriſti contigerit, non malè inde colligitur, Judæos, qui, neceſſitate an adſentatione ducti, Romanos mores imbiberant, non ſolùm Agrippam, ſed Soſpitatorem noſtrum eo ritu honoris eſſe proſecutos, cùm Hieroſolymam ingrederetur.

tur. Adde Pauſaniam, qui in Eliacis narrat, Diagoram à duobus filiis Acuſilao & Damageto, in Olympia jam declaratis victoribus, per confertiſſimam turbam humeris fuiſſe ſubvectum, *conjicientibus in eum flores Græcis, & liberorum cauſſa beatum prædicantibus*. Audi & Livium lib. 33. *Omnes tendere ad Imperatorem Romanum; ut, ruente turba in unum, adire, contingere dextram cupientium, coronas, lemniſcoſque jactantium, haud procul periculo fuerit*. Ovidium denique de Germanici triumpho canentem:

Quaque ibis manibus circumplaudêre tuorum,
Vndique jactato flore tegente vias.

Nam de Pompejo ſimiliter honorato, ut Plutarchus narrat, aliiſque multis dicere prudens ſuperſedeo. Immò & mala quoque jactata, honoris ergò, in viros virtutis generiſve nobilitate conſpicuos ex Steſichoro apud Athenæum addidici. Quò etiam referri poſſe videtur illud Heliodori Æthiop. lib. 3. de Theagene, quem *pervulgatæ mulieres, & quæ affectum animi continentia occultare non poterant, malis & floribus petebant, benevolentiã quandam ab ipſo, ut videbatur, captantes*. Etſi non negem illud de malorum jactu magis amatorium & laſcivum eſſe, quod Græci uno verbo μηλοβολεῖν dixerunt. Et notum illud: *Malo me Galatea petit laſciva puella*. Virorum certè inſignium foribus ramos antiqui affigebant, ut favorem ac ſtudium ſuum ergà eos declararent. Lucianus in Rhetorum Doctore idipſum teſtatur, cùm palmam pro foribus appenſam victoriæ in actionibus partæ ſignum fuiſſe indicat, atque eo honoratos victores. Quò ſpectat & Juvenal. Sat. 7.

—— *rumpe miſer tenſum jecur, ut tibi laſſo*
Figantur virides, ſcalarum gloria, palmæ.

Hinc ergò ramos etiam Nuptiis adhibuerunt maximè autẽ laurũ. Apuleius lib. 4. *Domus tota lauris obſita, tædis lucida, perſtrepebat Hymenæum.* Claud. lib. 2. de raptu Proſ.

Pars aulæa tenent, alij prętexere ramis
Limina ——

Nec non platanos, populos, cupreſſos, &c. Catullus de Nuptiis Pelei, ex emendatione Joſ. Scaligeri:

Confeſtim Peneos adeſt. viridantia Tempe,
Tempe, quę ſilvæ cingunt ſuperimpendentes,
Minyaſin linquens Doris celebranda choreis,
Cranona criſonamq́, tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras ſtipite laurus,
Non ſine nutanti platano, fletaq́ ſorore
Flammati Phaëthontis, & aërea cupreſſu.
Hæc circum ſedes latè contexta locavit,
Veſtibulum ut molli velatum fronde vireret.

Hinc itaq; ad noſtrates uſq; fluxiſſe arbitror ut nubentes, tanquam publico laudis honoriſque præconio, ſoleant φυλλοβολεῖσθαι καὶ ἀνθοβολεῖσθαι. Sponſus quidem quòd apud ſperatam feliciter cauſſã peroraverit; ſponſa autẽ, quod ſui amore ac deſiderio ſponſum ſuum victum vinctumq; tenuerit. Claudianus ergò de Nuptiis Honor. & Marię ita ſuccinit:

Candidus interea poſitis exercitus armis
Exſultat ſocerum juxtà: nec ſignifer ullus,
Nec miles pluviæ flores diſpergere ritu
Ceſſat, purpereoque ducem perfundere nimbo.

Nè ergò alienum putate id quod modò attigi de Servatore ac Soſpitatore Chriſto, quem Johannes cap. 12. comm. 13. refert, palmarum ramis prælatis, à populo honoratum, tanquam virum de omnibus optimè meritum; adhæc ſapientiſſimum, utpote qui eſſet σοφία κοσμοτεχνῆτις adeóque ſummus Rex & verus Deus unicuſq; Eccleſiæ ſponſus. Huc reſpexit Chryſoſtomus in Orat. de Circo, cùm ait: *Accipiens bravium palmarum, ut à pueris olim factum eſt, & quatiens adorato eum.* Quibuſcum conferrẽ ne pigeat quæ leguntur Machabæo-

rum

rum lib. 1. cap. 13. comm. 51. de Judæorum Duce Simone, ut inde magis diluceat, populo Dei etiam morem illum placuiſſe.

Arch. Si erras, Philiſtor, ſanè ingenioſum atque eruditum erras errorem, qui an vitio vertendus, an verò in laude ponendus ſit in ambiguo eſt. Mihi tamen Nuptialis illa flores foliaq; jaciendi conſuetudo potiùs ab Hieronicis & athletis derivata videtur. Victores enim foliis & floribus conſpergebantur. Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 2. cap. 8. expreſſiſſimis verbis idipſum nos docuit. *In certaminibus primò fuit Donum athletarum. Secundò autem* (ἐπεγερμὸς) *Plauſus & excitatio. Tertiò Foliorum conjectio. ultimo Corona.* Ubi Clar. Caſaubonus pro ἐπεγερμὸς ſubſtituit ἐπαγερμὸς, quæ vox munuſculorũ collectionem notat; ut ad ſextum librum Suetonii ab eodem obſervatum; ubi etiam ex Livio aliiſque compluria foliorum jactorum exempla recenſentur. Itaque in Bibliaci ſententiam concedo, &, unà cum coronis, flores foliaque à palæſtra & ſtadio ad nubentes (tanquã qui pulchrâ victoriâ virginitatem intemeratam ad conjugium afferant) tranſlata eſſe vix dubito. Et ſanè ſicut foliorum jactus coronam athletarum antecedebat, ita in Nuptiis eundem ordinem notare licet. Nec hallucinabitur fortaſſis qui Chriſtum, ſponſum illum Eccleſiæ ſanguineum, athletico quaſi ritu, in læto Hieroſolymæ introitu priùs φυλλοβολȣ́μενον ramorum palmæ jactatione, dein verò ſpinis coronatum aſſeret. Interim autem dum de hiſce ac ſimilibus nobiſcum mutuo communicamus, ne jejunium nobis indictũ putate. Quin tu ergò, Philiſtor, operculum iſtud farinaceum de artocrea tollis, non malè conditum ibi cadaver nec lachrymabile lethum offendes; ſed lætum acceptumque naribus ac palato. Ne grave tibi ſit familiaribus hiſce te præbere diribitorem, — *& chironomonta*

volanti Cultello. Imprimis cave gallo iſti ſpadoni tam leniter aſſato,& tenui larido perforato peperceris & manum abſtinueris.

Phil. Eheu! etiam nunc in terris agit redivivus Mœzentius, qui mortua jam pridē ſic jungit corpora vivis?

Bibl. Quid exclamas? quid ex tripode vaticinaris?

Phil. Non ex ſella tripode, unde jam, ut fercula expeditiùs carpam, ſurrexi, ſed ex artocrea hac, Bibliace. En autem paſſerculum volitantem, qui, ut operculum ſuſtuli, protinùs ex artocrea proſiliens alarum remigio ſe in altum ſuſtulit.

Arch. Coquorum is ludus eſt, quo carptores interdum ludere, & convivas in riſum dare amant. præeunte etiam ad id majorum, immò & Imperatorum, in feſtis genialibus exemplo. Ita enim Xiphilinus in Severo: *Is tantum filiæ ſuæ dedit quantum reginis quinquaginta ſatis fuiſſet. Quæ omnia per forum vidimus comportari in palatiū, in quo nobis epulum datū eſt, regio & barbarico apparatu. Aderant enim epulæ rerum omnium, quibus veſci homines ſolent, multaq́; in his cocta, multa cruda, nonnulla etiam viva cepimus.*

Phil. Hæc mihi auditu oppidò quam jucunda ſunt, nec cara auro contra. Immò quàm diu Muſas colui, hæc atque id genus alia perdiſcere mihi fuit ὅλ☉ͅ βί☉ͅ. Nā etſi pollucibiliter nunc menſæ ſint inſtructæ, fercula belliſſima, Sybariticæ deliciæ, opipares cibi, meræ lautitiæ, tum calices ampli ac ſplendidi, minoribus immixti, variæ quidem gratiæ ſed pretioſitatis unius, denique omnia regiarum penè menſarum argumenta, torpentiſque gulæ invitamenta, quibus opſodædalorum mancipes artem imprimis nunc venditant; attamen κεπφικὰ iſta cenſeo & non hujus facienda prę litterariis hiſce condimentis, & eruditionis ſale. Laudo enim philoſophos illos qui non minùs ſatagebant litteratis ſermonibus condire ſympoſia, quàm vinum affuſa aqua mitigare ac diluere, quod *non minus*

minus Muſis quàm Nymphis Bacchum temperare vocat eleganter Plutarchus lib. 1. Sympoſ. Proinde ne citius quàm vellemus hæc confabulatio finem inveniat, etiam minutiſſima quæque, in moribus noſtris ad antiquitatem exigendis, conſectari nunc lubet. Ergò illud nobis ediſſere nunc, mi Archæologe, qui mihi ob adcuratiſſimam eruditionem atq; eloquentiam Mercurii typus es, cur diebus Martis qui aliquo apud nos numero ſunt potiſſimùm initientur conjugio, idque etiam apud majores noſtros uſurpatum ſit. Id ipſum namq; in filiæ tuæ Nuptiis hodie obſervaſti. Equidem ineptè curioſus eſſe malo, quàm quidquam intactûm relinquere.

ARCH. Diſpeream, niſi id juxtà cum ignorantiſſimis ſciam. Nunquam ſanè ad iſtud animum adverti, tanquam fortuitum aut nullius ponderis negotium. Tu ergò qui more majorũ id fieri aſſeruiſti, & cauſſam ejus, uti reor, in promptu præmeditatam habes, agedum quid obſervaveris & ſentias ipſe expedi. Tute intriſti, tibi exedundum eſt.

PHIL. Præter expectationem ſanè in me hæc cuditur faba. Superiori ſeculo itaque hunc morem acceptum fero. nam Anaſtaſium quendam Sinaitam Hexaëmeri lib. 3. ita ſcripſiſſe legi: *Sacerdotum benedictione conſecrantur hodiè nubentes.* nam de tertio hebdomadæ die ei ſermo eſt. Immò à viris eruditione conſpicuis adusq; Euangelii promulgati exordium primaque tempora eundem referri video. quia nempe Johannes Euangelii ſui caput ſecundum his verbis inchoat: *Tertio die Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.* Inde ergò putarunt majores noſtri Nuptias eſſe auſpicatiſſimas, quæ eodem hòc tertio die, qui eſt Martis, celebrarentur, omine captato à feliciſſimis illis Nuptiis, ubi aqua in vinum præſtans ac generoſum à Soſpitatore noſtro converſa fuit, primo ac celeberrimo miraculo.

ARCH. Dies ergò Martis Nuptiis vulgò ſacer eſt.

Quia autem incertum eſt in quem hebdomadæ diem Nuptiæ, in Cana Galilææ factæ, inciderint, (nam tertium, non hebdomadæ, ſed adventus Chriſti in Galilæam, diem à Johanne deſignari recepta eſt opinio) incidit ſuſpicio, ab ipſis Ethnicis Martis, Veneris adulteri, memoriæ, eum diem conſecratum fuiſſe, quò novus maritus ſe maſculum pręberet. Quid enim magis maſculum quàm Mars belli pręſes nec non Veneris adulter? Unde Varro in Satyra ὄνος λύρας, *Si non plus*, inquit, *teſticulorum offenderis quàm in cratiſto pecore in Apulia, vincor non eſſe maſculum Arem*. Ita enim mihi locus legendus videtur. Solet namque doctiſſimus togatorum Græcas voces medio Latino ſermoni inſerere. Idq; hìc potiſſimum feciſſe mihi ſit veriſimile, ut Græcos oratores irrideret, quibus κράτιστος ſemper in ore, etiam ex infima fæce vulgus alloquentibus, ut auram popularem captarent. Ergò, ut cum ſale eos clanculum morderet, nomen titulumque ejuſmodi pecori attribuit. Appuliam autem optimo pecore abundare, præter alios, teſtis eſt Columella lib.7. cap.2.

Phil. Majorem fidem obſervatio tua ducit ex eo, quòd Mars idem ſit cum Hercule. Ita enim ex Macrobio Saturnal. lib.3. capite ultimo didici; Ubi de Hercule agens, *is Deus*, inquit, *& apud pontifices idem qui & Mars habetur. Et ſanè ita Menippea Varronis affirmat, quæ inſcribitur* Αλλος οὗτος Ηρακλῆς, *in qua cum de Hercule multa loqueretur, eundem eſſe ac Martem probavit. Chaldæi quoque ſtellam Herculis vocant, quam reliqui omnes Martis appellant.* Adhæc Salios Herculi dari, quos tantum Marti dicavit antiquitas, ibidem demonſtrat. Noſti autem illud de Hercule memorię proditum, quòd ſeptem diebus quinquaginta virgines Theſtiæ filias conſtuprarit. Unde præclarè Varro dixit; *Vincor*

non

non eſſe maſculum Arem, id eſt, Herculem. Die autem à Marte ſive Hercule, denominato, in ſpē πολυγονίας, matrimonium inire, quid ni auſpicatiſſimum fuerit judicatum?

Bibl. Etſi in veſtram ſententiam pedibus ire non abnuam, nolo tamen vos celare, Nuptiarum, quibus Jeſus conviva interfuit, diem à Philippo Lanſbergio ſtatui primū hebdomadæ, hoc eſt, diem Solis ſive dominicum noſtrum. Idq; eo indicare lubet, ut cauſſam cognoſcatis cur nō minus hoc die, quàm Martis, geniales epulę à noſtratibus fortaſſis celebrētur.

Arch. Menſes omnes numnam tibi nullo hîc diſcrimine habentur?

Phil. Mihi quidē planè nullo. Tibi verò an eadem ſtet ſententia valde dubito.

Arch. Qui ſic, mi Philiſtor?

Phil. Quia ipſo menſis Junii principio filiam nuptū dare tibi placuit, & à Majo abhorruiſſe videris. Nempe *Menſe malas Majo nubere vulgus ait*.

Arch. Omina ejuſmodi, ac ſuperſtitiones contemno, nec tanti mihi ſunt, ut iis movear. Verumtamen etſi ipſo Majo Nuptias facere certū mihi eſſet, neſcio quæ incidentes remoræ non cogitantem in hunc uſque menſem eas protollere coëgerunt. Cur autem menſis Majus terriculamento nubentibus fuerit olim, multi dixerunt, nemo perſuaſit. Si quid autem hîc video, nomen ipſum horrori fuit ob originem. *Majus* enim quaſi *majorum* menſis, ut *Iunius juniorum* dictus eſt à Romulo, in honorem populi, poſtquam eum in Majores Junioreſque diviſiſſet. Exinde Nuptias Majo menſe factas puellæ tam inproſperas fore augurabantur, ac ſi viro grandi natu nuberent. Quod mirum in modum oderunt; ut quæ ſenes de ponte præcipitandos potiùs cum Romana juventute exclament.

Quos petiere duces annos in milite forti,
Hos petit in ſocio bella puella thoro.

Quippe ſenis amatoris pictum amorem rident, & ſi fortè ex ipſo concipiant, non dubitant, *quin ſit paratum nomen puero, Poſthumus*. Siquidem (ut vulgò dicitur) puella ſeni equa eſt, qua in cœlum vehitur. ſimulque & nupta eſt & vidua: vel brevi, fatis concedente marito, vidua vivet.

PHIL. Junio ergò, menſe puellis auſpicatiſſimo, utpote à juniori ætate denominato, non autem Majo, filiam viro non minùs florenti ætate, quàm nunc floret annus, junxiſti feliciter.

ARCH. Fortuitò, ut modo dicebam, in hoc tempus Nuptiæ inciderunt. Sed, ut quo cœpiſti pede pergas, de genialium epularum loco ſi quid tibi eſt memoratu dignum, id attexere ne pigeat. Ita Polytropo, jam aliud agenti & in novas cogitationes defixo, dicendi lampada trades.

PHIL. Certè jam tradidiſſe velim. metuo enim ne currenti extinguatur, & pro fulgore fumum vobis dem. adeò arida eſt mihi eloquentiæ vena. Ut ergò reliquum abſolvā feſtinus, hoc unum dixiſſe ſufficiat, & de cæteris mihi deinceps gratiam facite, Sponſis, nimirum, ex turba proletaria, quibus tenùior erat fortuna, locum Nuptiis faciendis publicè aſſignatum. nam ita inquiunt Impp. Theodoſius & Valentinianus in Cod. Juſtin. lib. 8. tit. 12. l. 21. *Baſilicam inauratam & marmoribus decoratam, libèram in perpetuum manere &c. ſancimus. Illud quoque decernimus, nè in eam equos liceat intromitti, vel Nuptias celebrari.* Propria verò hiſce ædificia conſtructa fuêre in Nova Roma, & *Nymphæa* dicta, iiſque ad Nuptias celebrandas (ut Cedrenus refert) indulta, qui domicilio carerent. Impetrone jam nunc honeſtam miſſionem à Modimperatore noſtro Archæologo?

ARCH. Impetras. at ea lege, ut Polytropum ſubdas ſuccedaneum.

PHIL. Curabitur. me vide. Polytrope, Polytrope, Polytrope.

POLYT. Quæ iſthæc vocifera-

ciferatio eſt?

PHIL. Niſi ſermonis vicem retuliſſes, jam te conclamatum dixiſſem. Certè errore & caſu, neſcio quo, nobis abreptus videbaris. Hinc Herculē imitatus (qui adamatū Hylam inveſtigans

Τρὶς μὲν ὕλαν ἄϋσεν ὅσον βαθὺς ἤρυγε λαιμός.

Ter quanto potuiſſet Hylam clamore vocabat.)

ter te inclamavi. Benè autē habet quòd vox mea aures tuas verberaverit, & excitarit retraxeritq; aberrantem. Ubi autē (lubet enim id ſcire) vagabatur animus tuus? *Dic quo ſub cœlo tandem, quibus orbis in oris?* Tene ſolum, omnibus differentibus tacere tam diu! Quin rumpis ergò ſilentium & Ariſtotelem audis, qui, Iſocratis rhetoris gloriâ commotus, dixiſſe memoratur: *Turpe tacere, & Iſocratem ut dicat ſinere.*

POLYT. Sal & urbanitas hominis! In ſponſam defixi erant oculi, cujus modeſtia, & gravi verecundia mirum in modum delectabar; cumque viderem illam ex cibis appoſitis & undique ei ſuggeſtis ne tantillum quidem deguſtare, venit in mentem, ſimile quid antiquis in more poſitum fuiſſe.

PHIL. Quàm verè dixit ille pater Latinitatis: *Multi qui limina intrarunt integris oculis, ſtrabones ſunt facti! habet quiddam enim* ἑλκυστικὸν *formoſula uxor.* Neque enim hanc, quā oculis uſurpabas, ſponſam forma deſtituit; ſed *ante aures modicè ex ſobolibus parvuli intorti demittuntur ſex cincinnuli. Oculi ſubpætuli, nigellis pupillis, quandam hilaritatem ſignificantes animi. quos calliblepharo naturali palpebræ tinctæ vallatos mobili ſepto tenent; rictus puriſſimus, ore frenato, riſu roſeo. Sigilla, in mento impreſſa amoris digitulo, veſtigio demonſtrant mollitudinem. Collum procerum, fictum levi marmore.*

ARCH. Laudibus iſtis ſuperſedeas licet. ſatis enim formoſa eſt, ſuo quæ placet marito. Cæterùm cras iſtud pulchritudinis atque ornamentorum encomium in ſponſā quadrabit magis, ubi

θεώ-

θεωρῆτρα à ſponſo acceperit, atq; iis decorata ſplendidior multo prodierit. Etenim ſic dona poſt primum concubitũ olim ſponſæ data, cùm, poſito flammeo ſe viſendam præberet, & ſponſo eam alloquendi fieret copia, dicebantur. Quæ ſanè appellatio Moſcovitas imprimis deceret, quorũ ſponſis ante primam, qua ſponſas ſuas habent, noctem, videre au alloqui eas nefas eſt.

Phil. Sine me ejuſdem ſcriptoris verbis tibi reſpondere, dicentis: *Dominum convii, vinum, aliudve quid ni laudato.*

Polyt. Nolo tecum diſceptare, Philiſtor, qui videri vis ad ipſa pectoris mei penetralia penetraſſe; ſed cùm à Libero libertatem tecum quoque hauſerim, cogitationes meas non invitus promam. Cum Libero Comum admittendum mihi perſuadebam, quo Sponſa in lætitiam conjiceretur; immò perſuadebat hoc ipſum tempus, quo ſydera cœleſtia *Exercent varias naturę lege choreas.* Aut, ſi Varronem, in cujus lectione aſſiduus es, audire mavis, jam *pictus aër fervidis latè ignibus cœli choreas aſtricas oſtendit.* Certè duas illas in cauda Cynoſyræ ſtellas, polarem (quæ immobilis eſſe videtur, & *Polus* appellatur) circumeuntes, χορευτὰς veteribus dictas fuiſſe ab Hygino accepimus.

Bibl. Cœlum ipſum choreas ſuadere nunquam fidem facies. E contrario verò Comum ab honeſtis Nuptiis cum choreis ſuis excludendũ autor ἀκίνητος, & qui cœli arcana ſcrutatus eſt, penitiùs quàm Aſtrologorum quiſquam, Paulus Apoſtolus, nos docuit, cùm jubet Romanos ὡς ἐν ἡμέρᾳ εὐσχημόνως περιπατεῖν, μὴ κώμοις καὶ μέθαις. Ubi κῶμοι *choreas* deſignant. Suidas (etiam eas cum ebrietate copulans) κῶμος, inquit, ἡ μέθη καὶ ὁ ὀρχισμός. nam nemo ſaltat ſobrius. Quid quòd Synodi Laodicenſis Canon 53. diſertè vetat

Chri-

Chriſtianos ad Nuptias venientes βαλλίζειν, hoc eſt, *turpiter & indecorè ſe gerere.* vel ὀρχεῖσθαι, *ſaltare*: ſed modeſtè cœnare & prandere eos jubet, ut Chriſtianos decet. Balſamon autem eum Canonē ſcribit clarum eſſe, neque egere explicatione, quia penitus exoleverat.

Polyt. O ſeculum modeſtum! Sed tamen γάμους ἀγάμους nobis obtrudis, quia ἀχορεύτους, quales damnati à veteribus. Muſæum Romano ore canere vel potiùs conqueri coactum audite:

Non choreas thalamus, non hymnos lectus habebat,
Nec levibus pedibus ſaliens qui luderet aulâ.

Theocritus morem vetuſtum tangit in Epithalamio Helenæ, ubi virgines, virentem hyacinthum comis implicitum habentes, ante recens depictum thalamum chorum inſtituiſſe memorantur.

Bibl. Conſimiles moribus illis fuiſſe quā eſſe multo melius eſt. Imò longiſſimè ſemper abfuiſſe multo feliciſſimum. Ceſſent ergò jam penitus, ceſſent impuræ illæ nugæ.

Polyt. Nunc itaque Archæologū ab onere gravi ſubduxiſti.

Arch. Qui ſic?

Polyt. Funem ducere in choro debuiſſes, aliiſque choreas exercendo præire, quod patrem ſponſæ olim facere ſolitum veterum monumentis traditum eſt. Ita enim de eo meminit Heliodorus lib. 5. Æthiop. cùm ait Nauſiclem patrem filiæ ſponſæ manu arrepta, in rudi ac ſubitaneo Nuptiarum apparatu, choragum fuiſſe: Immò patrem à filia manum extendente, (ut moris non ignara) ad id ipſum fuiſſe invitatum.

Arch. Ne tamen ludus jocuſq; ſuus, cui cum honeſtate conveniat, deſit hiſce genialibus epulis, agite, *griphi* & *ænigmata* bellariis noſtris gratiam ac venuſtatem, nobis verò voluptatem concilient. Etenim non contemnendi autores in eis ingenii

nii vires exercuerunt. Quorum florem decerpere utile ac jucundum fuerit.

Bibl. Et tam εὔλογον ut quod maximè. Quippe cyathos & ſcirpos ſive griphos hilaritatis ſeminarium in conviviis juxtà eſſe veteres crediderunt & κυλίκεια ζητήματα, Polluce teſte, dixerunt. Unde de hiſce apud Athenæum lib. 10. Deipnoſoph. ſermonē inchoans Æmylianus, cauſſam hanc ſubnectit; ut paululùm ſecederent à poculis, non tamen ab hilaritudine. Quid quòd antiquiſſimo illo rudi & impolito ſeculo in Nuptiis griphorum oblectamenta viguiſſe pervinco ex Samſonis illo ænigmate, oppidò quàm obſcuro, cap. 14. libri Judicum, quo paranymphis ſuis Philiſtæis crucē fixiſſe narratur, & quod quidam ita efferebat:

De forti, mirum eſt, dulcedo provenit ingens;
Suavis & egreditur de comedente cibus.

Phil. Nil magis ex voto cecidiſſe potuit, quàm huc nos jam, quaſi tempeſtate quadam, delatos. nam Polytropi de choreis incepta oratio, quam tamen deſtituebant (liceat mihi ἐλευθεροστομεῖν) ratio & peroratio, commodùm nos ad griphos pertraxit. Attamen quæ ratio Polytropum impulerit, ut ſponſæ abſtinentiam & ipſe contemplaretur, & à nobis non ſine animadverſione præteriri voluerit, juvat cognoſcere, antequam griphis innectere atque irretire nos mutuo aggrediamur belli Retiarii.

Polyt. Jam id didiciſſes, niſi ipſe me interpellando in cauſſa fuiſſes quo minus eam modò promerem. Nolim autem exiſtimes, me putare jejunium aut (ut quidam loquuntur) carniſprivium eam ſibi indixiſſe, tempore tam omninò alieno, & quo litandum eſt Hymenæo, Cereris Bacchique amico manubiario. Sed mirabar modò, eademque me admiratio etiamnum tenet, quo fato noſtri mores cum vetuſtis ſeculis ita examuſſim congruant, cùm uſque

ade-

adeò locis temporibuſq; ſimus diviſi. Nam, præter Perſas, de quibus Strabonē lib. 15. ita ſcribere menini: *Nuptię in initio Verni æquinoctii celebrantur: Venit autem in thalamum* (ſponſus) *comeſto priùs malo, vel cameli medulla, præter id nihil eo die.* (malum enim Veneri ſacrū eſſe Scholiaſtes Ariſtophanis in Nebulis perhibet. Nicetas de Protoſtrators filię cū Chryſo Nuptiis agens, hunc quidem intemperantiùs ſeſe vino cupediiſq; genialibus ingurgitaſſe ſcribit: illam verò, *obſervata ſponſarum conſuetudine, nihil attigiſſe.* Juſſam deinde cibum capere, cùm non paruiſſet extemplò; excanduiſſe ſponſum, ut qui iræ erat paratioris, & Græcè in hanc ſententiam eſſe locutum: Neq; edito, neq; bibito. Turcarum quoque ſponſas, dum alii convivæ genio indulgent, non niſi in vultu fingendo & decorè componendo amicoſque ſalutando occupari à Gulielmo Poſtello in libro de Repub. Turcarum obſervatum legi. Mira inſuper Helveticarum feminarū virginumq; gravitas ac modeſtia in nuptialibus epulis celebratur. quippe enim tacitæ, vultuque haud immutato, tres propemodum horas accubant, nec quē exeuntes vultum ſumpſerant, priuſquam domum reverſæ ſint, deponunt; viris interim ſtrenuè potantibus. Unde ſponſarum potiſſimùm hunc morem eſſe conjicio; Atq; inde illam noſtrarum quoque abſtinentiam non ſine exemplo eſſe evinco.

Bibl. Juvat hic memoriâ repetere quod in Nuptiis, ad quas vocatus eram, ipſe hiſce oculis vidi. Abſtinebat ſponſa ab omni cibo, toto illo tempore quo convivæ in eo erant, ut poculis ſeſe invitarent; Et (ſi benè commemini) ne primis quidem digitis quicquam attingebat, aut primoribus labris guſtabat. Dilapſis verò convivis pleriſque, quorum ædes in proximo erant, relictiſque illis ſolis quibuſcum maxima ſponſæ familiaritas intercedebat, atque inter illos me ſolo, utpote cui

cui, domicilium longiùs remotum habenti, tantiſper, vel ingratiis commorandum erat, donec nimbus & horrida tempeſtas, quæ cœlum & imbres contraxerat, deſęviiſſet; dictu mirum quàm gnaviter ſe ad edendum accinxerit, quamque ſtrenuè rem in menſa, ſatis adhuc inſtructa; rem geſſerit. Sanè perquā abundè prandii damnum, imò vel integræ iſtius diei abſtinentiam, reſarcire tali cœna videbatur.

Arch. Lepidam narras hiſtoriam, cui nunc lepores ænigmaticos attexere viſum eſt. Vos modò omnes ingenii nervos intendite, ac nullo diſcrimine manus cum quovis noſtrum in ludicro hoc certamine, per juſta temporis intervalla, conſerite.

Bibl. Multo magis equidem hoc ludo capior quàm ſi Judæorum inſenſatorum ineptias quis introducat, qui pro more habent ſponſę gallinam cum ovo crudo apponere. Et ſponſus quidem ſponſæ ſuæ de gallina fruſtulum ſumendum porrigit. Præſentes verò viri ac feminæ omnes illicò gallinā ambabus manibus arripientes, inſtar canum ad rabiem uſq; famelicorum, diſcerpunt; & qui maximam inde prædam tulit omnium calculis optimus ſollertiſſimuſq; habetur. Mox rurſū alter alteri è manibus prædam, ac tantū non è gutture, ex ore certè interdum, eripit. non aliam ob cauſſam niſi quòd novis conjugibus lætitiam hoc pacto conciliare adlaborēt. quamobrem etiam crudo illo ovo certatim aliorū faciem conſpurcare ipſis cōſuetudo eſt.

Polyt. Quàm gens à gente moribus variat ac diſſidet! nam Naucratitæ contrà diligenter cavebant, nè quis Nuptiis ovum inferret.

Bibl. Quid Naucratitas moverit, quo minus ovum admitterent, neſcio. Illud ſcio, Iudæos ominis ergò ovum cum gallina apponere ſponſæ, ut inde ſine difficultate ac dolore, haud aliter quàm Gallina glocitatione alacri ovum parit, liberos ſe enixuram colligat; Deinde minori compendio plura ma-

majoraque,quàm in ovo appoſito, dari non potuiſſe, cùm propter imaginem totius Naturæ atque Univerſitatis. nam vitellus ſive luteum ovi repræſentat ſphæram igneam, orbeſque Planetarum aliarumque ſtellarum fixarum. Albumen aquam; Tenuis, ſubtilis, & penè aërea pellicula, teſtæ adhæreſcens, aërem; Teſta verò ipſa craſſæ terreſtriſque ſubſtantiæ terram figurant: Tum etiam quia ex ovo facilius quàm ex alia re quavis multa ac diverſa fercula poſſunt confieri, nempe, ut ſcriptor nõ obſcurus docet, viginti octo. Certè quibus per loca deſerta iter faciendũ ova cocta ac dura ſecum portant ad nutritionem, ut quæ ſex menſibus, immò anno integro, incorrupta perdurare poſſe cenſentur; adeoque cibus ſunt maximè parabilis, & conducibilis. Plinium audi: *Nullus*, inquit, *eſt alius cibus, qui in ægritudine magis alat, neque oneret, ſimulq; vim potus ac cibi habeat.* Quid, quod ova imprimis ſemen gignere creduntur, quia prima illorum natura eandẽ cum ſemine ſpeciem & poteſtatem habet, ut Heraclides Tarentinus apud Athenæum diſſerit.

Arch. Quia nemini noſtrum non placet illud eruditum ludicri genus, quod incœptare eſt animus, primus ego tanquam Retiarius hoc gripho te Secutorem peto, Philiſtor:

Homo non homo, videns non videns, alitem
Non alitem, lapide non lapide, perculit,
Cum ſuper arbore, non arbore tamen, degeret.

à Petro Crinito ſic Latinè nobis exhibitus tribus Senariis. Eſt autem Panarcis apud Athenæum. Quanquam & à Platone referatur lib. 5. de Legibus, nec nõ à Suida.

Phil. Utut me captes, non capies. Si autem me expediero, quodnam erit victoriæ præmium?

Arch. Quod, niſi quod olim fuit? Donaberis carnibus exquiſitis, & poculum hoc mero plenum educes. Si verò victus in certamine ſuccumbes, aquam ſalſam

aut muriam bibes. Ita enim veteribus in more poſitum fuiſſe Athenæus, Pollux, Heſychius, & Euſtathius uno ore teſtantur.

Phil. Magis eſt ergò ut vinci quàm vincere velim. nam homini ſaturo ἄδωρα δῶρα iſthæc ſunt.

Arch. Muſæ melius. Oedipus eſto, & quod animo libitum eſt maximè ex apophoretis præmium ſume: Nolo autem muria ac ſale, ſed ſalibus condiri hoc epulum, qui frontem non caperent aliqua ſeveritudine, ſed exporrigant libentiâ;

Mos fuit antiquis victori dona corollas,
Sed victo muriæ pocula plena dare.
Non ea barbaries noſtras nunc aſperat urbes.
Sat pœnæ & præmî riſus utrinque levis.

Phil. Ut ſorex tuo ipſius indicio periiſti. nam Crinitum ut audivi, illicò ſolutionis etiam memoria mihi refricata eſt. Ea autem eſt hujuſmodi: *Eunuchus*, (vel *Hermaphroditus*, ut alii malunt) *luſcus veſpertilionem ſuper ſambuco ſedentẽ pumice percuſſit*. Pleniùs autem & planiùs ita ex Greco transferas: *Vir non vir, videns non videns, avem non avem, ſedentem & non ſedentem, in ligno & non ligno, lapide & non lapide, icit & non icit*. Ubi ſediſſe & non ſediſſe merito dicitur, quæ ſambuco aut ferulæ (ut aliis magis placet) ita alligata fuit, ut inde ſeſe amovere nequiret. Item iciſſe & non iciſſe narratur, qui eam avis partem non percuſſit quam animo deſtinabat.

Arch. Iam nebulas tibi offundam, quas an luce ingenii ſuperare ac vincere poſſis experire.

Quale animal, dic, eſſe putes, quod mobile totum
Eſt oculus, neq; pars inſuper ulla manet.
Quotidie gignit natum, ſine matre creatum,
Qui tamen una ipſa hac interit ipſe die.
Cujus item ſoror abſente eſt genitore creata,
Partita imperium fratris & interitum.

Fu-

PHIL. Fugiſti, non ut arena excederes, ſed ut rete colligeres, idque majori dexteritate in caput meum vibrares. Tentabo an divinando eludere, & latere tecto diſcedere queã. Tu mihi reſpondebis an rectè conjectavero an ſecus. Niſi Davus ſim & non Oedipus, eſt

Anguis & annulus & ſuperaddita regula, rebus
Cunctis quæ vitam tribuunt augentq; tributam.

ARCH. Quid ſibi velit hæc conjectura equidem neſcio. Spiſſæ nimis ſunt iſtæ tenebræ.

PHIL. Jam ipſe captor captus es; & qui aſtutè per tenebras in errorem ſeducere me conabaris, ecce nunc luſum temetipſum agnoſce. In quo fruſtrà eras, ut *Solem* obtenebrares, id hactenus ego præſtiti, ut reſpondentem quod res erat non caperes, adeóque bis in uno conflictu vinceris.

ARCH. A vulnere vires duco & fortior ſurgo. Novum ictum en tibi intento, eum ſi evites, peritiorem in hac palæſtra athletam me nunquam vidiſſe fatebor. Quid hoc eſt, Philiſtor?

Απτερον ἐς δένδρον πτηνόν ποτ' ἄφυλλον ἐσέπτη
Κἀυθοθ' ἐφιζανόν κατ' ἄρ ἄστομον αὐτὸ πέπωκε
Αστομος, ἰξυπρόσωπος, ἐρυθρογένειος, ἄναυδος.

Aut ſi Latina magis capis:

Non habuit pennas volucris, tamen ipſa volavit
Deſuper in quercus, exutas frondibus altis.
Ore carens aliquis, de cœtu, (ut credo) Gigantum,
Venit, & hanc conſumpſit avem, licet ore careret.

PHIL. Latina ejuſmodi verba mihi æquè cum Græcis obſcura ſunt. Quid dicam neſcio. herbam do. Tu modò interpretare.

ARCH. Doctiſſimi Joachimi Camerarii (Deum immortalem! qua doctrina viri!) griphus eſt. Autorem enim ſilentio prudens præteribam, ne, ut antea, iſthoc pacto te ad ſenſum ejus indagandũ forte manuducerem. Significatur autem *à Sole conſumpta*

ſumpta & liquefacta nix, quæ in arborem deciderat. quippe cùm nix cadit, arbores foliorum honore ſunt orbatæ. Alium ejuſdem ſolve; quem jam tantum Latinè dabo operâ Nathanis Chytræi:

E ſylvis natique duo totidemque parentes
Tres referunt cervos; quivis ſed ceperat unum.

PHIL. Ne hunc quidem intelligo. Ipſa Sphinx tecum ſi certet nihil ſit. Majori deſiderio hunc ſolvendi teneor quàm priorem. Quid ſibi vult?

ARCH. Non ſolvetur niſi cras.

PHIL. Durior es, qui telũ tam diu præcordiis meis hærere vis. Etſi illud me interim ſolatur, quòd lethale non ſit, ſed vulnus ἐυίατον & cui facile cicatricem obductum iri ſpero.

ARCH. Ne metue. ſudibus ſive gladiis ligneis, non juſtis armis, concurrimus.

PHIL. At non inultus diſcedam interim.

Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Tres pateat cœli ſpacium, non amplius, ulnas.

Tum etiam

Dic quibus in terris, inſcripti nomina regum,
Naſcantur flores?

ARCH. Tritum illud eſt ſi quod aliud. & tyronibus ipſis non formidandum telum; etſi ejus ictum alios aliter eludere non ignorem. Sunt enim qui *Cœli* ſive *Cœlij*, nempe, Apicii vel alterius cujuſdam ſepulchrum denotari putant, qui, popinali lautitiæ ac nepotatui deditiſſimus, omnimodis collurcationibus rem ſuam dilapidarit, relicto ſolummodo quod ſepulturæ ſufficeret. Alii verò puteum profundiſſimũ deſignari ſcribunt, in cujus imo ſi quis conſederit, & cœlum ſuſpexerit, tantam ejus partem ſolummodo intuetur quantam deſcribit os ipſius putei. Alterum verò ænigma *hyacinthum* florem deſcribere conſtans opinio eſt. Quippe enim & Hyacinthus adoleſcens ab Apolline adamatus,

& Ajax Telamonius in eum florem converſi feruntur. Unde & flebilem illam Græcorum vocem *αἶ αἶ* flori inſcriptam legi Naſo lepidè fabulatur.

PHIL. Hæc illa ſunt quibus, ut noſti, Cornificio aliiſque petentibus quidnam ſignificarent, reſpondiſſe Virgilius fertur, Se ibi crucem fixiſſe Grammaticis, in qua ſe diſtorquerent perpetim. Tu verò (nam cruciarius non es) rem ipſam enarraſſe tibi videris quàm planiſſimè. Verumtamen ut illud de puteo admittam, de flore non perinde ſentio, ſed cuſos ſignatoſque regum ac principum nominibus nummos aureos, argenteos, æneos indicari perſuaſiſſimum habeo, & conjunctim duo illa ęnigmata evolvenda eſſe duco. Annuit autem mihi Poëta ille, quiſquis fuit, qui ſcripſit:

Quę fundunt aurum læta pete fronte fodinas,
Argentive quibus ſuffodiuntur opes.
Ex his ſuſpiciens tres & non amplius ulnas
Deprendes cœli ſede patere locum.
Hîc etiam flores inſculptos nomina regum
Argento ac auro cuſa moneta dabit.

ARCH. Fateor, non inconcinnè iſthæc excogitata eſſe. Sed quia veteres ſcirpos memoria repetis, age, hunc ſolve, qui eſt Cleobulinæ, Cleobuli Lyndii filiæ, quo nomine tibi magis arridebit. Dicam verò Latinè:

Eſt unus genitor, cujus ſunt pignora bis ſex.
His quoq; triginta natæ; ſed diſpare forma.
Aſpectu hinc niveæ, nigræ ſunt vultibus inde.
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.

PHIL. Quid agis, Archęologe? Quid feminæ cum arena, in quam eam deſcendere jubes?

ARCH. Multis partibus hęc illi convenientior, quam vera illa vetus gladiatoria, in qua tamē feminas etiā conſpectas fuiſſe Tacitus, Dio, Suetonius, alii teſtes ſunt.

PHIL. Argutus eſt ſcirpus; ſed jam puer eum ſolvere

vere didici. *Annus* eſt enim, qui duodecim menſibus, quorũ quilibet triginta diebus, luce & tenebris diſtinctis, conſtat, abſolvitur.

Sed enim Cleobulinæ tuæ adjungam Sappho poëtriam, quam Antiphanes Bergæus in fabula Sappho inducit proponentem hunc griphũ:

Eſt natura ſinu quæ ſervat femina natas.
Hæ mutæ; genitam ſed poſſunt ſiſtere vocem
Per cunctas terræque vias perq; æquoris undas,
Cui volet abſenti mortali audire licebit;
Cuique etiam ſenſus auditus ſurdus habetur.

Arch. Verborum neſcio qua obſcuritate, ſepiæ in modum, atrum ſuccum effundentis, ne deprehendatur, temetipſum tegere conaris. Græca enim planiora ſunt, quæ commodùm memoria teneo. Atque, ipſa Sappho præeunte, ſic ſolvo griphum: Fœminea natura eſt *epiſtola*, quæ infantes circumfert literas; mutæ quæ cùm ſint, longè abſentibus loquuntur, quibus ipſa vult; adeò ut illi etiam qui ſurdũ habent auditus ſenſũ, audiant tamẽ has & intelligant.

Phil. At mihi quoque commodum in mentem venit griphus ſive γριφῶδες quippiam, quo ſi te extrices, omnes pariter veterum argutias, quaſi agmine facto, in te commigraſſe jure merito ſentiam. Illud ergò mihi expedi, Ubi gentiũ canis ligneus hominem momorderit, non ſine Diis.

Arch. Non tantus ſum librorum helluo, nec tam felici fidelique memoria, ejuſcemodi omnium ut meminiſſe queam. Dic ſodes, ubi id evenerit.

Phil. Phyſcus Locrus Amphictyonis filius, oborto inter eum & parentem diſſidio, multis civibus acceptis, de ſedibus ſtatuendis Apollinem conſuluit, reſponſumq; tulit, ut eo loco urbem conderet *Vbi à cane ligneo morderetur*. Itaque in alterum maris littus cùm perveniſſet, Cynoſbatum, ſive *rubum caninum*, pede compreſſit, vexatuſque ulcere pluſculos dies, eo ipſo loco,

oracu-

oraculo obſequens, urbes condidit Phyſcum, Hyanthiam, & alias omnes, quas Locri Ozolæ coluerunt.

ARCH. Impar eſt hic congreſſus, Philiſtor. Méne cum Deo committis, & quidem cum Loxia ac tortuoſo illo Apolline? *Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla reportas.* Æquis armis decertandum erat. Nunc verò victus ovo. Dei namque dextra cadere non infima laus eſt.

PHIL. Nempe igitur manus dare recuſas, eorum more qui nunquam in diſputando victos ſeſe fateri volunt, quales Galenus aſſimilat vulgaribus illis palæſtritis, qui, dejecti ab adverſariis & humi jacentes ſupini, tantū abeſt ut lapſum agnoſcant, ut etiam cervices eorum à quibus dejecti ſunt, teneant, non ſinentes illos avelli, ac vel ita ſe viciſſe arbitrentur. Victus namque viciſſe videri vis, quia cum Deo certamen tibi fuit. Ergò & me hactenus unquā inferiorem fuiſſe cave dixeris. Nam Poëtarum griphis pugnaſti. Vates autem audiuut ipſi, idque laudi ducunt, dum dicunt: *Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo, &c.* Quin ergò fateris me quoq; pugnaſſe Deo, teque, qui humanitate neminem non vincis, victum hoc gladio, qui ex antiquitate fermè rubiginem traxit.

ARCH. Vinci velim, ut tam lepidè argutantem audiam. Interim.

Dic mihi, quæ cunctis eſt latior amnibus unda,
Qua tamen eſſe poteſt nulla profunda minùs?
Latiùs æquorea protenditur Amphitrite;
Vix benè ſed talus tingitur inde tuus.

PHIL. Heraclito obſcurior es. eoque magis noſſe cupio.

ARCH. Non iſtud dices ubi explicuero. *Ros* eſt, ſive *pruina*.

PHIL. At cui hæc quadrant?

Dentibus innumeris toto ſum corpore plena:
Frondicomam ſobolem morſu depaſcor acuto.
Mando tamen fruſtrà, quæ reſpuo, præmia dentis.

ARCH. *Serra*, niſi me fallit animus.

PHIL. O εὐστοχίαν. At cui rei illa competunt?

Plus ego ſuſtinui quàm corpus debuit unum,
Tres animas habui, quas omnes intus habebam;
Diſceſſêre duæ, ſed tertia bella peregit.

ARCH. Tres eſſe animas cuilibet homini nonnullorum ſermonibus jactatū audivi: Sed quo pacto griphum tuum illis ſatis aptē non videō. Explicationem ne cela.

PHIL. *Mulier* eſt *quæ gemellos enixa eſt.*

ARCH. At tu hunc ſcirpum ſolve:

Sponte mea veniens varias oſtendo figuras,
Fingo metus vanos, nullo diſcrimine veri,
Sed me nemo videt, niſi qui ſua lumina claudit.

PHIL. Videtur *ſomni* eſſe deſcriptio. Sed durius illud & inconvenientius dictum videtur, quod ſomnus clauſis oculis à dormientibus videatur.

ARCH. Neutiquam. ſed ut autor griphi vetus eſt Poëta (Sympoſius enim eum plexuit) ita veteres loquendi modos uſurpavit. Ita enim locuti Comici, Terentius & Ariſtophanes, quorum ille Heaut. act. 3. ſc. 1. Chremetem ſic conquerentem introducit: *Somnum herclè ego hac nocte oculis non vidi meis.* Hic autem in Veſpis ὕπνȣ ὁρᾶν ȣ̓δὲ πασσάλην dixit.

POLYT. Jamdudum nos iſtiuſmodi gripho, ſomno, inquam, nos captos & implicitos fuiſſe oportuit.

ARCH. Quin potius vigilas, inſidiaſque, quæ tibi ſtruuntur, evitas. Non viribus æquè atq; dolis hîc res geritur. Ipſe cui Agonothetæ & exhibitori eſſe licuit, cum Philiſtore congreſſus ſum. Tu ergò Polytrope, cum eodem protinus ut in arenam, tanquā poſtulatitius, deſcendas ipſa ratio imperat.

POLYT. Equidem jam in ſtatu ſto.

PHIL. At ego primus te laceſſo;

Dic

Dic quibus eſt undis vis atque potentia major,
Si modo Cumææ pectora vatis habes?
De Sinueſſanis quid fama notius undis?
Quis tantum in fluviis crederet eſſe boni?
Femina ſi ſterilis latices guſtaverit illos,
Quæ cupit, illa brevi pignora mater habet.
Quem furor exagitat, ſi vir potaverit inde,
Protinus incolumi pectore ſanus erit.
Inſula in Ænaria ſentit medicamen aquarum
Corpora cui lædit calculus ægra nimis.
Albula vulneribus & plagis hauſta medetur,
Auctoris Plinî ſit modò certa fides.
Cujus & articulos diſtorquet dira podagra
Auxilium Cydni flumina ferre putant.
Ambraciæ eſt tellus, ubi latum extenditur æquor;
Actæum populi Leucadiumq; vocant.
Captus amore gravi ſcopulis qui deſilit iſtis,
Audet & in medias mittere corpus aquas,
Ille jugum Veneris ponet, durumque furorem
Abjiciet: demens excutietur amor.
Omnibus his aliquam novi magis eſſe potentem
Lympham, qua cœli Ianua clauſa patet.

POLYT. Tu verò iſtud quid ſit indaga:
Abſtruſum eſt aliquid, cæcis latitatque cavernis;
Vivit ut in vaſto beſtia ſæva ſpecu.
Ex Pario validum circumdat marmore ſeptum:
Munitus vallis aggeribuſq; locus.
Egreditur nunquam, nec limen proſilit extra.
Quo minus hoc poſſit vincula firma vetant.
Hîc fremit, ut reſonat, ceu cum ſublimibus antris
Continet Hippotades flamina clauſa Deus.
Hoc inimicitias, bella, iras, jurgia, cædes
Excitat ingeminans quicquid ubiq; mali eſt.
Hoc cœlo terras commiſcet & ignibus undas,

Reddit & in priſcum cuncta redacta chaos.
Conjungit rurſus, ſociat, nova fœdera pangit,
Ut pax in cunctis floreat alma locis.
Efficit obtineant ut certum jura vigorem,
Componit lites, jurgia quæque ſecat.
Nil uſquam melius, nil eſt præſtantius illo;
Nil etiam pejus deteriuſque manet.

PHIL. Nihil agis, Polytrope, niſi te primùm extricaveris gripho, quem in te miſi.

POLYT. Candidè inſcitiam meam fateor, & manus do. Sperabam, hujus ſtadii pulvere excitato, me quaſi in nebula latere & elabi clãculum poſſe. Sed enim confeſtim atque hoc tibi ſuboluiſſe ſenſi, exſpes planè factus ſum.

PHIL. Hem aſtutias! Ut autẽ magis te victum agnoſcas, *lachrymas pœnitentium* à me deſcriptas fuiſſe ſcito.

POLYT. Rem ipſam niſi tenerem, turpis & deploranda eſſet inſcientia; at griphi tot nexibus involutam non continuò pervidebam.

PHIL. Ego verò facilè odorabar quorſum tu tenderes. *Linguam* enim deſcribi potiſſimùm ex poſtremo diſticho colligebam.

POLYT. Non æquè hoc fortaſſis intellexeris:

Arbor in hoc ſeclo generatur, quæ duodenis
Frondibus ornata eſt, & redimita nimis.
Quilibet at ramus decies ternos quaſi nidos
Suſtinet; in nido ſex quater ova cubant.
Naſcitur ex ovo quovis avis una, duabus
Et ſexaginta vocibus uſq; canens.
Candidus attondet, niger & mus omnia: donec
Murem, ova & nidos felis acerba voret.

PHIL. Numeri Platonici obſcuri non ſunt præ iſthoc ænigmate. Lynceus non ſum. proinde quid intenderis exponere ne gravare.

POLYT. *Annus* abſolutus duodecim menſes, menſium quiſq; triginta circiter dies, qui-

quilibet dies XXIV. horas, horarum unaquæque LXII. minuta ambitu ſuo complectitur. Æſtas autem & hyems, vel dies & nox, albo & atro mure deſignata, annum potiſſimũ conſumunt; donec fatũ omnia, quę terrarum habet orbis, deſtruat. Hunc annum ſignificavi, quem modò etiam Archæologus elegantiſſimis Cleobulinę verſibus adumbravit.

Bibl. Sed Sphinx illa venenum habet in cauda. Nam nimis protervum & inconſiderans eſt, ſapientiſſimam, æquiſſimam & nemini non ſtupendam illam divinam providentiam *felem acerbam* dicere. Pro iis verbis ergò ſi ſubſtitueris, *ultima flamma*, Chriſtianus magis fueris, Polytrope.

Polyt. Revera ipſe dum capto capior. Temerè effutivi quod à multis annis malè didiceram. Rurſus autem, ſi potes, Philiſtor, ediſſere quidnam hoc eſſe autumes, & quem ſic loqui poſſe arbitreris:

Innumeri ſum dentis opus: de matris amictu
Exeutior: fatum eſt dente perire novo.
Diſſiliunt partes patrio naſcentis ab orbe,
Hæc ſedet, ut gravis eſt, hæc levis acta volat.
Sum multa ex uno, rurſus coitura ſub unum.
Poſt ero quod facit, & quod fugit omnis homo.

Sed, malum, denuo extremitati fœdum quid adhæreſcit, quale bonum caudis agglomerari cernas. Injuria autem nõ levi me onerabis, ſi ſtudio iſtud à me annexum eſſe judicas.

Phil. Putidum eſt ſic ſatis, ut audio. Sed, dum te purgas, adeò purgatos, limpidos ac perſpicaces dediſti mentis oculos, ut, vel uno duntaxat aperto, omne id quod abditum latebat tenebriſque immerſum, videre nunc mihi videar probè. *Farinæ* enim, ſi quid conjectura aſſequi poſſum, ſic loqui, ſi valeret, liceret, ſiquidem molarũ dentibus trita progignitur, & ubi matris tritici furfure exuitur, pars levior huc illuc evolat, gravior non item. Sed pollen ex mul-

multis quaſi tenuiſſimis cōſtans pulviſculis, in unum panem cogitur; qui comeſtus ab homine excrementis materiam ſufficit.

Arch. Ut vara vibiam ſequitur, ita ex tuo ſermone in memoriam redeo rei tam fœdæ ac lutulentæ, quàm ſemetipſam depingit luculentè. Quænam autem ea ſit Polytropo divinandum proponam. Deſcriptio talis eſt:

Hei mihi, quàm negle&a habeor, contemptaq́; vulgo
Semper in obſcurâ parte locata domus!
Sum tamen ipſa bonum, paſſim quod habere neceſſum eſt,
Quo nihil utilius, commodiuſque nihil.
Nam me nulla carere poteſt domus, indiget omnis
Vſque adeò officio fœmina virque meo.
Huc pueri, invalidique ſenes, poſitoque timore
Et naturali virgo pudore ruit.
Immò Duces, Reges, ſummus cum Cæſare Papa,
Si quando huc illos imperioſa voco,
Adveniunt omnes properè, curruntq́; vocati,
Quò dolor hos ani parturientis agit.
Legatum huc caculamq́; ſuo non mittere poſſunt
Nomine, non aliis impoſuiſſe vices,
Sed debent ipſimet comparere citati,
Idque ſtatim, nullâ præpediente mora.
Et veniunt, non cum pompa, magnaque ſuorum
Turba, ſed nullo concomitante viam,
Curvatique humileſque adeunt mea regna, levari
Orantes ventris pondere quiſque ſui.
Nam quæ natura eſt ventriſque culique ſaburra,
Pondus ea eſt, nemo quod tolerare poteſt.
Me quærunt, tanto qui faſce maloque laborant,
Sola ego nam tanti ſum medicina mali.
Omnes admitto placidè, excipioque benignè,
Hoſpitio, & miſeras ſublevo faſce nates.
Nec no&u, nec luce mei claudo oſtia regni,
Optatum nulli denego ſubſidium.

Cui-

Cuivis hîc contingit adire, ſedere, quietem
Accipere, & gravidi ponere ventris onus.
Ipſa ego ſum Latium, ſedes ubi fata quietas
Oſtentant, gravidis & latuiſſe datur.
Hinc ex re Latrina vocor: quod ſuaviter omnis
Deliteat noſtro femina virque ſinu.
Certe ego confugium cùm ſim, certumq; levamen,
Et latium, & requies, & medicina mali,
Tantaq; cùm præſtem cunctis ſolatia, poſthac
Sum merito primâ fronte locanda domûs.

Polyt. Nimis valde Camarinam moviſti tam longo prolixoq; carmine. nam utut latere tibi creditur, me certè non latet, illud eſſe quo ire ſaturi ſolent, nempe *latrinam*. Nimis enim dilucida eſt deſcriptio quàm ut mortis Homeri rea eſſe potuiſſet.

Arch. Uſque adeone credulus es huic fabulæ fidem ut habeas?

Polyt. Fabulam eſſe non ſum arbitratus.

Arch. Ego vero maximè, & ſic ſentio, Homerum jam γυφογέροντα, utpote annos centū & octo natum ex morbo, ſeu (juxta alios) fame interiiſſe. *Pediculoſum* ergò illud ænigma à piſcatoribus ei (ut fertur) objectum; *Quod captum eſt periit, ſed quæ non cepimus adſunt*, explodendum cenſeo.

Polyt. Venuſtate ſua tamen mirum in modum mihi ſemper placuit.

Arch. Hoc ergo potius habeto ſuccedaneum, quod nō minus habet elegantiarū:

In denſis ſylvis venor bis quinque catellis.
Quod capio, perdo, quod non capio, mihi ſervo.

Nè autem mirari ſubeat, amici, quod ad latrinarum confluges pediculorum ſordes deferendas exiſtimarim. Id enim eo feci, ut de hiſce & id genus aliis purgamentis altum deinceps ſit ſilentium. Pergite verò vos mutuo hoc ludicro certamine laceſſere.

Phil. *Errores* veſtros agnoſcendo diluitis. Alio-

quin

quin indecorum eſſe noſtis cogitationes convivarũ ad res fœdas loquendo trahere. Potiùs ad hoc animum advertite, ut hoc ænigma elucidetis ambo:

Seſquipedalis ſum, Tiberina, Hebræa, Pelaſga,
Et voce in media pars mihi pulchra roſæ eſt.
Tres habeo dentes, Graium unum unumque Latinum,
Tertius Hebræi de canis ore venit.
Si me non dicis, dicis: ſi dixeris erras.
Cuncta Deus faciat quę queat, iſta nequit.

Obmutuiſtis? Miror vos, qui litteras noſtis Hebræas, Græcas, Latinas, & primâ voce, qua ſilentium rupi, me memetipſum prodentẽ audiviſtis.

Polyt. Jam ſubolet aſtus plus ſatis.

Phil. Da mihi, Polytrope, quis ille ſit

Frons ingens, vario tractim depictus honore,
Quem ſuper haud ulli ſe poſuêre pedes.
Nullas ſuppoſiti tranſmittit fluminis undas,
Sed ſuper impoſitis ipſe gravatur aquis.

Polyt. Altum ſanè flumẽ narras, quod ipſum pontem tranſcendit. Delio natatore opus eſt ut ſupererur. Aqua etenim iſta tam profunda me miſerum abſorbet. Subveni ergò, & fer opem, obſecro. Hæret namque mihi aqua in hac aqua.

Phil. *Iris* eſt pontis maximi figuram gerens. Reliqua proprio Marte ſuperabis ex facili; ita ut nihil neceſſe ſit ea elucidare.

Polyt. Explica mihi autem rurſus hoc paradoxum:

Fit minus, adjicias ſi quid, ſi dempſeris illi,
Augetur; creſcit diminuendo magis.

Phil. Si *foramen* deſcribi exiſtimes, quæ quorundam eſt opinio, utique tam abſurdum eſt ænigma quàm quod abſurdiſſimum. Ut enim rei ac ſubſtantiæ, in quo foramẽ eſt, demas quidpiam, haudquaquam tamen committendum eſt, ut ipſi foramini demi aliquid ſubtrahendo affirmes. Ita ut manifeſta ſit falſitas, ubi de fora-

foramine dicitur: *creſcit diminuendo magis*.

Polyt. Tene in cenſendis ænigmatibus, quæ lætitiæ fovendæ advocari in convivia aſſolent, tam eſſe Ariſtarchum! Dabo deinceps operam, ut, vel ad ſubtilioris ſapientiæ normam ea exigenti, rejicula ne periantur. Hoc autem primum ſit:

Non pugno eſt majus, credo, mirabere cernens.
Quatuor in montem vix traheretur equis.

Phil. Mirarer ſanè & obſtupeſcerem, ſi daretur hiſce oculis idipſum intueri; non minùs quàm ſi vidiſſem Luciam virginē Syracuſanam, quæ, cùm eam inlupanar deduci Præfectus mandaret, & ſatellites facere quod imperaverat aggrederentur, tam ponderoſa reperta fuiſſe memoratur, ut nec mille viri, nec aliquot boum paria illam loco movere potuerint.

Polyt. Hoc ipſo te prodis, & neſcire te indicas. Ignorantia enim admirationis mater habetur. Ita enim ferè cum hominibus comparatum eſt, ut ubi rem aliquam perſpexerint, ejuſque cauſſis indagatis, cognoverint, admirari deſinant. Eſt autem *glomus filorum*, quem ænigmate involvi.

Phil. O lepidum caput! Fefelliſti me, cùm me admiraturum illud dixiſti, quod nimis quàm affine falſo. neutiquam enim mirum videretur id ipſum cernenti. Attamen perge me jocando ludere. nam *dolus, an virtus* (ait ille) *quis in hoſte requirat?* Cautiorem dehinc me ſenties.

Polyt. Currentem incitas.

Qui manibus compingit opus, non indiget illo,
Quiq; emit, hoc uti non vult, quiq; utitur ipſo
Ignorat, quamvis habeat. Tu ſolve quid hoc ſit.

Phil. *Capulum*, excipiendo cadaveri factum, indicas. Sed abſit omen; & me, & te, & Archæologum, & Bibliacum tardè ut capiat voveo.

Polyt. Non æquè, ut ſpero, hoc tibi liquebit:

Quæ

Quæ corrodo minax ego dentibus evomo, reſis
Non ulla corpus nutrio parte meum.
Hinc macies corpus deformat dira vorantis,
Conſumptoque meo corpore, fio minor.
Diſſidiis dirimo conjuncta, quieſco nec uſquam,
In partes ierint donec utrinque ſuas.
Luminibus careo, non lucis perfruor uſu,
Alterius, faciens munera, fungor ope.
Audior à cunctis, ſolùm non audio, poſtquam
Ingratum ſtridens auribus edo ſonum.

PHIL. Eleganter mecaſtor diſſidiorum meminit in *ſerra* depingenda autor, quiſquis ſit. Nam ſine ſerra ſerram duci ſuper ulla re poſſe, ſi quis dicere auſit, Chorœbo ſtultior ſit. Sed inſipientem nomine tenus, revera autem ſapientem deſcribere nunc eſt animus, ut quiſnam ſit conjecturam capias.

Primùm albus pallor, ruber hinc eruor inficit ora.
Mox ſuccum evinco, ſepia pulla, tuum.
Vltimus erumpo; aſt inter matureo primos.
Eſt genitrix ſapiens, nomine ſtulta tamen.
Aſſyrios juvenum monumento teſtor amores;
Vinoſi laticis rore placere queo.

POLYT. Pyrami & Thiſbes mors tragica, admodum juveni mihi apud Naſonem lecta, *morum* indicari indubium facit. Sed nunc griphi recordor, quem utut explicare laboraveris, non niſi vento te fabulatum eſſe pervincam. Eſt autem talis:

Vivo nec vivo, ſpiro nec ſpiro, nec ullo
Dego loco, ac omni; nuſquam & ubique domi.
Vita fugit curſim. pretium quod quæſo labori?
Quæve mea in meta palma? repente mori.

PHIL. Quid dicam neſcio. aliquid ſubolet, nec tamen totum.

POLYT. Quid dubitas? *Ventus* eſt qui iſta loquitur, eumque apertè ſatis nominavi,

navi, cùm vento te ſabulaturum, utcunque caderet conjectura tua, affirmavi.

PHIL. Illud tu mihi nunc explica:

Cellula parva jacet, ſplendens candore nivali,
Huc aditum præbet janua nulla tibi.
Nulla feneſtra patet, teres atque rotunda videtur,
Marmoreo cincta eſt aggere tota domus.
Attamen & vivum quiddam generatur in illa,
Cui verum corpus redditur atque caro.
Provenit & quæſtus multis uberrimus inde.
Hinc quoque non pauci quo ſatientur habent.

POLYT. *Ovum* eſt, niſi ſim vanus haruſpex.

PHIL. Cautiùs circumveniendus es mihi.

Optima quæ ſit aves inter mihi, quæſo, recenſe,
Ex qua ſed fiant fercula nulla tibi.
Non torrere veru poteris, ut cætera, ad ignem,
Non erit elixa hinc, nec caro frixa tibi.

POLYT. Prorſus neſcio quid id ſibi velit. At tegero, ne vincar inultus:

Virgo fuit, cui vix dedit una dieeula vitam,
Cùm nupſit pulchro non temerata viro.
Vt decies plenos Phœbe reparaverat orbes,
Conjugij caſti pignora grata dedit.
Et priùs exceſſit vita, quam nata fuiſſet.
Hæc res offertur conjicienda tibi.

PHIL. Cimmeriæ tenebræ obſcuræ non videntur, prę iſthoc, quod dicis, ænigmate.

POLYT. Tu ergò, Bibliace, ſi placet, ingenium experire.

BIBL. Æquè cum Philiſtore virginem novi.

POLYT. Matrem non noſti?

BIBL. Quid, matrem?

POLYT. Maximè. nam primam & communẽ generis noſtri matrem *Evam* deſignabam.

BIBL. Niſi hoc quidem die Archæologus hujus certami-

taminis gratiam feciſſet, ita me laceſſiviſti, ut tecum paribus telis concurrere atque experiri non eſſem gravaturus. Atq; iſtud ipſum erat, ſi quid video, quò tendebas. Sed à propoſito me non deflectes.

Polyt. Nunc eſt cùm victoriam ante congreſſum canere auſim. adeò multis obſeptũ difficultatibus griphum in te dirigo. Utique Apollineum acumẽ dicam, ſi divinaveris.

Phil. Quid moraris expectationem meam? Vereor ut tanto hiatu non indignum proferas.

Polyt. Jam audies:

Candidior cygni plumis ſum filia Brumæ;
Dura minùs glacie; ſed non minùs algida; fungo
Rarior, ac fluidum in laticem tabeſco repentè.
Signo novem, fuerit ſi littera prima reciſa;
Cor mihi ſi jungas, vix eſt avis atrior ulla.

Phil. Ita res cecidit ut augurabar. Etſi enim poſteriora non ineleganter ſint excogitata; nimis tamen plana ſunt & perſpicua, quã ut oculorũ aciem intendenti negotium facere poſſint. *Nix* ergò quin ſit non ambigo. Nam primam litteram *n* ſi dempſeris, numerum novenarium (cujus ex *i* & *x* litteris copulatis hæc nota eſt *ix*) deſignari in aperto eſt. Adhæc, ſi *cor* præponatur *cornix* avis nigerrima inde exſurget.

Polyt. Sed optima illa tua inter aves, quæ tamen nec elixa nec frixa carne menſam decorat, nunc tandem non perſonata, ſed nativa facie prodeat.

Phil. Avis illa *apis* eſt mellificio celebris.

Polyt. Novum hoc interpretare:

Excubat os nitidum patulo mihi ſemper hiatu,
Sacra miniſterio ferrea lingua Dei eſt.
Nunquam ſponte loquar, nunquam, niſi juſſa, tacebo.
Excutere at vocem verbera ſæpè ſolent.

Phil. Nihil agis, Polytrope. Jam didici invictus eſſe abs te. *Campana* eſt.

Polyt. Ad incitas redactus

dactus ſum planiſſimè. Itaq; poſtremum impetum nunc ſuſtine, & quiſnam has querelas ediderit conjecta:

Qui fuit, ut tanquam latro lacerarer iniquus,
Quæ bona juſtitiæ ſæpè miniſtra fui?
Telluris ſoboles, Solis primùm uror ab æſtu:
Mox pereo, tanquam naufraga puppis aqua;
Aut fluvio, aut pelago, aut ſtagno, putrive palude:
Exercetque malus triſte cadaver odor.
Hinc tanquam graſſatorem me malleus urget,
Durateaque premit forcipe crebra manus.
Viſcera dehinc laniat pendentia ferreus unguis:
In capitata etiam pendeo lenta cruce.
Poſt quam quiſne unquam juſſit torquere nocentem?
(Me miſeram!) nihilo torqueor indeminus.
Tum poſita in volucri ſcelerata Ixionis orbe
Voluor, & acta cita ventilat aura rota.
Poſt aliis alias mutatas ordine pœnas,
Innumero tunſam dente fatigat anus.
Innumerus dens innumeras confercit in unum
Cominus, & facie lævigat ora nova.
Atque hinc jam (varios rerum quis dixerit uſus?)
Vix ſatis ad tantos ſit mea Muſa modos:
Nam pars, exiliis ſuſceptis, ſponte vagantur:
Aſt alij furcis pendula colla tenent.

PHIL. Immò verò non ad incitas, ut ajebas, redactus es, ſed ad reſtim tibi rem rediiſſe audio. *Cannabis* enim hæc *προσωποποιία* eſt non contemnenda. Et ſanè tam verboſa cùm fuerit, viſa mihi eſt, more ſuo uti; ſolitoque fungi velle officio. Nam quæ multorum fauces præcludere atque os obturare conſuevit, ſermonem ex ſermone, tanquam longum funem, ducens, ſilentium nobis jam dudum imperavit.

POLYT. Interrumpis plura dicturum. nam triumphatum me cogitas. Et id nunc jocaris tam urbanè. Verumtamen novas in prælia vires

perſentiſco; tu modò vincendi materiem ſuffice. PHIL. Alium queſtum tibi viciſſim ſuccinam,

Quod furum mala turba ſibi furatur, & arcet,
Hoc ego non furans arceo fida tibi.
Sed fures ſi jure bono pendere jubentur,
Cur ego non furans pendeo jure malo?

POLYT. Nunquid *Marſupium* ſive pera nummorum ex mulierum latere pendens ſignificatur? Quid taces? Tetigine?

PHIL. Prorſus tetigiſti.

POLYT. Rediit animus. Proinde nunc operæ pretium eſt in aliis etiam periculum facere. Profer ergò, ſi quæ tibi ſunt, alia ænigmata vel intricatiſſima.

PHIL. Quàm ſeſe effert animus proſpero fortunæ flatu delenitus! Benè habet, ſi eo quo jam cœpiſti pede pergere queas.

Dic mihi, quis quartam totius perdidit orbis
Partem? cujus erat tam ſcelerata manus?

POLYT. Impius ille *Cainus*, qui fratrem Abelem, unum è quatuor illis primis, quorum Moſes meminit, hominibus, interemit.

PHIL. *Dic mihi, quæ fuerit quondam ditiſſima navis,*
Solaq; quæ vexit totius orbis opes?

POLYT. Si quid video, *arca* fuit Noachi.

PHIL. Rem tenes. Sed vide ne aſinus tibi negotium faceſſat. Nam audi rem admirandam:

Voce ſua mundum totum replevit aſellus.
Dic ubi tam grandes edidit ore ſonos.

POLYT. *Aſinæ Bileami* vocem fortaſſis intelligis, quam, ter fuſtigata, edidit *in via*, referente Moſe. Aſinæ enim iſtius vox per totum terrarum orbem celebratur, & nullibi non ejus miraculum percrebuit.

PHIL. Equidem quid dicturus ſim neſcio. Eruiſti myſterium, quod tegi illo involucro nō cogitabam. *In ſola Noachi arca* id eveniſſe vulgo creditur, ut aſinus voce ſu-

ce ſua totum mundum, hoc eſt, aures omnium hominum impleverit, qui plures octo non erant. Nunc verò aſinam apud Moſen id ipſum evidentiùs feciſſe audio & probo. Etſi ergò aſinam pro aſello mihi obtruſeris, tamen (quia parum aut nihil iſtuc referre judico) expeditiùs & elegantiùs exſpectatione, ſupráque vulgare acumen nodum hunc ſolutũ à te non invitus confiteor. Sed quia te in Sacris Litteris haudquaquam hoſpitẽ eſſe animadverto, fruſtrà ſum qui, tanquã in terra ignota, te è via in errorum labyrinthos ſeducere tento. Proinde hoc tibi ænigma interpretandum proponam.

Paupera quamvis ipſa; tamen quoq; cornua ſumo.
Lumine cæca meo, lumine non careo.
Sæpè togam muto, lavo ſæpiùs æquore vultum,
Mundula, ubi mundo nubere pergo proco.
Millenis licet erro fretis, mille eſto lavacris
Merſa ſiem, nævus ſemper in ore ſedet.

Polyt. Jovem lapidem jurare auſim, *Lunæ* hunc ſermonem à te adſcribi. Nam Solis lumine ſuperbit, & maculis evidentibus fœdatur.

Phil. Palladis ægide tutus eſt; ſed fortè non item ab ardenti jaculo, quod jam vibro.

Omnia conſumo, foveo ſimul omnia, rerum
Cauſſa fui, rerum mox quoque finis ero.

Polyt. *Igni* hæc quadrare, quis non videt? Sed idem ignis *finis erit* ænigmatum. Ut omen huic ænigmati ineſſe agnoſcas. Niſi fortè Bibliacus quoque dignetur è ſinu promere, quod ſecum attulit, munuſculum.

Bibl. Munera dent alii quibus Pactolus fluit, mihi non licet eſſe munifico. Cæterũ tametſi in Moſcovia & Flandria hunc ritum novis nuptis munuſcula offerendi eſſe ſcirem, hîc nihilominùs id moris eſſe ignorabam.

Polyt. Flandrorum morem novi, quibus Nuptiæ iſtæ in uſu ſunt frequenti, ſed ſolis ferè pauperculis.

Nec Batavis illę olim ignotæ. Moſcovitæ autem quid factitent cognoſcere magnopere aveo.

Bibl. Vocati ad convivium nuptiale raro quidem pecuniam, munera tamen alia paſſim ſponſæ donant, quæ univerſa ac ſingula ſponſus, diligenter notata, reponit. Finita nuptiali feſtivitate, deprompta rurſus ordine quæque ſuo curioſo oculo contemplatur & examinat; quodque ſuis rationibus conducere judicat, ad forum portari & à publicis rerum æſtimatoribus prætium ei adſcribi jubet. Cætera omnia ad eos qui attulêre, gratiis actis, remittit. Quæ autem ſervavit, intra unius anni curriculum, pecuniâ aliave re æqualis valoris compenſat. Si quis donum ſuum pluris fecerit, quàm par eſt, ſponſus ad juratos æſtimatores continuò recurrit, illumque horum æſtimationi ſtare cogit. Si, anno vertente, ſponſus non ſatiſfecerit aut munus acceptũ redhibuerit, duplum ſolvere tenetur. Quoties verò donum alicujus æſtimari publicè neglexerit, ex voluntate arbitrioque ejus qui dederat reponere cogitur, ut à Sigiſmundo Herberſteinio memoriæ proditum eſſe reminiſcor.

Polyt. Ut mentẽ meam tibi clariùs aperiam, non de iſtiuſmodi muneribus, quæ cenſum augent, loquebar, ſed de ſymbola ænigmatum conferenda; quam nunc à te, ne lentum nimis nomen ſis, expoſcimus.

Bibl. Nox ſubeſt, Polytrope. Ergò differre id ſatiùs fuerit.

Arch. Etſi à concubio noctis longè abſumus, tamen, quin protolli iſtud ſinamus in craſtinum diem non repugno, ut ſalium jocorumque urbanitate is quoq; tranſigatur.

Phil. Duoſne ergò dies Nuptiis celebrandis terere tibi ſtat ſententia?

Arch. Maximè. & quidem alterum diem tam lætum nobis omnibus futurum confido, ut cum veteri Poëta apud Athenæum ſimus dicturi,

Τῶν

Τῶν γάμων κρεῖττω γεγονέναι τὴν ἕωλον ἡμέραν.

Ipſo Nuptiarum die lautiora eſſe repotia.

Nam, cùm Nuptiarum ſolennitas pluribus diebus celebraretur, primum diem γάμους dixerunt; alterum vel plures ſequentes ἕωλον, ἐπίβδαν vel ἐπίβδας appellarunt Heſychius, Pindarus aliique. ἕωλα enim dicuntur quæ novitatis gratiam amiſerunt, quomodo Tullius ἕωλον librum vocat qui in novitatis ἀκμῇ jam eſſe deſierat. ἐπίβδαι verò inde dictæ, quòd prioribus diebus ſuccedant, Heſychio etiā παλία ſequens dies nominatur, παρὰ τὸ πάλιν ἰέναι. Latini *repotia* dicunt. Immò Judæos ſeptē dies Nuptiis impendiſſe ſcitote. Ita quippe à Simſone factum cap. 14. libri Judicum comm. 11. & 12. videre eſt. Unde lucem accipiunt (præferente faculam Auguſtino ſuper Gen. quæſt. 88.) verba quæ Laban de filia ſua Lea ad Jacobum fecit Gen. cap. 29. comm. 27. *Comple ſeptimanam ejus, tum dabimus tibi etiam illam*, nempe Rachaëlem. Etenim voluit Laban matrimonium filiæ confirmari impletione dierum ad geniales epulas vulgò requiſitarum. Unde Thiſbites in voce *chatan* ſic ſcribit: *Vocant aliquem per ſeptem dies, quibus durat convivium Nuptiarum ſuarum* chatan *& uxorem ejus* callah. *Deinceps verò à nemine ampliùs ipſe* chatan *& ipſa* callah *vocatur, præterquam à patre & matre ſponſi & ſponſæ*. Ex hoc autem more, uti & illo ſeptem dies mortuum lugendi ritu, à Ioſepho in patris Iacobi funere uſurpato, fluxit Iudæorum illud proverbium: *Septem ad convivium; Septem ad luctum*. Proin (ſi vobis ita videtur) ut Bibliacus cras una cum heſterni diei fœnore ſymbolam ſuam ænigmaticā in medium conferat, per me licet. Non tamen hodie te miſſum facio, Bibliace, niſi parabolam illamEuangelicā & planè nu-

ptialẽ mihi expoſueris, quæ recenſetur apud Matthæum initio capitis 25. Sunt enim ibi non pauca in quibus lucẽ deſidero, quam tu, uti ſpero, affundes luculentiſſimè.

Bibl. Ergò ad rituum nuptialium penè infinitorũ, & iſthoc ſeculo uſitatorum enarrationem me accingi neceſſarium erit. ſed tamen, ut diei tempus eſt, per ſaturam. Illis autem potiſſimùm immorabor ubi aquam tibi hærere ſentiam. quod proclive erit divinare. Lucernarum lampadumq; ibi injecta mentio, loco *facis pineæ*, aut *cerei funalis*, apud Romanos olim accenſorum. Atque hinc ea opinio animo meo inſedit, morem illum Romanum faces tædaſque in Nuptiis accendendi (de quo tam multa Guibertus in Commentario de Sponſalibus, uterque Hotmanus, aliique ſcripſère) à Judæis manaſſe. Nam id ex libro Jobi cap. 3. comm. 5. nuper obſervaſſe mihi videor, ubi Jobus non ſolùm natali diei, ſed & ipſis parentum Nuptiis, ut fonti & ſcaturigini calamitatis ſuæ, malè precatur, & non factas fuiſſe optat, atque hoc modo loquitur: *Utinam noctem illam ipſam occupaſſet caligo.* quod ita accipio, ut optet facibus lucerniſque nuptialibus nunquam ſplenduiſſe. Neque id miremini. nam plurimos à Romanis moribus deſciviſſe ad Judaicos conqueritur Juvenalis Satyra 14.

Romanas autem ſoliti contemnere leges
Iudaicum ediſcunt, & ſervant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.

Quod & Suetonius aliique confirmant. Non autem omittenda illa Rutilii Claudii verba Itinerarii lib. 1.

Atque utinam nunquam Iudæa ſubacta fuiſſet
Pompeii bellis, imperioque Titi.
Latius exciſæ peſtis contagia ſerpunt,
Victoreſq; ſuos natio victa premit.

Judæi verò hauſerunt morẽ ab Ægyptiis, apud quos diutiſſimè verſati ſunt; & quibus primum lucernarũ uſum adſcri-

adſcribit Euſebius lib. 10. de Præpar. Euang. Certè Herodotus lib. 2. per univerſam Ægyptum, accenſis noctu lucernis, feſtum celebrari ſcribit, & potiſſimum in urbe Sai, in honorem Minervæ, quæ lucernarum præſes habita fuit. Arnobius mihi teſtis lib. 4. adverſus Gentes, ubi *conjugalia ſecreta miſcentibus Minerva luminis miniſtra & lucernarum modulatrix* apellatur, vel *moderatrix*, ut Canterus legere mavult. Ideò Clèmens Alexandri. in adhortatoria ad Gentes Homerum reprehendit, quòd Odyſſ. lib. 3. fingat Minervam Ulyſſi præluxiſſe, auream lucernam tenentē manibus. Faces autem iſtæ ſive lucernę in Nuptiis adhibitæ à Judæis, quia boni ominis eſſe & fœcunditatem novæ nuptæ portendere cenſebantur. Nemo enim neſcit (niſi in ſacris Litteris hoſpes planè ſit ac peregrinus) *lucernę* nomine liberos ac poſteritatem, quæ in dignitate atque honore magno futura ſit, frequenter venire, ut videre eſt 1. Reg. 11. 36. ubi Deus promittit, ſe filio Salomonis daturum tribum unam è duodecim, *Vt eſſet Davidi lucerna omnibus diebus Hieroſolymę*. Eadem phraſis uſurpatur 1. Reg. 15. 4. 2. Reg. 8. 19. 2. Chron. 21. 7. & Pſ. 132. 17. Nec hactenus duntaxat lucernæ prælatæ ſponſis, ſed etiam ad tenebras diſpellendas, noctemque ſuperandam. Noctu enim apud Judæos Nuptiæ celebrabantur, non ſolùm Soſpitatoris noſtri ævo, ſed ſeculis quoque pluribus anteactis. Atque inde eſt quòd Jobus cap. 3. comm. 6. nocturnum cantum, quo, veluti Epithalamio, decoratæ fuerant matris Nuptiæ, improbans, O, inquit, *ſi illa ipſa nox fuiſſet ſolitaria, nec veniſſet cantus in ea*. Iuvenes enim ac virgines Epithalamium concinebant. Unde illud de morte acerba atque immatura Pſ. 78. 63. *Iuvenes ejus abſumſit ignis, & virgines ejus non ſunt epithalamio celebratæ*, vel *laudatę*, hoc eſt, *nuptui traditæ*. Aquila ergò ad rem *non ſunt hymnis decantatę* interpretatur. His adde verba Iere-

Ieremiæ cap.25. comm.10. quibus irati Dei minas ita deſcribit: *Faciam ut pereat ex iis vox gaudii, & vox lætiæ, vox ſponſi & vox ſponſæ, ſonus molarum & lux lucernæ.* Qui locus geminus eſt illi jam commemorato ex libro Iobi cap.3.comm.5.& 6. nam ſicuti ibi optat obſcuram fuiſſe noctem nec facibus nuptialibus illuſtrẽ,atq; inſuper cantum in ea non fuiſſe auditum; Ita Deus par Prophetam hîc duo iſta minatur,nempe vocem omnem lætitiæ, ſe ablaturum, unà cũ lumine lucernæ. Etenim cùm meminiſſet ſponſi & ſponſæ perquã eleganter *lucernam* adjunxit, ut tam de voce lætitiæ nuptialis ſive hilari cantione quàm de lucernis, in Nuptiis accendi ſolitis, ſermonem ſibi eſſe demonſtraret, nominataque unâ ſpecie gaudii ſpecioſiſſimâ, omne lætitiæ genus ablatum iri prædiceret. Alioquin non in ſolis Nuptiis, ſed aliis quoque rebus lætis lucernæ inter Judæos lucebant; ut & feſtis ac ſabbatis. Perſius ſub finem Satyræ 5. Romanorũ levitatẽ carpit, qui tam proclives erant ad ſuperſtitiones illas Iudaicas in accendendis lucernis:

——— at cùm
Herodis venêre dies, unctaque feneſtra,
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino;
Labra moves tacitus, recutitaque ſabbata palles.

Ubi *Herodis dies* alii non videntur eſſe quàm Sabbata ipſa, ab Herode (qui primũ Pompeio, Strabone auctore,ſacerdotio Iudæorũ præfectus,moxà Cęſare Auguſto rex illorum creatus fuit) cæteriſq; Iudæis culta atq; celebrata,accenſis lucernis. Omitto nunc graviſſimorum Scriptorũ teſtimoniis comprobare,Imperatores,Reges Principes viros, immò Deos igne accenſo facibuſque prælatis honoratos. nam S. Scripturã legentibus obvium eſt, Deum ſummum igne flammiſq; divinam ſuam

am majeſtatem ſæpenumero declaraſſe. Neque enim abſurdum foret exiſtimare, ſponſos, qui ipſo Nuptiarum die in ſummo honore atque exiſtimatione eſſe ſolent, ſicuti φυλλοβολοῦντας ſuos habuerunt, ita & πυρφοροῦντας olim nactos, qui, ex benevolentia ſumma, eos tam impenſè honorarent. Quanquam lucernis & lampadibus poſteros, ex novis conjugibus originem vitamque ducturos, figurari, ut jam dixi, multo malim. Lucerna enim vitæ ſymbolum eſt. Unde Plato lib. 6. de L L. gignentes atq; educentes liberos vitam, tanquam lampada, aliis tradere ſcribit. Nam *quaſi curſores vitaï lampada tradunt*, ut eſt apud Lucretium. Hinc illæ ſuperſtitiones circa lucernas, quas (Plutarcho teſte lib. 7. Sympoſ.) extingui non ſinebant veteres, etiam poſt cœnam, cùm iis non amplius indigerent. Id enim patrem avumq; ſuum ſedulò curaſſe Florus Philarchus narrat. alioquin ne fruſtra oleum conſumeretur caventes. nam ob ſimilitudinem illarum cum ſacro & perenni igne, juxta Cæſernium, omnis ignis adeoq; & lucernarum interitum antiqui abominabantur. quippe ignem, hominis inſtar, interire vel vi extinctum, vel naturaliter elangueſcentem cenſebant. In lucernis ergò eum ultrò perire ſinebant, ſufficere putantes, ſi ei vim non feciſſent vitamque invidiſſent, tanquam qui fruſtra aleretur. Nihil enim animato ſimilius eſſe quàm ignem Lucius apud eundem Plutarchum contendit, utpote qui per ſe movetur & nutritur, ſuoque ſplendore, animæ in modum, res cunctas manifeſtat, imprimis verò vim vitalis principii non expertē oſtendit, quoties extinguitur ac perit. *Nam inter pereundem vocem edit & reluctatur interitui, animalis inſtar, quod necatur*. Religio penè mihi eſſet, quanquā feſtinanti, prętegire egregium Chryſoſtomi locum, ubi in ſuperſtitionem detortas etiam à Chriſtianis lucernas commemorat & gra-

graviter his verbis reprehendit: *Si quidem, cùm nomen filio imponendum ſit, omiſſa ſanctorum appellatione, quemadmodum majores faciebant, accenſis lucernis, & his nominibus impoſitis, quæ plurimum duraverit, ejus nomine filium appellant. hinc eum diutiùs victurum conjectantes.* Ubi lucernis vitam adumbratã fuiſſe rurſùm videtis. Quemadmodum autem juvenes aliquot aderant ſponſo, ita ſponſam virgines quædam comitabantur, juxtà illud Pſ. 45. 15. *Filia regis cum phrygianis deportatur ad regem, & virgines poſt eam, amicæ ejus, adducuntur ad te.* ubi Nuptiæ Chriſti regis cum Eccleſia graphicè depinguntur, coloribus ab humano conjugio deſumptis. Alioquin pueri non virgines aut puellæ facem prælucebant ſponſæ apud Romanos. Ita ut Hebræis id proprium fuerit ſolis, ut virgines lucernas jugales prælucerent novis nuptis? Atque his lucernis prælatis lucẽ me affundere poſſe ſpero elegantiſſimę illi Solis deſcriptioni, Pſ. 19. 6. *Eſt tanquam ſponſus prodiens è thalamo ſuo.* Nam, ut nuper diſſerebas, Archæologe, ſub *tentorio* Sponſalia confieri conſueviſſe, idque loco iſto dulciſſimi Vatis evincere ſtuduiſti; ita nunc verbis ſequentibus ad virgines, facem lucernamque lucentes ſponſis, mentis oculos Davidem intendiſſe vix dubitandum arbitror. Nam, luculentiſſimo ſimili, Solẽ ait eſſe inſtar Sponſi è thalamo prodeuntis. Quemadmodũ enim adventum Sponſi pueri virgineſve prelucentes lampadas prænunciabant; ita Aurora vel potiùs Lucifer ſoli emicanti facem prefert. Quinq; autẽ faces prelatæ à Romanis, ut Plutarchus indicat Romanarũ quæſtionũ initio, additâ, inter alias, hac ratione, *Quia matrimonium contrahentes quinq; Deorum ope indigere putant, Iovis Nuptialis, Iunonis Nuptialis* (Sic enim vertendum, non *perfecti*, aut *perfectæ*, ut habet interpres) *Veneris, Suadæ ac Dianę*, quæ Lucina eſt, *quam parturientes invocant.* Totidem Hebræis ſive Judæis faces uſitatæ.

Nec

Nec movet me quod Chriſtus decem virgines cum lampadibus introducit. nam quinque ſolummodo prudentes & ſedulò officium facientes, ideóque, excluſis cæteris, ad geniales epulas intromiſſæ, numerum legitimum implent. Aliæ enim fatuæ nullo numero erant apud Soſpitatorem noſtrum. Neque etiam, oleo deſtitutæ, adventanti ſponſo præluxerunt. Hiſce autem virginibus λαμπαδηφόροις, interea dum per multas horas domi apud ſponſam, ſæpè ad noctem uſque concubiam præſtolarentur ſponſum, qui ſponſam ſecum domum eſſet abducturus ad gaudia nuptialia, ſomnus nonnumquam obrepebat. Quod de virginibus hiſce Chriſtus etiam teſtatur comm. 5. nam media nocte, hoc eſt, tardiùs ac ſeriùs quàm mos ferebat, ſponſus demum venit. Unde & *morante ſponſo* præcedit. Atqui vigilare illas, & (ut Ariſtophanē loqui jam audiviſtis) ὕπνου ὁρᾶν τῆς νυκτὸς οὐδὲ πασσάλην oportuerat, ut ſponſo appropinquanti cum lampadibus occurrerent eumq; ad ſponſam deducerent, atq; inde rurſus cū ſponſa in ejus uſq; domum comitarentur, ſimulq; feſtivitatis nuptialis eſſent participes. Etenim ut apud ſponſæ parentes cœnabatur in Sponſalibus, ita apud ſponſum ejuſve parentes in Nuptiis, ut clarum eſt ex Judic. 14. 11. & Matth. 22. 2. Atque ita quidem cum aliis nonnullis ſentiebam antiquitus ſeſe hanc rem habuiſſe, donec me nuperrimè ab ea ſententia dimovit Vir Magnus, imò maximus, niſi τοῦ Τρισμεγίστου Θεοῦ leges reſingere tentaret per vetitum nefas. Is enim pompam nuptialem Iudæorum veterumq; Chriſtianorū ſic adornat atq; ordine ſuo diſponit: Matrimoniū publicè celebratur μετ' εὐλογίας. Ad hanc deducebatur ſponſus à viris grandævis, ſponſa à matronis. Redeuntibus autem ſponſo & ſponſæ obviam procedebant Iuvenes & pu-

& puellæ. nam Latinus & Syrus interpretes apud Matthæum legerunt: ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου καὶ τῆς νύμφης. Idemq; de Origine crediturũ qui diligenter attenderit Vir ille non dubitat. Similem, at ſpiritualem, ad domũ Sponſi ſui deductionẽ ardentibus votis expetit Sponſa in Cantico Canticorum cap. 1. comm. 4. cùm exclamat: *Trahe me, poſt te curremus.* nam inquit, *cùm introduxerit me rex in conclavia ſua, exſultabimus & lętabimur in te, commemorabimus amores tuos, meliores vino.* Simulac ergò domum ſponſi veniſſent novi conjuges, abdebant ſeſe in cubiculum, virgineſque thalamum ingreſſæ ita oſtium claudebant, ut pauciſſimi & non niſi advigilantes poſſent ingredi. Vigili namque cura erat opus, ut, antequam peſſulum obderent oſtio, aliquis ingredi poſſet. Occluſis verò jam foribus, & admiſſis qui erant accipiendi, fruſtrà à volentibus ingredi foris clamabatur: *Domine, Domine, aperi nobis.* nam ſponſus intrò intenta voce reſpondebat: *Neſcio vos,* plures admitti vetans. quomodo πᾶσαι ἐνδοῖ, *omnes intus* apud Theocritum uſurpatum in Syracuſiis, ubi Praxinoë ſic ait:

Κάλλιστ' ἐνδοῖ πᾶσαι ὁ τὰν νυὸν εἶπ' ἀποκλάξας.

Quod Eraſmus ſic vertebat:

Optimè habet; cunctę ſunt intus, fertur ut olim,
Incluſa ſponſa, ſponſus dixiſſe.

Et hæc quidem de ritibus veterum, quos Chriſtus reſpexit in Parabola iſta, (ſatis quidem obſcura, propter Hebræorum mores, neque à Sacra Hiſtoria, neque ab Hebręorum doctoribus ſatis enucleatos ac deſcriptos) eſt ſententia, an conjectura. Certè breviùs dixi quàm res poſtulabat, referens omnia quàm potui maximè ad compendium.

Arch. Digna mecaſtor diſſertatio propter quam vadimonium deſeratur. Nunc im-

imprimis agnoſco quantum ſit Philologiam cum Theologia conjunxiſſe, quod tamen perpaucorum eſt ſtudium. Iamdudum te interpellaſſem, ſed rerum varietas, cum eruditione conjuncta, adeò me ceperat, ut magis eſſet cur hæc omnia memoriæ mandandi, quàm de iiſdem diſquirendi cura me tangeret.

POLYT. Deductio ſponſæ ex ædibus paternis in domum ſponſi more Hebræorum deſcripta, & cum Romanororum ritu multum congruens, monet nos ut alios quoque ritus circa eandem excutiamus. Atq; illud me nuper didiciſſe, & nunc commemorare juvat, propinquos nobis Friſios graves an duros ſe nubentibus in eo præbuiſſe, quòd ſub gladii exſerti acie domum ſponſi intrare, recepto more, juberentur. Ita enim habet vetus jus Friſicum: quod, quatenus id, de quo nunc agimus, ſpectat (cùm ſcirem de eo nunc ſermonem fore) exſcripſi nuper & nunc vobis prælegam:

WERSOME EEN VROUVVE VVROEGET DAT HIOE EN URHOER DEEN HABBE, SO AEGSE HER VOORMOND THO SICKEREN, IEF HYSE SICKERT, VRBRECKT HER DE RA LVDENA, SO VVERTSE HER FORMOND AL SCHIELDICH, SO AEGH DY FORMOND DINE KER, HOR HYSE FILLA, SO HYSE HANDIA MIT TA SVVIRD, DEERSA ONDER GINGA, DOSE DAT AEFTE BEGING, SO HYSA THO HEM NIMA, ENDE HIASE SICKERIA NELLET, SO SCHILMA OM DA SONDE DA HERMSCHEED ONTFAEN, ENDE DA BAN BETA MEY TRY EN TZECHSTICH SCHILLINGEN:

ARCH. Quæ hæc verborum portenta ſunt, mi Polytrope, atque ipſo penè timenda ſono? Nempe rei portentoſę verba portentoſa quadrant.

POLYT. Lex talis eſt: *Vbi mulierem accuſamus, quod adulterium commiſerit, is in cujus poteſtate eſt, eam purgare tenetur. Si eam purget* (id eſt, purgare laboret) *& ſacramenta de-*

ta deficiant, ei, in cujus poteſtate eſt, tenetur, eique optio datur, an ipſam excoriare (hoc eſt, flagellando tergoris pellem rumpere) *an gladio, ſub quo domum* (puta *ſponſi*) *intrabat, ferire velit. Si ipſam ad ſe recipere, nec purgare velit, propter peccatum, pœnitentię cauſſa peregrinetur, & bannum ſolvat tribus & ſexaginta ſolidis.* Unde mos ille Friſiorum, quem dixi, clarè dilucet. Siquidem ipſo Nuptiarum die ſponſa, longo virginum juvenumq; ordine eam ſtipante, multoque auro onerata magis quàm ornata, paſſis capillis & coronâ redimita caput, ad templum deducebatur. Via, qua eundum, facibus ignibuſque ſtramentitiis ubiq; collucebat. Etenim noctu, more Romano, hæc gerebantur. Stabat autem ad fores templi Preſbyter, qui ſponſæ manum adprehendens, eam ad aram adducebat, ubi, ſponſo cum paranymphis ad ſiniſtram ſponſæ conſiſtente, ſolenni ritu jungebantur. Hinc ſponſa ad domũ ſponſi eâdẽ pompâ deducebatur, quò ſimulac veniſſet, è ſponſi neceſſariis quiſpiam ante limen ſcopas projiciebat, quas ipſa, ominis ergò, & maleficii averruncandi, tranſire ſolebat. Limen verò jamjam tranſiturę alius ex ſponſi vicinis aut conſanguineis eductum gladiũ januę tranſverſum prætendebat, ingreſſum ſponſæ, quamquam magno conatu irrumpere laborantis, impediens, uſque dum munuſculo aliquo ab ipſa quaſi mitigaretur. Quo ritu de caſtitate ac pudicitia, viro integra ſervanda, monebatur; Si verò eam adulterio commaculare non vereretur, marito jus faſque eſſe, eodem ipſo gladio, ſub quo domum ejus intrarat, quemque AEFVVIRD, id eſt, *gladium nuptialem* indigitabant, de ea ſupplicium ſumendi edocebatur.

ARCH. Bibulę ſatis ſunt mihi aures ad iſthæc haurienda. Effunde, quæſo, ſi quæ id genus alia tibi ſuperſint.

POLYT. Obſervavit Jul. Cæſ. Scaliger teſtis oculatus, ſuo avo aliquot Italiæ lo-

locis id moris fuiſſe, ut egrediens paterna domo nupta pedem tollat, ne attingat limen. Ei rei etſi diverſæ aſſignentur cauſſæ, illa tamen verò propior illi videtur: Ne magicis pharmacis lædi poſſet, quę ſub limine ad deſtruendam conjugũ vel concordiam, vel vim genitalem defodi ſolent à veneficis.

PHIL. Proximè hunc morem illud eſt, quod veteribus Romanis uſitatum fuit, quorum novæ nuptæ, ad mariti ædes deductæ, ante limen ſtabant obſtinatæ, invitas ſeſe in eum locum duci ſignificantes, ubi ἀπάρθενοι fierent, & virginitas ipſarum (ut Apuleii verbum uſurpem) erat interficienda. Unde paranymphi, ſive amici qui ſponſo opem ferebant, eam in altũ ſublatã rapere & intus trahere ad ſpõſum conſueverant. quomodo raptas olim à Romanis Sabinas non intraſſe domos, ſed illatas eſſe, vix ambigendum. Qua de re eleganter differunt Briſſonius & Ant. Hotmanus, quorum hic complures cauſſas promit. Illud unum tamen monendum duxi, haud ritè ritum illum non tangendi limen apud veteres Romanos à nonnullis videri referri ad exitum ſponſæ ex paterna domo & quaſi matris gremio, ut quæ ægrè ſe inde avelli pateretur. nam de eo nil certi in veterum monumentis me reperire memini.

ARCH. Immò & alterum vos moneo: Morem nempe noſtrum illis acceptum eſſe ferendum, quo rapi etiamnum ſponſæ reluctantes ac malè pertinaces aſſolent. Quod etiam Lacedæmoniis placuit. nam etſi, inſciis vel invitis parentibus, nemo apud eos in matrimonium ibat, attamen uxores raptu ducebantur. Etenim hoc virginali pudori ac verecundiæ dabant, conveniens eſſe arbitrantes, ut quaſi invitæ eò abriperentur ubi zonam ipſis ſoluturus eſſet novus maritus. Raptam autem abducebat pronuba, capillos cute tenus ei reſecans; dein verò tunica virili & calceamentis induebat; deniq; in

toro ſine lumine ſolam collocabat,autore Plutarcho in Lycurgo. Quorum primum ut ait Nic. Cragius, ſtatus vitæ morumq; mutationem notabat,ut ſponſa in alterius poteſtatem ſe tranſire intelligeret, ac maritali imperio ſe ſubjicere,ejuſque nutibus obſecundare adſueſceret. Secundum bonorum communionem, vel potius animum virilem ſumendum novæ nuptæ ſignificabat. Poſtremum de verecundia commonefaciebat. Etſi aliis alia de rituum horum cauſſa atque origine ſit ſententia. Sed verecundiæ ſignificationem non obſcuram nunc duntaxat reſpicio; Cui illud quoq; accedit, quòd ſponſo vel novo marito nō niſi furtim ſponſam vel novā nuptā adeundi daretur copia; neq; etiam tota nocte apud eandem commorari fas eſſet, ſed cum coætaneis integri dies & ipſæ noctes magnam partem eſſent tranſigendæ. Unde pudoris metuſq; plena erat hæc converſatio, cum omni ſtudio ſemper caverent, ne familiaribus ea innoteſceret crebriùs. *Una* (ut Plutarchus ait)*machinante ſponſâ, & oportunitatem ſuppeditante, quò in tempore, inſciis aliis, congrederentur. Neque verò ad modicum tempus ita agebant, ſed aliqui etiam liberos priùs ſuſtulerunt, quàm interdiu uxores ſuas vidiſſent.*

Polyt. Servianos etiam morem habuiſſe conſimilem ferunt, ut, poſtquam inter parentes de Nuptiis juvenis & puellæ convenerat,ſponſi puellas raperent. neq; enim decorum illis quoque videbatur conſentire in primos concubitus virginem, ut ſcribit Buſbequius Epiſt. 1. de Legatione Turcica.

Arch. Inter illas, quas Plutarchus in Romanis Quæſt. adducit, rationes, cur vi rapuerint ſponſas ſuas novi mariti & per nymphagogos ſuos in ædes intulerint, illa mihi non poſtrema videtur, etſi poſtremo loco collocata, cum ait, Ideò raptam ſponſam, ut quas coacta ingreſſa eſſet, ædes, eas non egreſſuram vel deſerturam ominarentur, niſi ſimili vi, qua introducta fue-

fuerat, exigeretur ac proturbaretur. Ea re Boëotii currus axem, quo ſponſa advecta fuerat, pro foribus ſponſi comburebant, ſic intro permanendum ſponſæ, raroque pedem domo efferendum ſignificantes, utpote perdito & ſublato jam eo quo avehi poſſet, ut Plutarchus ſcribit. idemque poſt hunc ex Pauſania narrat Alexander ab Alexandro. Jul. Cæſ. Scaliger omnibus Græcis eum morem adſcribere videtur, ut nobiliores duntaxat feminæ ſic curribus (quorum axis igne abſumebatur) ad ſponſorum ędes veherentur. adeò ut ſi qua pedibus incederet, χαμάιπȣς, per contemptum, diceretur, ut Pollux autor eſt.

Bibl. Quàm verè dixit ille: *Non minùs quàm dulcedo vini hilarant verba convivium!* Et Alexandrum Severum laudare ſoleo, qui, cum inter ſuos convivaretur, aut Ulpianum aut doctos homines adhibebat, ut haberet fabulas litteratas, quibus ſe recreari dicebat & paſci. Certè me jam rude donatum & àbitum parantem, quaſi manu injectâ retraxerunt ſermones tui. Perplacet illud de feminis raro pedem domo efferentibus. φιλέξοδοι enim ut nè ſint, ſed οἰκȣ̃ροι, addecet.

Polyt. Duram nimis & aſperam illarum ſortem facis. viſne eas ſitu torpere & emarceſcere?

Bibl. Minimè gentium. Eſt enim quod domi curent, & in quo ſeſe perpetim exerceant. Ne verò me novum & ſuperioribus ſeculis ignotum atq; immitem nimiùm feminis legiſlatorem arbitrere; age pauliſper mihi aures præbe, & quæ, cum ſapientiſſimorũ Ethnicorum, tum ipſius Dei, hac de re ſit ſententia, accipe. Ariſtotelis aurea verba ſunt Oeconomic. lib. 1. cap. 3. quæ Latinè ſic habent: *Unum ſexum robuſtiorem fecit* (Deus ſcilicet aut natura) *alterum imbecilliorem, ut hic ad cuſtodiendas res propter timorem, ille propter fortitudinem ad propugnandum magis eſſet idoneus: itemque ut*

ille foris parta afferret, hic intus conſervaret allata. Præterea voluit hunc ad opera facienda ſedentarium eſſe, ſed ad excubandum foris infirmum: illum ad quietem minus aptum, ad motus verò ſeu exercitationes valentem. Ad liberos autem quod attinet, ut ſit horum actus communis, utilitas verò peculiaris. Hujus enim eſt educatio, illius inſtitutio. Æmylius Probus in Præfatione: *Materfamilias in Græcia neque in convivium adhibetur niſi propinquorum, neque ſedet niſi in interiore parte ædium, quæ gynæconitis appellatur; quò nemo accedit, niſi propinqua cognatione conjunctus.* Lucilii quoque verſus huc ſpectant:

At cùm iter eſt aliquò, & cauſſam commenta viavit,
Aut apud aurificem, ad matrem, cognatam, ad amicam,
Aut operata aliquo in celebri cum æqualibu' fano;
Lanæ opus omne perit, pallor, tineæ omnia cædunt.

Id enim vult Poëta, matreſſamilias crebris excurſionibus rem familiarem negligere ac peſſundare. Immò Plautum audi dicentem:

Vxor viro ſi clam domo egreſſa eſt foras,
Viro fit cauſſa, exigitur matrimonio.

Certè apud Valerium lib. 6. cap. 3. legere eſt Sulpicium Gallum uxorem dimiſiſſe, quòd capite aperto foris verſatam fuiſſe cognoviſſet; nec non Antiſtium Veterem uxorem repudiaſſe, quòd eam in publico cum libertina vulgari ſecreto loquentem vidiſſet. Etenim contra verecundiam muliebrem eſſe exiſtimarunt, in publico cœtu oculis uſurpari feminas. Hinc Conſtantinus C. 2. t. 45. l. 2. *Feminas quæ* VIII. & X. *annum egreſſæ fuerint propter pudorem ac verecundiam cœtui publico demonſtrari non cogimus.* Et C. 8. t. 38. l. 14. *Mulieres naturalis pudor non omnibus perperam ſeſe manifeſtare concedit*, inquit Juſtinanus. Unde & Cicero in Verrem 3. exclamat: *Cur pudentiſſimas lectiſſimaſque feminas in tantum virorum conventum inſolitas invitaſque prodire cogis?* Ipſi Syracuſani, etſi luxui plus nimio dediti, hanc tamen legem utiliter ſanciverunt;

runt, *Nè mulier ingenua poſt ſolis occaſum domo egrederetur, niſi quæ adulteris copiam ſui faceret; & interdiu non prodiret ſine gynæconomis* (quibus ejus cura mandabatur) *& ſine una pediſſequa ſubſequente:* teſte Athenæo lib. 12.

Polyt. Viſne ergò inſtar teſtudinis domiportæ, ut apud Tullium appellatur, mulieres ſemper ſub tegmine domus ſuæ latere nec vel latum pedem inde exire? Plütarchus ſanè id hominum genus quod tecto gaudet & umbra damnat, & *οἰκουρίαν* hanc vutuperat.

Bibl. Viros *οἰκουροὺς*, tangit, non feminas. Neque enim domiportarum vitam ipſas dedecere ſatis innuit, cùm in Præceptis Conjugalibus narrat, Phidiam Eleorum Venerem ita finxiſſe ut teſtudinem calcaret, tacitè ſignificantem, uxoribus domi manendum. Refertque idem, Ægyptios nuptas ſandaliis induiſſe, ne domo unquam prodirent; Et in Romanis Quæſt. C. Cæciliæ pulchræ feminæ, Tarquinii filio nuptæ, in fano Sangi ſtatuam fuiſſe poſitam, cui ſandalia & fuſi adjacebant, induſtriæ nempe ſymbola, & quòd domi ſeſe continere aſſueviſſet. Etſi autem domum perpetui carceris inſtar uxoribus eſſe nolim; tamen quò rariùs exeunt eò tutiores fore & rem familiarem majori cum emolumento curaturas mea fert opinio. Neque enim de nihilo eſt quod nonnulli ajunt, Deum feminas molliori corpore ac teneriori cute effinxiſſe, adhæc luculentiori forma, quò corpus ac valetudinem cum forma ac pudicitia, domi in umbra ſe continendo, tueri aſſueſcerent. Quemadmodum enim quidam apud Livium de teſtudine ait, ubi collecta in ſuum tegumen eſt, tutam ad omnes ictus eſſe; ubi autem exerit partes aliquas, quodcunque nudavit obnoxium atq; infirmum habere: haud aliter cum mulieribus comparatum eſt, nuſquam æque tutis atque in domo ſua. Uſurpent ergò, me autore, ipſum illud teſtudinis in fa-

bulis vetus verbum: *Domus amica, domus optima.* Graviſſimum autem illud Apoſtoli monitum eſt, reprehendentis viduas, quæ *circumeuntes domos, otioſæ eſſe diſcunt; immò non ſolum otioſæ, ſed & nugaces, & curioſæ, garrientes quę non oportet.* quas nubere & οἰκοδεσποτεῖν ſatiùs eſſe ait. Quippe ſi viduas, quibus plus otii eſt à rebus domeſticis, diſconvenit circumcurſare domos alienas; multo ſanè minùs jam nuptis, quibus maritorum totiuſque familiæ commodis ſummopere ſtudendum eſt, inutile illud τριψημερεῖν indulſiſſet. Quod tamen feminis compluribus adeo familiare eſt, nec ſolùm benè nummatorum, ſed & manibus victum quæritantium uxoribus, quas & ipſas lana ac colo rem facere, vel à maritis quæſita aſſervare, ac ſuo quæq; tempore ad uſus neceſſarios promere, ut frugi matreſfamilias, imprimis deceret.

Polyt. Suada ipſa non perſuaſiſſet efficaciùs. Philiſtor, deſertor, ubi latitaſti? quò te abripuiſti? Mirabar equidem iſtud in te, qui alias tam ſoles eſſe φιλέταιρος ut qui maximè, nec primus ab amici latere uſquam deflectere.

Phil. Poſtquā aures animumq; diu eruditis veſtris colloquiis oblectaſſē, oculos quoque ſpectaculo merè nuptiali paſcere diſcupiebam.

Polyt. Quodnam, amabo te, fuit illud ſpectaculū?

Phil. Thalamū ingreſſus luſtravi genialē torum pulcherrime adornatū, & vetuſtiſſimi ſeculi expreſſiſſimam vidi imaginem. Nec procul inde abacum notavi, non minus luculenter inſtructū ſpeculo, pectinibus eburneis ac teſtudineis, calamiſtris, nebula linea, ſubuculis, caſtula, ſtrophio, capitiis, plagulis, mucciniis, mulleis, atq; aliis quæ enumerare non vacat.

Polyt. Quam antiquitatis imaginem dicis?

Phil. Lectum floribus odoratis omnigenis ornatū. Roſis enim nuptialē torum contextū & olim fuiſſe Ant. Hot-

Hotmanus notavit. quanquam veteris nullius ſcriptoris autoritate obſervationem illā munivit. quod equidem factum vellem. Nec aliud mihi ex antiquitate teſtimonium occurrit præter unum, quod tamen (ut mea eſt ſententia) multorum, imò omnium inſtar eſſe queat. Etenim ſic divinus Poëta in Cantico ſponſam loquentem introducit: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, etiam amœnus, etiam ſponda noſtra eſt virens*; ſive *florida*. Nec viſu ſolum ſed & odore gratiſſimi erant hujuſmodi lectuli, vernantibus gratumque ſpirantibus odorem floribus, prout anni tempus erat, variegati, atque emblematis inſtar picti. Quid quòd aromatibus interdū erant conſperſi, ut quidam ex illo ejuſdem Cantici loco me colligere docuit: *Interea dum rex in accubitu ſuo eſt, nardinum edit odorem ſuum.*

Bibl. Certiùs utique id collegiſſes ex Proverbiorum Salomonis cap. 7. comm. 17. ubi mulier impudica, juventutis decipulum, & bonæ mentis naufragium, juvenem præter alia hiſce quoq; verbis, quaſi ſeſamo & papavere ſparſis, aggreditur: *Adſperſi cubile meum myrrha, aloë & cinnamomo.* Omnem ejus orationem ſi legas, ipſam Suadæ medullā eſſe dixeris.

Polyt. Si ad ádyta iſta aditum patere ſciviſſem, me comitem habuiſſes, Philiſtor. Nuptialem namque ejuſmodi thalami apparatum non invitus ſpectaſſem. Quin viam unà illuc affectāmus denuo?

Phil. Temporiùs iſtud fieri oportuit. Vides enim quàm fervere incipiat de ſponſa contentio, dum pronubæ eam ſecum retinere laborant, & cum Spartanis puellis apud Theocritum indignantes ſponſum vocant ſomniculoſum, ac ſolum ipſum indulgere jubēt ſopori;

Παῖδα δ' ἐᾶν σὺν παισὶ φιλοςόργῳ παρὰ μαῖρὶ
Παίσδειν ἐς βαθὺν ὄρθρον. ἐπεὶ καὶ ἔναν, καὶ ἐς αὦ,
Κ' εἰς ἔτος ἐξ ἔτεος,

M 4 ade-

adeóque ad mortem uſque, in ejus poteſtate ſponſa futura ſit; Nymphagogi autem ſponſam abreptũ eunt, ut thalamo inferant. Proinde, ſi meum tibi placet conſilium, ante oſtium potiùs adſta, ut nuces colligas, aut cum juvenum virginumq́; choro Epithalamium κατακοιμητικὸν concinas.

Polyt. Ad pueros nuces. Jamdudum eas reliqui. Nec cantare, ut ſcis, unquam didici. Deſine autem me irridere, ac mordere doctis quamquã ſalibus, ut quidem ſuſpicor. Quin potiùs illos mihi explica, ut, præter acrimoniam, verbis tuis dulcem ac jucundum ſaporem quoque concilient. De nucibus jactis aliquid me legere memini, ſed memoria admodum tenui & obſcura. Quamobrem, mihi rem gratam feceris, ſi, quod excidit, in memoriam revocaveris.

Phil. Repetere jubes quod pueri didicimus, nempe, ſponſo cum nova nupta in thalamum abdito, nuces foris ſpargi conſueviſſe à Romanis.

Polyt. Rem forſitàn dixiſti puer, rationem non item.

Phil. Ita eſt uti dicis, Polytrope. nam poſtmodum rationes varias è variis ſcriptoribus hauſi. Verùm ne numerũ magis quàm rationum pondus oſtentare velle videar; etſi, quęnam ratio alteri præponderet, ambigam, duas è multis tamen præferre reliquis ſoleo. Una eſt Ludovici de la Cerda, qui nuces, ut miſſilia, à ludibundis maritis datas fuiſſe conjectat. Inter miſſilia enim nuces quoq́; ſpargebant veteres. Immò Capito Simius apud Feſtum *nuces* pro omnibus miſſilibus dici vult, quòd ſuper alia miſſilia à populo diligerentur. quem locum luculenter illuſtravit, Joſ. Scaliger. Altera Servium agnoſcit autorem, qui idcircò ſparſas nuces aſſerit, ut à rapientibus pueris fieret ſtrepitus, ne τῆς κόρης διακορευομένης vox gemituſve exaudiretur.

ARCH. Silentio nequaquam involvendum quod Illuſtriſſ. quem nominaſti, Scaliger ſcribit in Catullum, Catamitos, nempe, ſive pueros meritorios, qui erant in domo patriſſamilias, cum à turpi officio dimitterentur, nuces à novo ſponſo accepiſſe, quas ſpargerent nuptialia ac feſcennina canentes. Ideóque ait Plinium lib. 15. cap. 2. ſcribere, *nuces eſſe nuptialium & feſcenninorum comites.* Sic autẽ ipſe Catullus in Epithalamio Juliæ & Manlii:

Nec nuces pueris neget
Deſertum domini audiens
Concubinus amorem.
Da nuces pueris, iners
Concubine. ſatis diu
Luſiſti nucibus: lubet
Iam ſervire Thalaſſio.
Concubine, nuces da.

Quanquam id in omnes pariter ſponſos quadraſſe non putem, ut pueros ejuſmodi meritorios apud ſeſe nutriverint.

PHIL. Nutriverint autẽ, & dimiſſi nuces acceptas ſparſerint, necdum tamen aperit rationem, cur eas ſparſerint. Eam autem nunc quærimus.

ARCH. Quid ſi illis accedas, qui ſentiunt ea gratia jactas nuces, ut ſe puerilibus omnibus ludis renunciare, & ſeria amplecti ac proſequi velle novi conjuges indicarẽt, ſecundũ illud Martialis:

Iam triſtis nucibus puer relictis,
Clamoſo revocatur à magiſtro. Et Perſii:
—— nucibus facimus quæcunq; relictis,
Cum ſapimus patruos ——

Nam ad Epigramma quoddam de nautilo, apud Athenæum, annotatum à Caſaubono nuper inveni, morem olim fuiſſe, ut puellæ jam nubiles crepundia & pueritiæ oblectamenta Veneri conſecrarent. Unde Perſius: *Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ.* Et ferè, occaſi-

caſione Nuptiarum, ejuſmodi donaria Veneri ſuſpendebantur à virginibus & ſponſis, ut præter jam laudatum Epigramma ex Varrone Cornutus in Perſium docet. De juvenibus non diſſimile apparet ex illo Leonidæ Epigrammate, quo adoleſcens Philocles *κουροσύνης παίγνι᾽ ἀνεκρέμασεν* & Mercurio dicavit. Conveniens ergo erat ut novi conjuges jam longè aliam vitam inchoantes nuces ſpargerent & quaſi abjicerent.

Phil. Nunquam tam valido teſtium tibicine iſthanc ſententiam ſuffultam vidi. Ciccum non interduim, ut ait ille, huic an uni ex duabus prioribus quis adhęreat.

Arch. Malim è prioribus primam amplecti. nam ſtrepitus ille non in ſparſis nucibus, ſed in carmine *κατακοιμητικῷ* quærendus eſt. Moris enim fuit, ut puellæ ante thalamos, ubi novi nupti inerant, veſperi uſque ad mediam noctem concinerent, ne quid foris audiretur, quod intus fieret. cujus exemplũ exſtat egregium apud Theocritum in Epithalamio Helenæ. Nec obſcurum indicium apud Maronem lib. 4. Æneïd.

—— tellus & pronuba Iuno
Dant ſignum, fulſere ignes, & conſcius æther
Connubij, ſummoque ulularunt vertice Nymphæ.

Scholiaſtes Theocriti diſertè idipſum teſtatur. Etenim ſi pronubarum virginumque chorus ſponſam audiret ſociarum fidem & auxilium implorantem, opem ejulanti gementique ferre conabatur. Id ut ne fieret quidam ex intimis ſponſi amicis ante limẽ conſidebat, foreſque obſervabat ſedulo, ne qua feminarum vi eas effringeret ac irrumperet, ſed arceret omnes quæ ſponſæ laboranti clamantique auxilium ferre tentarent, ut Pollux autor eſt lib. 3.

Polyt. Plutarchus Sympoſiac. lib. 7. qu. 5. equabus, quando ineuntur, carmen tibia accini ſolere ſcribit, quod *ἱππόθορον* vocant. Un-

Unde Epithalamium illud veſpertinũ ſive nocturnum analogicè *ἀνδρόθορον* vel *γυναικόθορον* non illibenter appellaverim. Putidiuſculum autem videtur (non minus quã iſtud de ſinu Futini in Sponſalibus memoratum) quod de piſtillo ante thalamum ſuſpenſo apud Græcos vir doctus annotavit, etſi ſedulitatem futuræ matriſſamilias hoc argumẽto indicatam fuiſſe puter.

Bibl. Ohe jam ſatis eſt, amici, intus quæ fiunt quærere fugite.

Hic fuit ille dies. noctem canat ipſe maritus
Quantum noſſe licet.

Tenebris eam ipſa natura præſſit, & extincta quaſi cœli lucidiſſima face neminem quæ in illa fieri ſolent oculis debere arbitrari nos docuit. Et Lacedæmonii, naturæ obſecuti, ſponſam ſolã ſponſo, extinctis omnibus facibus in cubiculo offerebant. Nam voluptas illa conjugalis tori, *tenebris & parietum ambitu opus habet, ut mulieres ajunt.* quibus Plutarchi verbis hîc libenter utor.

Polyt. Romanos tamen cæteris facibus extinctis, unam conjugalem lucernam, pervigilem pernoctemq; futuram, accendiſſe reperio.

Bibl. Nemo tam inconſiderans eſt, qui omnibus veterũ moribus album calculum adjicere velit. Alioquin exſecrandum illum ſeculi ſuperioris morem uſurpandum dixeris, quo receptum erat, ut antequam ſponſa in mariti amplexus veniret, alii ejus haberent notitiam. Peguani Tameſſenſes (ut ab illis accepimus qui apud eos peregrinati ſunt) non ſolent concumbere cum puellis ſibi deſponſatis, niſi à Mahumetanis aut Chriſtianis florem virginitatis earum delibatum fuiſſe compertum habeant. Etenim infandorũ ſcelerum illud caput Mahometes apud ſuos eam ceperat opinionem, quæ & in vulgus edita fuit, non ſolum à Deo ipſi conceſſum permolere aliorum uxores, filias virgines, & ancillas, ut viros ſanctos & Pro-

& Prophetas patri ſimiles gigneret complures, juxtà vulgatũ illud: Eſſe in equis patrum virtutem nec feroces aquilas progenerare imbellem columbam; ſed Turlachi, qui religioſiſſimi inter Turcas audiunt, & (ut Pindaricum ſonem) δρέπειν κορυφὰς ἀρετᾶν ἀπὸ πασᾶν cenſentur, obvias quaſque feminas (ut aſinas aliaſque beſtias omittam) decocto omni humano pudore, palam ineunt; adeóque vulgi mentem obnubilavit ſuperſtitio, ut credant, mulieres ab iſtis compreſſas multò quã ante erant ſanctiores evaſiſſe. Quod útique fidem à me non impetraret, niſi teſtium multorum autoritas me adduceret, ut id credere audeam.

Arch. Non nuperum eſt iſtud flagitium, Bibliace. vetuſtiora etiam ſecula corripuit. Heliopolitanas virgines ante Nuptias in Veneris æde corpus vulgare ſolitas legimus; ſublato deinde turpiſſimo more à Conſtantino Principe. Amorrhææ ſeptem diebus in Syria, Armeniæ autem etiam nobiliſſimæ, ut Strabo narrat, in templo Tanaidis deæ in Acileſina longè diutiùs proſtitutæ erant, donec nuptui darentur. Nec quiſquam tales ducere uxores renuebat. Naſamonibus, referente Herodoto, mos erat, ut, ducente aliquo uxorem, prima nocte ſponſa ſingulos convivas obiret, Veneris exercendæ gratia, &, ubi à ſingulis compreſſa fuiſſet, donũ acciperet, quod quiſque domo ſecũ ad nuptiale convivium attuliſſet. Idemque apud Hyberniæ incolas obtinuiſſe Joh. Boëmus lib. 3. de gentium moribus autor eſt.

Polyt. Tuis iſtis ſponſarum ſubactoribus Volſinienſes adjungo.

Arch. Etiam illos reliquis annumerare animus erat, niſi ea ratio me dimoviſſet à propoſito, quod ſervili dominatu preſſi filias ingenuas ſervis inceſtandas dare coacti fuerint, adeoque diſpari cenſu prioribus accenſendi ſint. Fortunatos autem

tem Fortunatarū Inſularum incolas cave dixeris, quibus id moris inolevit, ut qui virgines uxores ducunt, Regi primùm eas offerant, ut hymenem ipſarum deintegret. nam infortunatæ mihi tales inſulæ videntur, præſertim ſi Regum tyrannidi originem ſuam debeat deteſtanda iſthæc conſuetudo.

POLYT. Quid? reges & principes inceſtæ ejuſmodi libidinis & nefariæ turpitudinis poſtulas?

ARCH. Id jubet veritas. Apud Adyrmachidas Pœnos uſus per multa ſecula obtinuit, ut virgines nupturas Regi ſuo primùm offerrent, quò earum pudicitiam ante Nuptias, ſi ita libuiſſet, delibaret. Puellas etiam viro nuptas prima nocte habere Regibus Scoticis olim licuiſſe accepimus, lege lata ab Eueno III. Scotorum Rege; ſublata verò deinceps à Malcolmo, anno CIↃ XC. qui ſanxit ut nuptæ aureum, pudicitiæ redimendæ ergò, dependerent. Adde quòd in Arvernia ejuſmodi conſuetudo invaluerit, ut Johannes Paponus me docuit, qui inſuper ex Diodori Siculi lib. 6. narrat quoſdam Sicilię incolas virginem nupturam inter Juvenes complures prima nocte proſtituiſſe, eique nuptum locaſſe, qui poſtremus cum ea rem habuiſſet.

POLYT. Quid non rudi ac credulo popello perſuadere, an imperare, valet diis æqua poteſtas! Prꝑſertim ubi animos ligavit & faſcinavit ſuperſtitio, quæ in eos incredibilem exercet poteſtatem &, prout ſeſe res dant, in varias formas valde ſibi diſſimiles immutat mortales. nam eſt ubi impios, profanos, crudeles; eſt & ubi ſtultos ac ridiculos homines facit. Specimen noſtro huic ſermoni congruum accipe: *Quum ſponſam in thalamum introduxeris* (leges ſunt quas Turcarum ſapientes novis conjugibus præfigunt) *poſtquam eam diſcalceaveris, pedes ejus lavato, deinde aquam in ædium angulos jacito; ſic Deus tibi dabit benedictionem & miſericordiam. In lecto apud eam decumbens brachium tuum ſuper caput*

caput ejus ponito, &c. Deinde ſic dicito: Domine Deus, qui Dominus meus & illius es, da mihi ex ea poſteritatem tibi futuram glorioſam, & tuo cultui deditam. Tu enim ille ipſe es qui ſcis & audis omnia. Et, ſi hoc facias, ſtupendam habebis poſteritatem. Quoties appropinquare voles uxori tuæ, dicito: In nomine Dei miſericordis & Patris omnipotentis. Nam, ſi hoc neglexeris, diabolus poteſtatem habebit in creaturam illam, quam fortè generabis. At jam nox propemodum in diem præcipitat; & etiamnum hîc hæremus! Nunc demum intelligo quanto plocliviùs ſit ventrem quàm animum ſatiari. Adeò longo jam tempore edi ſermones veſtros quàm avidiſſimè, necdum tamen ſatias me tenet.

Arch. Quin ergò, quod diei ſit, aliquod ἐπίμετρον ſinguli huic nuptiali confabulationi admetimini.

Polyt. Mos geretur tibi. Poſtridie (ni fallor) Nuptiarum apud Sacas, extimas Scythiæ gentes, maritus cum nova nupta decertabat uter utri imperaret domeſticoque alterum premeret imperio. Ita enim Æliani de illis verba capio: *Quod ſi quis adoleſcentulam uxorem ducere cupit pugnam cum ea ſuſcipit: & ſi illa ſuperior ſit, captivum abducit, atque imperium in eum tenet: ſin inferior, regitur ab ipſo. Certant autem non de vita, ſed de victoria.* Sicut enim claves jam nuptæ olim dabantur, ita poſt Nuptias conſummatumque conjugium Sacæ pugnâ decernere conſueverat, penes quos futurum eſſet ſummum imperium. Certè, utut res caderet, luctatores illos matrimonio copulatos fuiſſe Ælianus non obſcurè mihi innuere videtur. Niſi quis arbitretur, prout juvenis aut puellæ animo imperandi libido inſederat, conjugio abſtinuiſſe victos, conditionemque reſpuiſſe. Quod ſi mentem autoris acu non tetigerim, minus mirabimini, cum Alex. ab Alexandro longè aliter ac Ælianus Sacarum hancce conſuetudinem narraverit.

Phil. Præſtaret ſanè litem illam aliqua ratione cer-

cerni, ut conſtaret apud utrũ ſumma rei domeſticæ futura eſſet in poſterum poteſtas, quàm juges ex deſiderio rerum potiundi contentiones exoriri.

Bibl. Nunquid juſtam eſſe eorũ damnationem legiſti, qui malum perpetrant, ut bonũ aliquod inde emergat? Non eſt, mihi crede, maritis alea illa ſubeunda, quæ ſic cadere poſſet, ut ſub gynæcocratia iis ætatem degere & gravem ſervitutem ſervire neceſſe foret. Sed jus illis ſuum ſartum ac tectum ſervandũ eſt. Quod prudens illa Megiſtona, Timoleontis uxor agnovit, cũ Ariſtotimo Elienſium tyranno jubenti, ut maritum minando per litteras ab obſidione avocaret, ſi illam cæteraſque, quæ captivæ detinebantur ſervatas cuperet, reſpondit: Si quid virilis prudentiæ in ipſo eſſet, non juſſurũ uxores maritis quidquam præſcribere. Egregiè P. Syrus: *Caſta ad virum matrona parendo imperat.* Atque id maritorum imperium naturale eſſe Ariſtoteles in Ethicis & Politicis, nec non Simplicius in Epictetum demonſtrant. Sed Apoſtolum audiri à te malo, qui cap. 11. Epiſtolæ primæ ad Corinthios idem confirmat, ubi capitis velamẽ longoſq; crines in mulieribus ejus rei ſignum facit. Nec id inſolens antiquitati. Lucianus: ἡ κόμη καὶ εἰς τουπίσω ὁ πλόκαμος συνεσπειράμενος οὐκ ἐλευθέριον φησὶν ἵνα εἶναι. Ubi capillos circa occiput conglomeratos argumentum eſſe ait hominis non liberi. Atque ita Romani ante annos liberæ pubertatis pueros tondere non conſueverant, ut Critici ad Odam 10. lib. 4. Carm. Horatii annotarunt.

Phil. Imperium tamen in maritos à pleriſque invadi cernimus. Apud Suiones Sitonum gentes feminam dominari ſcribit Tacitus. Idemque Bactrorum, Lyciorum, Syſiorum, Sauromatarum uxoribus jus eſſe autores non ſubleſtæ fidei atteſtantur.

Polyt. Verebar ne orbem

bē univerſum muliebri imperio ſubeſſe pronunciares, tot gentes enumeraſti uxorum poteſtati ſubditas.

Phil. Nec fortaſſis à vero multum aberravero, iſtud ſi ſtatuam.

Polyt. Nugas agis, & rides, ut rideamus.

Phil. Ridiculos minimè tibi viros mihi ſuffragantes nominabo, Themiſtoclem & M. Catonem Majorem. quorū ille Græcis, hic Romanis imperare uxores dixit. Plutarchus mihi teſtis, qui de mulieribus ita diſſeruiſſe hunc narrat: *Omnes mortales mulieribus imperant: nos omnibus mortalibus: nobis mulieres.* Etenim id ex Themiſtoclis Apophthegmatibus traductū eſſe idem commemorat. Cùm enim filius per matrem in eum dominaretur, ita uxori Themiſtoclem dixiſſe ait: O mulier, populus Athenienſis Græcis imperat; ego populo Athenienſi; tu autem mihi. Audis Græcos, Romanoſque rerum dominos uxorum dominio preſſos.

Bibl. Ipſi mariti plerique hujus mali ſibi ſunt architecti, & impotentis feminarū dominationis faces.

Polyt. Qui tandem?

Bibl. Rogas? Tædet referre. Primùm autem (ut rem ab origine repetam) compedes & pedicas ſibi acerſunt ad ſervitutem, qui, quas uxores petunt, adoleſcentulas *Dominarum* faſtoſo nomine, blandiendo adulandoque, compellant; Nec deſinunt illa blandimenta, inito jam conjugio. Hinc oblatam ſponte poteſtatem ambabus manibus arripiunt uxores, & quod audiunt, eſſe ſeſe impenſè cupiunt, &, quàm procis, eandem & maritis ſuis ſervitutem imperant. Et quidem patiuntur, quæ illis digna ſunt. Epictetus in hanc rem ſapienter cap. 62. *Mulieres ſtatim ab anno decimoquarto à viris Dominæ vocantur. Proinde cum vident ſe nihil aliud habere muneris, niſi ut cum viris concumbant, comere ſe incipiunt, atque in ornatu ſpem collocant omnem. Quare operæpretium eſt dare operam, ut ſentiant, ſibi non ob aliud honorem haberi, niſi* quòd

quod modeſtas ſe præbeant, & verecundas cum temperantia. Non obſcurè innuit maritis potiùs quàm uxoribus imputandum, ſi difficiles ſint atque imperioſæ; atque iccircò (ut Simplicius adnotavit) ab initio condocefaciendas, ut intelligant, ſe non ob aliud à viris honorari quàm ut modeſtæ, verecundæ, morigeræque ſint. Accedit quòd potiſſimũ dos in uxoribus paſſim quæratur, & nummus non uxor ametur. quo ſi maritorum cenſum excedant, animos inde ſumunt & inclementer admodum viris ſuis inſultant. Quod à Comicis ſæpiſſimè inculcatum. Plautus in Aulular.

Nam, quæ indotata eſt, ea in poteſtate eſt viri.
Dotatæ mactant & malo & damno viros.

Cæcilius ex Menandri Plocio fabula ſenem ita de divite ac deformi uxore conquerentem deſcribit:

——— quæ niſi dotem, omnia
Quæ nolis, habet. qui ſapit de me diſcet, qui quaſi
Ab hoſte captus liberè ſervio, ſalva urbe atq; arce.

Acriùs Iuvenalis:

Intolerabilius nihil eſt quàm femina dives.

Eleganter & acutè Martialis:

Vxorem quare locupletem ducere nolim
Quæritis? Vxori nubere nolo meæ.

Scythas Romanis in eo feliciores facit Poëta Venuſinus: *Nec dotata regit virum Conjux* — Infelices itaque paſſim qui valde dotatas ducunt, quia γυναικοκρατούμενοι.

Polyt. Elevare non parum has rationes tuas videtur, quòd qui maximè ſapere didiciſſe debebant, viri nempe illi in quibus plurimæ ſunt litteræ, quibuſq; è meliore luto finxit præcordia Titan, multo inclementius tamen ab uxoribus habeantur paſſim quàm cęteri mortales. Xantippen peſſimæ notæ feminam jurgioſam, irarumque & moleſtiarum mulebrium, (ut Gellii verba

 uſur-

uſurpem) per diem perque noctem ſcatentem, imprimis hîc celebrari nemo neſcit. Tum & Grammatici illius querimoniæ huc faciunt, quas lepido Epigrammate ita deſcripſit Auſonius:

Arma virumq; docens atq; arma virumq; peritus
Non duxi uxorem, ſed magis arma domum.
Namq; dies totos, totaſq; ex ordine noctes
Litibus oppugnat meq; meumq; larem.
Atq; ut perpetuis dotata à Marte duellis,
Arma in me tollit, nec datur ulla quies.
Iamq; repugnanti dedam me, ut deniq; victum
Iurgor ob hoc ſolum, jurgia quòd fugiam.

Itaque ad ſolennem illam Cenſoriam quæſtionem, *Ex animi tui ſententia tu uxorem habes?* quid niſi per ſuſpiria fractâ voce reſpondeat quiſque: Non habeo miſer? Tu quæſo, cui prudentia & ingenii benigna vena eſt, cauſſam exponere nè gravare.

Bibl. Nolim exiſtimes inde hoc evenire, quòd, æq; atq; alii, ἀσκαρδαμυκτεὶ dotem reſpiciant in uxore quærenda, aut blanditiis atque adulationibus noxiis animos illarum imprudenter inflent. Sed alius, Polytrope, latet error.

Polyt. Quiſnam ille? obſecro te.

Bibl. Intera loci dum domi ſuę peregrinantur, neglectiſque rebus domeſticis, uxorumque curâ, prudentique inſtitutione, extremas orbis terrarum oras mente animoque peragrant, & tantum non in bibliothecis librorumque tumulis ſeſe vivos ſepeliunt, immiti uxorum fato, miramur adhuc imperium à mulieribus invadi, quaſi à maritis aliud agentibus jam ad ipſas delatum? Sic mulieres Lacænæ viris, in militia conſeneſcentibus, imperium ereptũ iverunt. Sic Scythis in Græcia decennale bellũ depugnantibus, ſervi herorum connubia invaſerunt. Adeò noxium eſt rerum domeſticarum curâ parum tangi, aut eam omnem ex animo ejicere.

Fu-

Phil. Fuit qui haſce miſerias, ex gynæcocratia pullulantes, experientia edoctus, cauſſas earum Mathematicas quoque produceret & aſtris tranſcriberet, ita plerumque diſpoſitis, ut ſimul probum portenderent mariti ingenium & improbam uxorem.

Bibl. Aſtus eſt, aſtra, tanquam umbonem, ignorantię obvertere, cùm veras rerum cauſſas neſcias. Ita enim multos videas, qui, illo clypeo muniti, latere tecto abſcedunt & evadunt. Si minùs autem ratio illa, quam aſſignavi, te movet, age aliam amplectere. Ea fermè hominum litteratorum eſt conditio, ex humili loco in altum uti aſſurgere & ſuis præcellere majoribus annitantur. Unde illud viri eruditi frequens dictum: Spes meas non vendo. Itaq; animum ad uxorem applicant, vel dum virtutibus eorum obſtat res anguſta domi, vel ubi emerſerunt & jam aliquo cœperunt eſſe numero. In re tenui ſi ſint, haud facile eos in amplum cenſum opulentumq; matrimonium admittet dives femina. neque enim ſpem pretio emunt nummatæ puellæ, quarum judicium rarò ad eruditionis latentes thezauros & copię cornu penetrat. Itaque, ſi uxores quærant, humiles & abjectas eos ducere ut plurimum neceſſe eſt. Eæ autem, ubi, fortunæ Favonio, & maritorũ ingenio ac virtutum meritis, evectæ, aliquid jam eſſe incipiunt, criſtas erigunt. Quippe enim *Aſperius nihil eſt humili cùm ſurgit in altum*. Et compertum ſe habere Aur. Victor in Diocletiano ſcribit, *humillimos quoſque maximè, ubi alta acceſſerunt, ſuperbia atque ambitione immodicos eſſe.* Sanè feminis illis perplacet hoc Plautinum, *Secundas fortunas decent ſuperbiæ*. Atque hinc cum ipſis maritis de dignitate & imperio certant. Adeò grave eſt adverſæ fortunæ adſuetis proſperam moderatè ferre. At verò ſi in dignitate atque honore non vulgari conſtituti ſint, ſordida paupertate (mediũ enim ſoli tenuêre beati) procul

relicta, nihil non magnum & ſuprà mediocritatem ſpirant, & ad familias τῶν παχέων aditum affectant, pecunioſaſque uxores expetunt. tanta vis eſt *Ducentis ad ſe cuncta pecuniæ.* Nam eruditionis ac dignitatis ſuæ mercedem eſſe divitias judicant. Ergò dotem accipiunt, imperium vendunt, &, ut ex Antiphane Stobæus retulit, nullum ſentiunt onus gravius, quàm mulierem, quæ amplam attulit dotem.

Phil. Miſeret me iſtorum hominũ, quibus quantum Pallas favet, tantum Venus eſt adverſa. Immortales Deæ, ut audio, immortales iras gerunt. notum quippe earum odium atque diſſidium jam inde uſque à Troia capta, ubi *Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.* De illarum autem ſyncretiſmo autores, quod quidem ſciam, οὐδὲ γρῦ.

Polyt. Pallas ut ſapientiæ ita & belli præſes apud veteres audit. Suum ergò facit officium, ſi inteſtinum inter conjuges bellum moveat, & alumnos ſuos per infeſtas improbaſq; uxores exerceat, quaſi ad palum, eoſque ad virtutem, laborem ac patientiam inſtituat. Huc enim referre liceat illud Tullii de legionum exercitatione: *Ille curſus, concurſus, clamor quanti laboris eſt!* Itaque ex palaria illa exercitatione animus paratior ad graviores labores ſubeundos. Socrates de ſe documentum dedit, qui interroganti eum Alcibiadi, Cur Xantippen, uxorem tam modis omnibus moleſtam atque acerbam, domo non exigeret, Quoniam, inquiebat, cùm illam domi talem perpetior, inſueſco, & exerceor, ut cæterorum quoque foris petulantiam & injuriam facilius feram. Miramur ergò etiamnum Palladem eſſe Palladem, hoc eſt, ad fortitudinem ac patientiam, quæ veræ ſapientiæ pars ſunt non minima, animos ſuorum durare ac domeſtica diſciplina excitare? Bis miſeros autem diceres, ſi Spartana lex valeret,

quæ

quæ δίκην κακογαμίς malas uxores habentibus irrogabat. Ex qua Archidamus pecunia mulctatus perhibetur, quòd parvam duxiſſet.

Bibl. Lepidè luditis. Quia autem ludo jocoq; finire noſtrum colloquium lubentia eſt, non celabo vos quod nuperrimè talia diſſerenti reſpondit vir perinde eruditus atque lepidè ingegenuatus; (Credo, ut doctum eſſe, quàm dici, malle ſeſe indicaret) Inde certò ſeſe cognoſcere quòd eruditis non eſſet accenſendus, quòd uxorem bonam in matrimonio haberet. Cæterùm, ut tandem defungar, quid Lepcitani poſtridie Nuptiarum olim factitarint accipite. Sponſa ad ſocrum mittebat qui ollam peteret, quam illa moroſè & pertinaciter negabat. Id ideò fiebat, ut nurus ſtatim diſceret ſocrus ſuæ mores difficiles & auſteros æquo animo perferre.

Phil. Nihil memoratu dignum, quod quidem ſit diei Nuptias proximè ſequentis, impræſentiarum mihi ſuccurrit, ſed hoc habetote pro ſuccedaneo, quòd ſeptimo ferè à Nuptiis die apud Feſanos, ſi Joh. Leoni credimus, ſponſus domo egreſſus quàm plurimos emat piſces, eoſque per matrẽ aut aliam quampiam mulierem ſuper pedes uxoris projici jubeat. Id enim, inquit Leo, ex antiqua conſuetudine pro bono habent auſpicio. Rationes nunc expiſcari non vacat. In pedibus alioquin aliquid latere myſterii quis non videt? præſertim cùm idem autor de Feſanis narret, ſponſum, ſimulac cubiculum intravit ſponſa, pede ſuo pedem illius tangere; atque ita confeſtim ambos inibi concludi. Archæologo verò hoſpiti noſtro, prodigè humano ac benefico, cogitandum de iis cenſeo. Idque eò potiſſimùm ut in boni auſpicii mentione deſinam. Hygieia, Salus, & copia (veſtrò etiam nomine, amici, hoc voveo) conjugium filiæ tuæ reſpiciant, beent, ſecundent ac fœcundent, optatiſſime Archęologe, ut videas natos

natorum & qui naſcentur ab illis ; utque inde magnorum votorum exemplũ capientes alii, quoties noſtrorum novorum conjugum felicitatem & concordiam animo repetunt, exclament:

Felices ter, & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulſus querimoniis,
Suprema citius ſolvet amor die.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google